IN EVANGELIUM SANCTI MATTHÆI HORÆ HEBRAICÆ ET TALMUDICÆ;

Impensæ
A JOANNE LIGHTFOOTO,
S. Theol. Doct. Collegii, sive
Aulæ, S. CATHARINÆ,
in Alma Academia
CANTABRIGIENSI
Præfecto.

CANTABRIGIÆ:
Excudebat Joannes Field, celeberrimæ Academiæ
Typographus. Ann. Dom. 1658.

DEPARTMENT OF SCIENCE & ART
FORSTER
BEQUEST
1876

Chariſsimis
CATHARINENSIBVS
ſuis Salutem.

IPſiſsimæ eædem ſuaſiones, quæ me primùm & præcipuè ad evolutionem Talmudicorum excitârunt, excitârunt etiam ad præſens opus: ità ut ab iiſdem rationibus emanent hi fructus & uſus iſtius lectionis, à quibus primùm ipſa lectio. Nam

Primò, Cùm omnes libri Novi Teſtamenti à Judæis ſint ſcripti, atque inter, & ad Judæos; cúmque omnes orationes in eo habitæ à Judæis pariter, atque ad, & apud Judæos fuerint habitæ: pro re indubitatiſsima hoc mihi ſemper perſuaſum fuit, Non poſſe iſtud Teſtamentum non Judæorum ſtylum, idioma, loquendi formam normámque, ſapere ubique, & retinere.

Atque hinc æquè indubitanter à me concluſum eſt etiam Secundò, Quòd in locis iſtius Teſtamenti obſcurioribus (quæ ſunt quamplurima) optimus & ſummè genuinus ſenſum eruendi modus eſt perquirendo, quomodo & quonam ſenſu intellectæ fuerint iſtæ Phraſiologiæ & locutiones, ſecundùm vulgarem & communem gentis iſtius Dialectum & ſententiam, & ab iis quæ eas protulerunt, & ab auditoribus. Non enim valet, quid nos de iſtiusmodi locutionibus à conceptûs noſtri incude fingere poſſimus; ſed quid illæ apud eos ſonuerint vulgari ſenſu & ſermone. Quod cùm nullo alio modo perquiri poſsit, quàm autores Talmudicos conſulendo; qui & vulgari loquuntur Judæorum Dialecto, atque omnia Judaica tractant & patefaciunt: hiſce rationibus ego inductus præcipuè horum voluminum lectioni me applicui; ſat ſciens quidem & certus, me cum infinitis & inſuperabilibus ferè difficultatibus colluctaturum; aſt omnes poſthabens, atque obdurato propoſito armatus, ut, ſi fieri poſſet, pleniorem

niorem ac reconditiorem ſtyli ac Dialecti Novi Fœderis notitiam ac ſenſum obtinerem & lucrarer.

Volumina iſta legere aggredientem terrere primò poteſt Autorum iſtorum mala fama, qui peßimè quidem audiunt apud omnes. Fætent Judæi *apud* Marcellinum, *(lib.22.) & fætent* Judaica *hæc ſcripta ferè apud omnes; atque hoc laborant infortunio neſcio quo ſingulari, ut etiam non lecta diſpliceant, & vituperata ſatis ab iis qui legerunt, ab iis qui non legerunt vituperentur multò magis.*

Volumina iſta legentem ſupra modum torquent, cruciant, & fatigant, ſtyli difficultas tantùm non inſuperabilis, linguæ aſperitas tremenda, & rerum tractatarum ſtupenda inanitas & vafrities. Nugis ubique ſcatent ità, ac ſi nollent legi; obſcuris ac difficilibus, ac ſi nollent intelligi: ità ut ubique patientiâ Lectori ſit opus, & nugas ferendo & aſperitates.

Ego quidem, dum ea evolverem, hæc tria mihi ſemper propoſui: ut cruciatus iſtos lectionis, quantùm liceret, vel eluderem, vel emollirem, vel ſolarer; útque fructum ab iis, ſi fieri poſſet, & quantum poſſem, excerperem & reportarem. 1. Ea obſervare apud me ſtatui, quæ facem aliquam præbere viderentur Sacris paginis; *præſertim verò, vel Phraſiologiis, vel ſententiis, vel hiſtoriæ Novi Teſtamenti. 2. Ea in pugillares referre, quæ memoriam aliquam ſecum ferrent locorum quorumvis in terra* Iſraelitica, *aut lucem aliquam exhiberent Chorographiæ iſtius terræ. 3. Ea notare, quæ hiſtoriam* Judæorum *ſpectarent, vel Eccleſiaſticam, vel Scholaſticam, vel Civilem, quæve* Chriſtianam, *aut reliqui mundi.*

Et jam poſt inſpectam atque obſervatam oculo, quantùm potuimus, intento horum Autorum naturam, artem, materiam & medullam, non poſſum ego verum & vivum eorum characterа in compendio meliùs depingere, quàm his Paradoxis atq; ænigmatibus. Non ſunt Autores, qui Lectorem magìs terrent & torquent; & non ſunt tamen, qui magìs alliciunt & delectant.

Apud

Apud nullos major est, aut æqua nugacitas; & vix tamen apud ullos major, aut æqua utilitas. Acriores hostes, quàm istos, non habet doctrina Evangelica; & tamen planiores interpretes, quàm istos, non habet textus Evangelii. Verbo omnia. Judæis *suis nihil nisi nugas propinant, & perniciem, & venenum: at* Christiani, *arte & industriâ suâ, eos sibi reddere possunt studiis suis utilissimè famulantes, atque inservientes commodissimè interpretationi Novi Testamenti.*

Lectionis ac selectionis nostræ specimen aliquod hìc exhibemus, in Lectoris gratiam; si modò evadat Lectori gratum. Novimus quàm suspicioni obvium sit nova adducere, quàm odio obvium Talmudica, *quàm utrique & acuminatæ censuræ ista adhibere in rebus sacris. Non potest ergò inusitatior hic noster commentandi modus, eâ ipsâ ratione, non inusitatiorem exspectare censuram, atque examini subjici severiori. Sed, cùm jacta jam sit alea, serum nimis nunc temporis est omen deprecari, & frustraneum nimis, hoc loci, defensionem aggredi. Si secum aliquid non portet ipsum opus & liber, quod causam suam agat, & veniam Lectoris impetret, & favorem, parùm ad rem istam valebit nostra peroratio, aut supplicans epistola. Fato ergò & fortunæ suæ, quæcunque ea tandem futura est, exponendum jam est præsens opus, & tradendum: sunt, ut speramus, aliqui, qui mitiore illud fronte excipient & sereniore, ob hoc ipsum nobiscum clementer & placidè agentes, quòd studiis incubuimus, & quòd Evangeliis incubuimus, & quòd studuimus veritati: quòd eam secuti sumus, favebunt; si assecuti non fuimus, miserebuntur. At frontem corrugatam, & supercilia torva quod attinet, ea parati sumus omni ferre cum patientia, interno hoc apud nos armati & contenti patrocinio,* Quòd studuimus prodesse.

Opus autem hoc qualecunque, & qualiscunque fortunæ, vobis nuncupatum voluimus, ô charissima capita, nostri Catharinenses, *& ex debito, & ex voto. Pro conjunctissimo enim isto, quo unimur nexu, vinculóque, vobis debentur omnia, quæ stu-*

demus,

demus; omnia, quæ possumus: si modò aliquid omnino sunt ista omnia: & cùm universis prodesse cupiamus (si daretur) quod studiosum decet, & quod Christianum, *vos istorum desideriorum, votorúmque, ex ipso nexu istо meritóque vestro ipsissimum estis centrum, & requies. Conscii quidem satis nobis sumus, quàm nihil possumus, vel in publicum commodum, vel in vestrum: at publicum tamen judicium exhibere cupimus apud omnes velle nostri, & studii; apud vos insuper intimi cordis atque animi.*

Reponatur ergò apud vos voto singulariori pignus hoc amoris nostri, viscerúmque; &, dum rationem aliis horarum nostrarum reddere studemus, reddat hoc vobis etiam affectuum. Perstéq; apud Catharinam *nostram, etiam in futura secula, hoc officii testimonium, amoris monumentum, & memoria nostrî vestrique.*

E Musæo nostro,

Calend. *Junii.* 1658.

IN EVANGELIUM S. MATTHÆI

Horæ Hebraicæ.

CAPUT I.

VERS. 1. Βίβλος Γενέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ.

DECEM *Stirpes aſcenderunt è Babylone:* 1. כהני *Sacerdotes.* 2. לוי *Levitæ.* 3. ישראל *Iſraëlitæ.* 4. חללי *Profani*, quoad Sacerdotium: Patribus quidem Sacerdotibus orti, at matribus thoro Sacerdotali non idoneis. 5. גירי *Proſelyti.* 6. חרורי *Liberti*, vel Servi manumiſſi. 7. ממזירי *Nothi:* è conjugio orti, aſt illegitimo. 8. נתיני *Nethinæi.* 9. שתוקי *Spurii:* certæ matris, at patris incerti. 10. אסופי *Collectitii*, è plateis: patre matréque incertis. *Talm.* in *Kidduſhin cap.* 4. *artic.* 1.

Gens certè maculoſa, atq; ideò in hac colluvie [juxta ſententiam Hebræorum] è Babylone educta, nè totum ſemen Judaicum, illìc adhuc commorans, ab ea commacularetur. כי לא עלה עזרא מבבל עד שעשא כסולת נקיה: *Non enim aſcendit Ezra è Babylone, uſque dum eam puram reddidiſſet inſtar farinæ.* Verba ſunt Gemaræ Babylonicæ, quæ ſic explicat gloſſa: *Non reliquit quemvis illìc, modo quovis illegitimum, ſed Sacerdotes tantùm & Levitas, atque Iſraëlitas puræ ſtirpis. Decem ergò hæc proſapiarum genera*

ſecum abduxit, nè hæ cum iſtis commiſcerentur, cùm jam non ſupereſſet illic Synedrium, à quo de hac re caveretur. Adduxit eos ergò Hieroſolymas, ubi à ſtato illic Synedrio provideri poſſet, nè legitimi conjugia inirent cum illegitimis.

Hæc paululùm, in ipſo hiſtoriæ Evangelicæ limine jam ſtantes, meditemur.

I. Quanta nubes obſcuritatis, de Ortu Chriſti, populo non oboriri non potuit, vel ab ipſo è Babylone reditu, cùm puriorem illic, quàm in terra Iſraelitica, Judaici ſanguinis ſcaturiginem, aut certè viderunt, aut videre ſe certè crediderunt.

II. Quantâ curâ, apud familias puri ſanguinis, opus fuit, ut ab hac colluvie ſe intactas ac puras conſervarent: libellósq; pariter genealogicos apud ſe à ſeculo in ſeculum reponerent, legitimæ ſuæ ſtirpis, ac ingenui ſanguinis, teſtes fidos, ac monumenta ſempiterna.

Audi hac in cauſa querelam ac hiſtoriam: *Hieroſ. Kidduſhin* fol. 65. 3. *Bab. ibid.* fol. 71. *R. Jochanan dixit, Per templum, In manu noſtra eſt eos detegere, qui non puri ſanguinis ſunt in terra Iſraelis: At quid faciam? cùm viri primarii hujus ſeculi lateant:* [id eſt, cùm non puri ſanguinis ſint, palàm tamen de iis non prædicatur.] *Idem opinatus eſt cum R. Iſaac, qui dixit,* משפחת שנטמעה נטמעה *Familia* [polluti ſanguinis] *quæ latet, lateat. Dicit etiam Abai, Nos hoc quoque traditione didicimus, Quòd familia quædam fuerit, Beth Zeriphæ vocata, trans Jordanem, & amovit eam filius Zionis.* [Gloſſ. Impuram eam eſſe publico præconio declaravit vir aliquis eximius.] *Alteram autem, quæ talis fuit, appropinquare fecit: Altera etiam fuit, quam ſapientes noluerunt manifeſtare.*

III. Cùm Synedrio Hieroſolymis ſtato ſummè incubuerit, puras familias puras adhuc, quoad in ſe, conſervare; cùmque ipſi canones præſcripſerint de conſervanda populi legitimatione (quod videre eſt in iis, quæ ſequuntur ad locum allegatum) neceſſitas quædam erat, ut apud ſe reponerent publica proſapiarum monumenta, unde dignoſceretur, quænam familia pura, quænam maculoſa. Hinc illud *Simeonis ben Azzai* notatu dignum, *Vidi ego,* inquit ille, *libellum Genealogicum Hieroſolymis, in quo ſic ſcriptum eſt, N. ſpurius ex uxore aliena.* Bab. Ievamoth fol. 49. 2. Adverte vel ſpurium publicis codicibus genealogicis inſcriptum, ut ſpurium eum eſſe dignoſceretur, atque à ſeminis ejus macula caverent

rent puriores. Notetur & illud, Hieroſ. Taanith. fol. 68. 1. *Codicem Genealogicum invenerunt Hieroſolymis, in quo ſic ſcriptum: Hillel ortus eſt à Davide. Ben Jatſaph ab Aſapho. Ben Tſitſith hacceſeth ab Abnere. Ben Cobiſin ab Achabo*, &c. Atque Archiva genealogica redolent ea, quæ de Xylophoriis memorantur in Miſhnico textu iſtius tractatûs Taanith. cap. 4. halac. 5. *Tempora Xylophorica Sacerdotum populique fuerunt novem. Primo Niſanis, filiis Erach filii Judæ: viceſimo Tammuz, filiis Davidis filii Judæ: quinto Ab, filiis Paroſh filii Judæ: ſeptimo ejuſdem, filiis Jonadab filii Rechab: decimo ejuſdem, filiis Sennaah filii Benjamin*, &c.

Facilè eſt ergò conjectari, unde *Matthæus* Genealogiæ hujus ſuæ tertiam *Decateſſerada* hauſerit, *Lucásq*; quadraginta prima nomina ſuæ: à libellis ſcilicet Genealogicis, tunc temporis ſatis notis, & apud publica κειμήλια repoſitis, atque etiam apud privata. Ac neceſſe quidem erat, in argumento tam ſpectato ac ſublimi, tantæque apud populum Judaicum diſquiſitionis, qualis erat delineatio progeniei *Meſſiæ*, ut non ſolùm veritatem traderent Evangeliſtæ non contradicendam, ſed &, ẽ certis & fidis cognationum voluminibus, probandam atque aſtruendam.

Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Quòd toties nomini *Chriſti*, in Novo Teſtamento, ſuperaddatur nomen *Jeſu*, non ideò ſolùm eſt, ut ſignetur *Chriſtus* pro *Salvatore* [quod vox *Ieſus* ſignificat] ſed etiam ut *Ieſus* ſignetur pro vero *Chriſto:* contra perfidiam Judaicam, quæ *Meſſiam* [vel Chriſtum] quendam profeſſa, *Jeſum Nazarenum* eum eſſe ſtrenuò negat. Locum habet hæc obſervatio in locis N. T. innumeris. Act. 2. 36. & 8. 35. 1 Cor. 16. 22. 1 Joan. 2 22. & 4. 15, &c.

Υἱῷ Δαυίδ.

Id eſt, *Veri Meſſiæ*. Nam nullo nomine magìs communi, magísque proprio, *Meſſiam* indigitavit gens Judaica, quàm בן דוד *Filii Davidis*, vide Matth. 12. 23. & 21. 9. & 22. 42. Luc. 18. 38. Atque apud Talmudicos paſſim; præſertim verò *Bab. Sanhedr.* fol. 97. 1. ubi etiam diſcutitur, qualia futura ſunt tempora cùm *filius Davidis* advenerit.

Quæ de *Meſſia ben Joſeph* [quem *Meſſiam ben Ephraim* vocat *Targ. in Cant.* 4. 5.] excogitata ſunt à Judæis, ideò excogitata

ſunt, ut vertigini eorum, & deliquio judicii conſulatur in ſententia ſua de *Meſſia*. Cùm enim verum *Meſſiam* tempore à Prophetis præfinito advenientem ſpreverint, crucifixerintque, Chimæricum neſcio quem adhuc expectant, de quo non certum quid habent quod opinentur. Utrùm unus ille futurus, an duo: utrùm è vivis oriturus, an è mortuis: utrùm in nubibus cœli venturus, an inſidens aſino, &c. *Filium Davidis expectant*, ſed neſciunt qualem, neſciunt quando.

VERS. 2. Ἰούδαν.

Hebr. יהורה. Quam vocem non ſolùm Græci ob defectum literæ *h* in medio vocis, ſed & ipſi Judæi in יורה abbreviârunt; quod apud Talmud Hieroſolymitanum infinitis vicibus occurrit. *Demai fol.* 22. 3. Idem qui vocatur ר יוסי בי ר יהורה, lineâ proximè ſequente vocatur בי ר יורה ר יוסי. Sic etiam *Schab. fol.* 4.4. Atque hoc fit in ipſiſſima eadem linea, *Iom tobh fol.* 62.3.

VERS. 5. Βοὸζ ἐκ τῆς Ῥαχάβ.

Eoúſque *Matthæo* ſuffragantur Scriptores Judaici, ut *Rachabem* principi alicui Iſraelitico elocatam fateantur, at de perſona errantes, an hoc ex ignorantia agant, an ex arbitrio, ipſi videant. De hac re Gemara Babylonica, in *Megillah fol.* 14. 2. hæc habet: *Octo Prophetæ, iidémque Sacerdotes, orti ſunt à Rachabe, atque hi ſunt: Neriah, Baruch, Seraiah, Maaſeiah, Jeremiah, Hilkiah, Hanameel & Shallum. Dicit R. Judah, Huldah etiam erat è poſteris Rachab.* Et paulò póſt, *Traditio eſt, eam, Proſelytiſſam factam, Joſuæ nupſiſſe* [quod & adducit *Kimchius* in Joſ. cap. vi]. Scrupulum hìc injicit gloſſ. *Joſuam* [inquit] *eam duxiſſe Proſelytam factam, durius ſonat; cùm non licuerit cum Cananæis, etiam Proſelytis factis, connubia contrahere. Dicendum eſt ergò, Eam non è ſeptem gentibus Cananæorum fuiſſe, ſed è gente aliqua alia, atque illìc peregrinatam. Dicunt autem alii, quòd iſta prohibitio non obtinuit ante ingreſſum in terram promiſſam*, &c.

VERS. 9. Ἰωρὰμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ὀζίαν.

Eliduntur nomina *Ahaziæ, Joaſhi, Amaziæ*. Vide Hiſtoriam in libris Regum, & 1 Paralip. iii. 11, 12.

1. Migrârat quodam modo pro tempore promiſſio, *non vacaturum*

rum ſolium Davidis, in familiam *Jehu*, everſoris familiæ *Joram*. Cùm enim ille domum *Achabi* evertiſſet, *Ahaziámque*, è familia *Achabi* ſanguine materno ortum, cum ſuis occidiſſet, pollicetur ei Dominus, filios ejus regnaturos ad quartam uſque generationem, II Reg x. 30. Utcunq; ergò, interea temporis, non vacaverit ſolium *Davidis*, ſederíntque in illa ætatum intercapedine *Joaſh & Amazias*, occiſo antè *Ahaziâ*: non incongruè tamen ab Evangeliſta noſtro omittuntur eorum nomina, & quòd illi *Joramo* moribus non admodum abſimiles aliquando fuerint, & quòd eclipſin a regno Iſraelitico regnum horum quamplurimum ſuerit paſſum, interfecto à *Jehu Ahaziâ*; atque ejus ne pote *Amaziâ*, ab illius nepote, *Joaſo*, capto & ſordidè ſubjugato, II Paralip. xxv.

II. זרע רשעים נכרת. *Semen improborum exciditur*, Pſal. xxxvii. ver. 28. Obſervet Lector ſtudioſus, in fonte, ut in ipſiſſimo iſthoc loco litera ע, ultima רשע & זרע, quæ jure Acroſticho [ad quod contexitur iſte Pſalmus] proximè ſequentem verſiculum inchoare debuit, elidatur & non adſit.

III. *Non facies tibi ſculptile*, &c. *Ego enim Dominus Deus tuus, Deus zelotes, viſitans peccata patrum in filios, uſque in tertiam & quartam generationem*, Exod. xx. 5.

Ambulavit *Joramus* in moribus regum Iſraeliticorum Idololatricis, *ad modum familiæ Achabi*, II Reg. viii. 18. Quam horrendam ſecundi præcepti violationem, ſecundùm iſtius etiam præcepti comminationem, in poſteros viſitat Deus, eliduntúrque eapropter nomina filiorum ad progeniem quartam.

IIII. Iſtam *Jorami* Idololatriam, modo non abſimili, & Vetus Teſtamentum etiam ſtigmatizat; indignámque iſtam familiam oſtendit, quæ inter progeniem *Davidicam* numeretur: II Paralip. xxii. 2. בן ארבעים ושתים שנה אחזיהו *Quadraginta duorum annorum filius Ahazias:* hoc eſt, non ætatis ſuæ [nam viginti duos annos non exceſſerat, II Reg. viii. 26.] ſed durationis familiæ *Omri*, ex qua ſtirpe, è matre, erat *Ahazias:* prout annos numeranti ſatis patebit. Fatale certè, annos regis *Judæ* calculis domûs *Omri* ſupputari.

V. Obſervetur ſtylus Genealogicus non multùm diſpar, I Par. iiii. 1. ubi *Shobal*, in generatione quinta aut ſexta à *Juda* natus, numeratur ac ſi filius *Judæ* eſſet immediatus. Confer cap. ii, 50.

Pari modo *Ezr.* vii. in Genealogia *Ezræ*, quinque vel ſex generationes eraduntur.

VERS. 11. Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰεχονίαν.

Filii Joſiæ fuerunt iſti. Primogenitus Jochanan, ſecundus Joachim, tertius Zedekiah, quartus Shallum, I Paral. iii. 15. Quiſnam fuerit hic *Shallum* diſputant Hieroſolymitani, *Shekalim* fol. 49. 4. *Dicit Rabbi Jochanan, Jochanan & Jehoachaz idem ſunt. Et cùm ſcribitur, Primogenitus Jochanan, hoc vult, quòd fuit Primogenitus ad regnum,* hoc eſt, primus regnavit. *Dicítque R. Jochanan, Shallum & Zedekias idem ſunt. Cúmque ſcribatur, Tertius Zedekias, quartus Shallum, Tertius natu fuit, at regnavit quartus.* Eadem etiam adducuntur, *Sotah fol.* 22. 3. At longè rectiùs *D. Kimchius* in Hierem. xxiiii. & I Paral. iii. *Shallum,* inquit, *eſt Jechonias, qui binomius fuit, quique pro filio Joſiæ habetur, cùm nepos eſſet* [aut filii filius] *nam filii filiorum habentur pro filiis.* Confer Hierem. xxii. ver. 11. cum ver. 24. & res ipſa loquitur. Quódque dicunt Gemariſtæ modò citati, *Zedekiam* etiam *Shallum* vocatum ששלמה מלכות בית דוד, *eò quòd in diebus ejus terminaretur regnum familiæ Davidis:* hoc ad *Jechoniam* etiam quadrat quàm aptiſſimé, Hierem. xxii. 28, 29, 30.

VERS. 12. Ἰεχονίας ἐγέννησε τὸν Σαλαθιήλ.

Hoc eſt, *Filium regni,* vel ſucceſſorem in illa qualicunque dignitate domûs *Davidicæ,* quæ in reliquis *Joſiæ* filiis omnino exaruerat, in illo verò aliquantulum refloruit, II Reg. xxv. 27. Atque hinc eſt quòd ex omnibus *Joſiæ* poſteris *Jechonias* ſolus à *Matthæo* nominetur.

Jechonias reverà fuit Ατεκνος, Hierem. xxii. 30. & *Salathiel* propriè loquendo fuit filius *Neri,* Luc. iii. 27. at dicitur tamen *Jechonias* eum genuiſſe, non quòd verè fuerit ejus pater, ſed quòd illum ſucceſſorem ſuſceperit: non in regali quidem dignitate, nam ea jam perierat, ſed in ea quæ inter Judæos jam erat ſumma. Sic I Paral. iii. 16. *Zedekias* dicitur filius, vel *Joakimi,* cujus quidem fuit frater, vel *Jechoniæ,* cujus fuit avunculus, eò quòd ei in dignitate regia ſuccederet.

Enuntiaverat Dominus, idque non ſine juramento *Jechonian* futurum עריר *Abſque liberis.* Vocem עריר ſic interpretantur Talmudici.

mudici. *Dicit R. Judan, Omnes ii, de quibus dicitur* עֲרִירִים יִהְיוּ Ἄτεκνοι *erunt hi, non ſunt habituri liberos. Atque illi, de quibus dicitur* עֲרִירִים יָמוּתוּ Ἄτεκνοι *morientur, hi ſepeliunt liberos.* Hieroſ. in Schabb. fol. 9. 3.

Sic *Kimchius* etiam in locum. *Vox* עֲרִירִי, inquit, *hoc vult: Morituros in vita ſua filios, ſi jam ei fuerint filii: ſi verò jam non fuerint filii, nunquam futuros. At dicunt Rabbini noſtri b. m. eum pœnitentiam egiſſe in carcere. Dicúntque inſuper, Oh! quantum valet pœnitentia, quæ edictum pœnale evacuat? Dicitur enim, Hunc ſcribite* Ἄτεκνον, *at illo pœnitentiam agente, in bonum tranſiit hoc edictum, &c. Dicit R. Jochanan, Deportatio expiavit: Nam cùm dicatur, Hunc ſcribite* Ἄτεκνον, *poſt deportationem dicitur, Filii Coniæ, Aſſir filius ejus, Shealtiel filius ejus.* Hæc habentur in *Bab. Sanhedr:* fol. 27. 2. ubi hæc adduntur אסיר בנו שעברתו אמו בבית האסורין *Aſſir filius ejus, eò quòd conciperet eum mater ejus in carcere.*

At verba in fonte hæc ſunt, וּבְנֵי יכניה אסר שאלתיאל בנו quæ ſic reddenda, *Filii autem Jechoniæ vincti* [vel incarcerati] *Shealtiel filius ejus.* Quam verſionem & accentus firmant & vocum ordo. Nam Zakeph ſupra אסר appenſum, cui Munach infrà יכניה inſervit, conjunctam urget conſtructionem, nempe ut יכניה & אסר conjungantur, ſubſtantivum ſcilicet atque adjectivum. Vóxque בנו poſt שאלתיאל collocata, non poſt אסר, genealogiam in *Salathiele* figit, non in אסר omnino.

VERS. 16. Ἰακὼβ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰωσὴφ ἄνδρα Μαρίας.

משפחת אם אין קרויה משפחה: *Familia materna non vocanda eſt familia.* Juchaſ. fol. 55. 2. Hinc ratio facillimè reddi poteſt, cur *Matthæus* prognationem deducit ad *Joſephum*, *Mariæ* maritum; *Lucas* autem ad *Eli*, *Mariæ* patrem. Bifariam texunt hi duo Genealogiam, pro duplici promiſſionis Chriſti notione. Promiſſus eſt enim ille, ut *ſemen mulieris*, atque ut *filius Davidis*; illud ut homo, hoc ut rex. Neceſſe ergò erat in exequenda illius Genealogia, ut de utroque ſatisfieret. Semen igitur mulieris, promiſſum, declarat eum *Lucas*, deductâ uſque ab *Adamo* ſtirpe maternâ, ex qua natus eſt homo. Stemma Regium exhibet *Matthæus*, deductâ per familiam *Davidis* regiam proſapiâ ad *Joſephum* [prout reputatus eſt] patrem.

VERS.

VERS. 17. Γενεαὶ δεκατεσσαρες.

Quamvis in trina hac decatesserade ad amussim omnia non quadrent, nihil tamen est cur hoc vitio vertatur *Matthæo*, cùm in ipsis Scholis Judaicis, pro consuetudine, imò pro Axiomate ferè habitum sit, res & numeros, paritate aliquâ propinquiore se contingentes, reducere ad idem. Exemplo uno aut altero res pateat, cùm centena ferè possent adduci.

In Taanith cap. 4. artic. 6. Calamitosa quinque eidem diei, hoc est, nono mensis Ab, ascribuntur, *Nam eo die*, inquiunt, *decretum est, non ingressurum populum in terram promissam: eodem die vastatum est templum primum, atque etiam secundum: excisa est civitas Bitter, atque aratro fossa est civitas Hierosolyma.* Non quòd hæc omnia præcisè, eodem mensis die, occurrisse crederent, sed, ut annotat Gemara Babylonica, מגלגלין זכות ליום זכאי והובה ליום חייב *quòd faustum aliquod ad diem aliquem faustum reducerent, infaustum ad nefastum.*

Gemara Hieros. in eodem tractatu *Taanith fol. 65. 3.* rationem discutit numeri octodenarii quotidianarum precum, atq; inter alia hæc habet. *Preces quotidianæ sunt octodecim, pro numero octodecim Psalmorum, ab initio libri Psalmorum ad Psalmum illum, cujus initium, Exaudiat te Deus in die angustiæ* [qui quidem est Psalmus vigesimus.] *Si autem quis tibi objecerit, quòd eousque sunt Psalmi novendecim, respondeas, Psalmum cujus initium, Quare fremuerunt Gentes, non esse ex iis*, Psalmum distinctum. Vide quâ licentiâ numeros causæ suæ aptent.

Hieros. Schabb. fol 9. 2. Quæritur vnde astruatur numerus *triginta novem* operum servilium principaliorum, vitandorum Sabbato. Inter alia hæc occurrunt, אלה הרבים דבר דברי רבים: *R. Chaninah Zipporiensis dicit nomine R. Abhu.* אלף *unum denotat,* למד *triginta,* הא *quinque*, רבים *unum*, רבים *duo. Hinc quadraginta labores excepto uno, de quibus scribitur in Lege. Rabbini Cæsarienses dicunt,* „ *Non* „ *deest quicquam è loco suo.* אלף *unum,* למד *triginta,* ח *octo.* לא מתמנעין רבנן דרשין בין הא לחית *Non distinguunt Doctores nostri profundi inter He & Cheth:* ut numeros causæ suæ aptent, pro אלה *Hæc*, scribunt אלח, & ח & ה pro libitu immutant.

Idem

Idem ibidem fol. 15.3. *R. Ioſhua ben Levi dicit, Ego per totam vitam meam non inſpexi librum Agadæ* [myſticum] *niſi ſemel: & tunc inſpexi atque inveni ſic ſcriptum, Centum ſeptuaginta quinq; Sectiones legis, ubi ſcribitur* דבר אמר צורה *Loquutus eſt, dixit, præcepit, ſunt pro numero annorum patris noſtri Abrahami.* Et paulò póſt, *Centum & quadraginta & ſeptem Pſalmi, qui ſcribuntur in libro Pſalmorum* [nota hunc numerum] *ſunt pro numero annorum patris noſtri Iacobi: Unde hoc innuitur, quòd omnes laudes, quibus Iſraelitæ Deum laudant, ſunt ſecundùm annos Iacobi. Centum iſti & viginti & tres vices, quibus Iſraelitæ reſpondent Halleluia, ſunt ſecundùm numerum annorum Aaronis,* &c.

Concentibus iſtiusmodi quamplurimùm ſe oblectantes chordulas ſæpiuſcule ſupra modum torquent, extendúntque, ad crepitum uſque. Ità ut, ſi te carpat Judæus ob imparitatem teſſaradecadum tuarum, ô divine Matthæe, habeas ex ipſorum ſcholis ſcriptísq; non quo te defendas ſolùm, ſed quod retorqueas.

VERS. 18. Μνηστευθείσης τῆς μνηστὴς αὐτῦ.

Non nupta eſt fœmina Iſraelitica abſque prævia deſponſatione. *Ante datam legem* [inquit Maimonides] *ſi conventum eſſet inter virum & fœminam de connubio, introduxit ille eam in domum ſuam, ac privatim duxit in uxorem. At poſt datam legem, præceptum eſt Iſraelitis, ut ſi vellet quis fœminam in uxorem ducere, reciperet eam priùs coram teſtibus: & deinceps ſit illa ei in uxorem, ſicut ſcribitur* כי יקח איש אשה *Si accipiat quis uxorem. Acceptio hæc eſt de præceptis affirmativis legis, & dicitur Deſponſatio.* In אישות cap. 1. De modo & forma deſponſandi ad laſſitudinem uſque legas in iſto, tractatu atque in Talmudicó *Kiddushin.*

Πεὶν ἢ συνελθεῖν αὐτές.

In locis plurimis vir fœminam deſponſat, ad ſe autem non ducit niſi interpoſito aliquo temporis ſpatio. Gloſs. in Maimon. ad אישות cap 3.

Diſtinguitur meritó & apertè à Canonibus Judaicis inter יחוד *Privatum* ante nuptias inter deſponſantem & deſponſatam *conſortium* vel *colloquium*, & הכנסה *Introductionem* deſponſatæ in domum mariti. De utrovis intelligas licèt verba Πεὶν ἢ συνελθεῖν

ἀνοῦ, vel potiùs de utroque. Non ſolùm ad ſe domum eam non deduxerat, ſed & ſolus cum ſola, ultra limites colloquii cœlibum Canonicos, conſortium non habuerat, & tamen inventa eſt gravida.

Εὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα.

Poſt ſpatium ſcilicet à conceptione trimeſtre, cùm jam à conſobrina *Elizabetha* ad ſuos rediret. Vide Luc.i.56. & confer Geneſ. xxxviii. 24.

Spatium hoc ad rem iſtiusmodi detegendam aſſignant traditionum Magiſtri. *Fœmina*, inquiunt, *quæ vel à viro eſt dimiſſa, vel vidnata, non nubit nec deſponſatur, niſi poſt moram nonaginta dierum. Ut nempe dignoſcatur utrùm ſit gravida nécne, atque ut inter ſoboleſ primi mariti diſtinguatur ac ſecundi. Pari modo vir & uxor, proſelyti facti, per nonaginta dies à ſe invicem ſegregantur, ut dijudicari poſſit inter prolem in ſanctitate genitam,* [id eſt, intra veram religionem. Vide I Cor.vii.14.] *& prolem genitam extra ſanctitatem.* Maim. in *Geruſhin cap.* 11. & Talm. in *Iebamoth* cap. 4. & *Chetubboth* cap.5. fuſè.

VERS. 19, Ἰωσὴφ δὲ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς, &c.

Non opus eſt ut vocem δίκαιος cruciemus, ut ſenſum *manſuetudinis* aut *clementiæ* indè extorqeamus, quod faciunt quàm multi; nam, diviſim conſtructis verſiculi clauſulis, patebit ſenſus clarus, mollísq; ſatís. *Ioſephus, cùm eſſet juſtus*, non potuit, non voluit adulteram ferre, *at nolens tamen* παραδειγματίσαι, clemens cùm eſſet, atque uxorem amans, *voluit eam clàm dimittere.*

Παραδειγματίσαι.

Mortem hoc non hìc innuit, ſed publicam potiùs infamiam [לפרסמה]. Nam non immeritò quæri poſſit, an ad capitale ſupplicium adducenda eſſet, ſi reverà ex adulterio concepiſſet. Nam quamvìs exhibita fuerat lex de adulterio morte mulctando, Lev.xx.10. Deut. xxii. 22, ac pari modo hac in cauſa ageretur cum deſponſata, ac cùm jam in uxorem ducta: eouſque tamen delenita, nè dicam enervata, eſt lex iſta, per legem de dando libello repudii, Deut.xxiiii.1, &c. ut non licuerit ſolùm marito, uxori adulteræ ignoſcere, atque ad Synhedrium non exigere, ſed vix potuerit, ſi vellet,

let, morti subjicere. Quorsum enim aliter indultus est libellus repudii?

Nihil ergò hìc conatur *Josephus*, quod non summo cum consensu potuit, & legis, & gentis. Adultera potuit dimitti: desponsata non potuit dimitti, absque libello repudii, de quo sic jura Judaica: *Triplici modo desponsatur fœmina, Pecuniâ scilicet, aut scripto, aut coitu: Et sic desponsata, tametsi adhuc non maritata, nec in domum viri introducta, illius tamen ea est uxor. Et si quis cum ea præter ipsum coïerit; morte multandus est à Synhedrio. Siq; ille ipse velit eam dimittere, opus habet libello repudii.* Maimon. in אישות cap. 1.

Λάβρα ἀπολύσαι αὐτὴν.

Videatur codex Talmudicus *Gittin*, ubi agitur de modo tradendi libellum repudii uxori repudiandæ, inter alia, clanculùm posse dari, si modò sic visum esset marito, vel in manum, vel in sinum fœminæ, duobus testibus tantùm præsentibus.

VERS. 23. Ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἕξει.

Vocem עלמה apud Prophetam *virginem intactam* denotare satìs patet ex sensu loci Esaiæ, cap. 7. Metuit illìc sibi rex *Achaz* ab imminentibus jam hostibus, nè Hierosolymas excidant, exedántque domum Davidicam. Occurrit Dominus huic tremori, signali atque insignissimâ promissione, *Citiùs* scilicet *parituram virginem intactam, quàm perituram familiam Davidis.* Duplexque exhibet promissio solatium: de Christo nempe olim de virgine nascendo. ac de secura ab impendente periculo urbis & domûs Davidicæ salute. Ità ut, quamvìs non nisi à pluribus annorum centuriis adimpletionem suam receptura esset ista Prophetia de virgineo partu, de præsenti tamen, cùm ederetur Prophetia, certum & nobile *Achazo* fuit signum salvam & sanam à periculo imminente fore domum *Davidis.* Ac si dixisset Propheta, Nè tam sollicitus sis, ô *Achaze:* Nonne res tibi impossibilis videtur, ac nunquam eventura, virginem intactam fieri matrem? Ego autem dico tibi parituram virginem intactam filium, antequàm corruat domus *Davidis.*

Audi hæc, ô perfide Judæe, atque aliquas domûs Davidicæ reliquias nobis jam ostende: aut adimpletam in virgineo partu hanc

prophetiam confitere: aut ſignum dari, cùm ſignum datur, inficiare.

Ὁ ἐστι μεθερμηνευόμενον.

§ *Quânam linguâ Matthæus Evangelium ſuum ſcripſerit.*

I. Syriacam genti Judaicæ in *Judæa* degenti vernaculam fuiſſe linguam omnibus eſt in confeſſo, Hebraámque à vulgo non omnino fuiſſe intellectam argui præcipuè poteſt à duobus. 1. Quòd in Synagogis, cùm legerentur Lex & Prophetæ in fonte Hebræo, lectori ſemper aſtiterit interpres, qui in vernaculam linguam id quod lectum eſt redderet, ut intelligeretur à vulgo. Hinc regulæ iſtæ de officio Interpretis, & de locis quibuſdam, quæ ab interprete non erant reddenda vernaculè, *Bab. Megillah fol.* 25. &c. *Maſſicheth ſopherim. cap.* 11, 12, &c. 2. Quòd *Jonathan filius Uzzieli*, *Hillelis* diſcipulus, circa tempus nati Chriſti, Prophetas omnes [id eſt, ut numerant Judæi, *Joſuam*, *Judices*, *Samuelem*, *Libros Regum*, *Eſaiam*, *Jeremiam*, *Ezechielem*, & *duodecim minores*] Chaldaicè reddiderat, in linguam ſcilicet Hebræâ populo longè notiorem, atque vernaculâ gratiorem. Si quæratur enim cur omnino transtulerit, & cur non potiùs in vernaculam tranſtulerit omnibus notam: ſique objiciatur de *Matthæo & Paulo*, quòd Judæis ſcribentes, ille Evangelium, iſte Epiſtolam [ad Hebræos] neceſſe habuerint ut Syriacâ vernaculâ ſcriberent [ſi modò in Hebræa non ſcripſerunt.] ut intelligerentur ab omnibus: Reſpondemus 1. Non ſine ratione è fonte Hebræo in linguam Chaldaicam reddidiſſe *Jonathanem* Paraphraſtem, eò quòd toti populo longè notior & familiarior eſſet hæc lingua quàm Hebræa. Interprete in linguam notiorem opus habuit textus ſacer, eò quòd eſſet in lingua vulgo omninò jam ignota: nam Hebraicè non nôrunt, niſi qui ſtudio ſunt docti, utcunque ergò non ità expeditè Chaldaicam linguam ſaperent Judæi omnes, Canaanitidem habitantes, ac Syriacam quæ illis jam vernacula eſſet, longè tamen expeditiùs iſtam quàm Hebræam, quæ indoctis ignota prorſus. Hinc, non ſine neceſſitate, in Chaldaicam linguam verſi ſunt Prophetæ à *Jonathane*, & Lex non ità multò poſt ab *Onkeloſio*, ut à vulgo aliquantulùm intelligerentur, à quo fons Hebræus omnino non intellectus. Librum *Job* etiam

Tar-

Targum ſuum habuiſſe tempore *Gamalielis ſenioris*, Pauli ſcilicet Magiſtri, legimus, *Hieroſ. Shabb. fol.* 15. *col.* 3.

2. Cur *Ionathan* atque *Onkeloſius* non in *Syram* potiùs, quæ populo toti erat vernacula, tranſtulerint, cùm & ipſi in *Iudæa* eſſent, dum operi huic incumberent, & Judæis illìc habitantibus operam navarent, non injuſta eſt quæſtio. Cui duplicem hanc rependimus reſponſionem. 1. In Chaldaicam linguam vertentes illud egerunt, quod uſui foret & Judæam habitantibus & Babyloniam. 2. Non æquè grata fuit lingua Syriaca ipſis Judæis, qui eâ pro vernacula uſi ſunt, quàm fuit Chaldaica, utpote quæ cultior erat & politior, & fratribus etiam in *Babylonia* vernacula, & quam indè ſecum in *Iudæam* reportaverant aſcendentes è *Babylone*. Mireris, ô Lector, canonem iſtum audiens, qui hominem ſingularem permittit, *in quavis lingua orationes ſuas fundere, dum ea petit quæ ſibi ſunt neceſſaria, exceptâ ſolùm linguâ Syriacâ*, יחיד שואל צרכיו אומר בכל לשון חוץ מלשון ארמי: *Dum neceſſaria ſibi petit, utatur quâvis linguâ, exceptâ Syriacâ.* פסקי הראש [id eſt, *R Oſhaiæ Rabbæ:* vide *Iuchaſ.* fol. 84. 1.] in *Beracoth*, cap. 2. & *Bab. Schabbath*, fol. 12. 2. & *Sotah*, fol. 33. 1. At ridebis rationem audiens: *Ideò* ſcilicet *quòd Angeli non intelligant linguam Syriacam.*

An Syriacam linguam hìc à pura Chaldaica diſtinguant, non tanti eſt ut ſolliciti inquiramus; hæc tantùm gloſſatoris in *Beracoth* fol. 3. 1. adducemus, quæ in rem noſtram faciunt. *Sunt* [inquit] *qui dicant precatiunculam iſtam, cujus initium* קריש *ideò linguâ Syriacâ proferri, quòd ſit oratio nobilis & ſummæ laudis, ideóque compacta eſt in linguâ Targumiſticâ, nè Angeli eam intelligant, nobísque invideant* &c. Et paulò póſt, *In more fuit orationem iſtam* קריש *recitare* אחר הדרשה *poſt concionem; adfuit autem ibi vulgus, qui linguam Hebræam non intellexit omnino, ideóq; in lingua Targumiſtica eam inſtituerunt, ut intelligeretur ab omnibus: nam hæc eorum lingua.*

Audi, Hebræam vulgo omnino ignotam; non mirum ergò, ſi Evangeliſtæ ac Apoſtoli Hebraicè non ſcripſerint, cùm non eſſent qui ſic ſcripta intelligerent, niſi docti.

Præteriri non debet illud etiam, quod primo aſpectu etiam linguam Syriacam vel à doctis non intellectam videtur innuere, *Hi-*

eroſ. Sotah, fol. 24. 2. *Samuel parvus in articulo mortis dixit,* שמעון וישמעאל לחרבא: *Simeon atque Iſmael ad gladium,* ושאר כל עמא לביזה: *Atq; omnis reliquus populus ad ſpolium,* ועקין סגיאין חויין: *Et calamitates plurimæ futuræ ſunt.* ובלשון ארמית אמרן ולא ידעו מה אמר: *Atque ideò, quòd hæc loqueretur linguâ Syriacâ, non intellexerunt quid eſſet locutus.* Hiſtoriam hanc repetitam habes in *Gemara Babylonica*, *Sanhedr.* fol. 11. 1. *ubi verba morientis ſic proferuntur,* שמעון וישמעאל לחרבא ותבוהי לקטלא ושאר עמא לביזה ויקון סגיאן עתידין למיתי על עלמא: Interpres eſto Gloſſator in locum: *Simeon atque Iſmael ad gladium* [*id eſt, Rabban Simeon, princeps, & R. Iſmael ben Eliſha, ſummus ſacerdos, ſunt interfecti gladio*] *Et ſocii ejus ad occiſionem* [*id eſt, R. Akibah, & R. Chananiah ben Teradion interfecti ſunt aliis mortibus. R. Akibah ſcilicet pectinibus ferreis, & R. Chananiah vivicomburio coram Idolis.*] *Rēliquúsque populus in prædam, & plurimæ calamitates venturæ ſunt in mundum.*

Ubi autem dictum eſt, *quòd non intellexerint quid dixit, quoniam linguâ Syriacâ ſit locutus,* nobis etiam non facile eſt intellectu. Quid? Doctores Hieroſolymitanos non intellexiſſe linguam Chaldaicam? nam ante urbis excidium mortuus eſt *Samuel parvus*, atque de cæde *Rabban Simeonis*, qui in obſidione urbis periit, eſt locutus, locutúsque eſt iſta, cùm coràm adeſſent nonnulli è doctiſſimis Rabbinis; eósque non hæc verba intellexiſſe: quæ vel tyrunculus in linguis Orientalibus facilimè intelligeret?

Senſum ergò rei fortè elicias ex verbis authoris *Iuchaſin*, qui eum *Prophetâſſe* ait *linguâ Syriacâ*, התנבא בלשון ארמי Juchaſ. fol. 21. 1. Jam verò cùm non niſi linguâ Hebræâ ederentur Prophetiæ, utcunque illi vernaculum verborum ſatìs intellexerint; pro prophetia tamen non habuerunt, eò quòd linguâ, propheticis prædictionibus vulgari, non enuntiaretur. Sed non his immoramur. Illud quod volumus hoc eſt, *Matthæum* Hebraicè non ſcripſiſſe, [quod ex præcedentibus ſatìs arguitur] ſi modò eum linguâ vulgò notâ atque intellectâ ſcripſiſſe arbitremur, quod certè arbitrandum: nec eum, nec alios Novi Fœderis amanuenſes, Syriacâ linguâ ſcripſiſſe; niſi linguâ ingratâ gentis ingratæ eos ſcripſiſſe arbi-

arbitremur, quod certè non arbitrandum. Cùm enim jam rejiciendus eſſet populus Judaicus, atq; in æternam execrationem damnandus, incongruum certè admodum fuiſſet, linguam eorum, ſive vernaculam Syram, ſive affinem Chaldaicam, eò dignitatis evehere, ut lingua originalis foret Novi Teſtamenti. Incongruum certè Evangelium ſcribere eorum linguâ, qui præ omnibus terrarum orbis incolis Evangelium maximè ſpernerent atque oppugnarent.

11. Cùm ergò per prædicationem Evangelii Gentes eſſent ad fidem vocandæ, atque Evangelium amplexuræ, ſumma cum congruitate ſcriptum eſt Novum Fœdus linguâ Gentilitiâ, eâque, quæ inter Gentilitias nobiliſſima, Græcâ. Videamus quæ de hac lingua Judæi, omnibus præter ſuam ſatis invidioſi.

Megillah, fol. 9. 2. *Rabban Simeon ben Gamaliel dicit, Etiam de libris ſacris non permiſerunt ſapientes, ut ſcriberentur in alia lingua quàm Græca. Rabbi Abhu dicit, dixiſſe Rabbi Iochananem, Traditio eſt ſecundùm Rabban Simeonem, dixiſſe inſuper R. Iochananem, Unde probatur illud Rabban Simeonis? Ex eo quòd dicit Scriptura, Perſuadebit Deus Iapheto, atque habitabit in tentoriis Semi: Verba Iapheti erunt in tentoriis Semi*, Et paulò póſt, יפת אלהים ליפת *Perſuadebit Deus Iapheto*, id eſt, יפיותו של יפת יהא באהלי שם *Decor Iapheti erit in tentoriis Semi.* Ubi Gloſſa, *Decor Iapheti eſt lingua Græca, pulcherrima ex iis linguis, quæ ſunt filiorum Iaphethi.*

Hieroſ. Megillah, fol. 71. 3. *Rabban Simeon ben Gamaliel dicit, Etiam de libris ſacris non permiſerunt, ut ſcriberentur aliâ linguâ quàm Græcâ. Inquiſiverunt ſeriò, atque invenerunt* שאין התורה יכולה להיתרגם כל צורכה אלא יונית: *quòd non poteſt lex verti ſecundùm quod ei neceſſarium eſt, niſi Græcè.* Poſteriorem hanc clauſulam caſtratam habes in *Maſſecheth Sopherim, cap.* 1. *artic.* 7. ubi hæc etiam adjungitur hiſtoria: *Quinq; ſeniores ſcripſerunt legem Græcè pro Ptolemæo rege, fuitque iſte dies acerbus Iſraeli, ſicut dies quo factus eſt vitulus, eò quòd lex non potuit verti ſecundùm quod eſt ei neceſſarium.* Perpenſione digna eſt hæc hiſtoria de *quinque interpretibus* legis, quam rarò aut vix invenias alibi. Hiſtoriam de LXX recitat traditio proximè hanc ſequens in loco citato. Vide.

Cùm ergò periiſſet uſus vulgaris linguæ Hebrææ, cúmque gentis maledictæ lingua vernacula Syriaca aut Chaldaica non potuit eſſe bene-

benedicta, ipsis inimicis nostris judicibus, nulla alia lingua reperiri potuit quæ apta esset ad conscribendam legem divinam [Novam] præter linguam Græcam. Quòd disseminata, atque apud omnes ferè Gentes Orientales in usu, & quasi ferè vernacula fuerit hæc lingua, ídque ubique plantata per victorias *Alexandri*, atque imperium Græcorum, non opus est ut pluribus probemus, cùm ubiq; pateat apud Historicos. Pro vernacula apud se ferè agnoscunt Judæi etiam in Judæa.

Hieros. Megil. ubi supr. col. 2. *Dixit R. Iochanan de Beth Gubrin, Quatuor sunt linguæ nobiles, quibus utitur mundus: vernaculâ ad cantum, Romanâ ad bellum, Syriacâ ad luctum, Hebræâ ad elocutionem; & sunt qui dicant Assyriacâ ad scripturam.* Quænam ea, quam *vernaculam* vocat? Facilimè respondetur, *Græca*, ex encomiis ei attributis, adductis antea: ídque asseverantiùs affirmari potest ex verbis *Midras Tillin*, ad hoc dictum R. Jochanan respicientis, & Græcam linguam nominatim memorantis, *fol.* 25. 4. *R. Iochanan dixit, Tres sunt linguæ: Romana ad prælium, Græca ad ora ionem, Assyriaca ad preces.* Huc etiam pertinet illud, quod semel iterúmque occurrit *Bab. Megil.* fol. 18. 1. בלעז יווני *In vernacula Græca.* Exemplum rei habes *Hieros. Sotah. fol.* 21. 2. *R. Levi Cæsaream veniens audiit* קריין שמע אלוניסתין: *quosdam recitantes Phylacteria Hellenisticé.* Dignum hoc notatu. *Cæsareæ* floruerunt scholæ Rabbinorum celeberrimæ. רבנין דקיסרין *Rabbini Cæsarienses* memorantur apud utrumq; Talmud, præsertim verò Hierosolymitanum, frequentissimè & laudatissimé: at inter hos tamen, quasi vernacula usurpatur lingua Græca ídque in recitandis Phylacteriis, quæ præ omnibus aliis rebus Hebraicè recitanda, in Judæa meritò opineris.

In istac ipsa *Cæsarea*, Evangelium *Matthæi* Hebraicum repositum in Bibliotheca *Pamphili* memorat *Hieronymus*, his verbis. *Matthæus, qui & Levi, ex publicano Apostolus, primus in Judæa propter eos, qui ex circumcisione crediderunt, Evangelium Christi Hebraicis literis verbísque composuit. Quod quis posteà in Græcum transtulerit, non satìs certum est. Porrò ipsum Hebraicum habetur usque hodie in Cæsariensi Bibliotheca, quam Pamphilus martyr studiosissimè confecit. Mihi quoque à Nazaræis, qui in Beræa, urbe Syriæ, hoc volumine utuntur, describendi facultas fuit.*

Mini-

Minimè dubitandum eſt, Evangelium hoc Hebraicè repertum fuiſſe, at, quod bono viro impoſuit, non Autographum *Matthæi* fuit, nec quidem in iſta lingua exaratum à *Matthæo*, ſed ab aliquo è fonte Græco in Hebræum verſum, ut ſic à doctis Judæis, ſi fieri poſſet, legi obtineret. Cùm enim illi extraneis libris parùm eſſent amici, id eſt, vel Ethnicis, vel linguâ non ſuâ ſcriptis, quod ex variis de hac re canonibus elucidari poſſet, videtur aliquis ad Evangelium converſus, bono zelo excitatus, Evangelium *Matthæi* è fonte Græco in Hebraicam linguam tranſtuliſſe, ut docti apud Judæos, qui adhuc non crediderant, illud fortè legerent, cùm jam in lingua ſua ederetur; quod rejectum fuit ab iis, dum in lingua extranea. Sic Evangelium hoc Græcè à *Matthæo* ſcriptum arbitror ob credentes in Judæa, & Hebraicè ab aliquo verſum ob non credentes. Idem etiam ſtatuendum de lingua originali epiſtolæ ad Hebræos: ſcripta erat iſta epiſtola ad Judæos Judæam incolentes, quibus vernacula erat lingua Syriaca, at ſcripta tamen Græcè, ob rationes prædictas. Ob eaſdem etiam Græcè ſcripſit idem Apoſtolus ad Romanos, quamvìs in iſta eccleſia Romani erant, ad quos ſcripſiſſe Latinè videri poſſet conſonantius, & Judæi, ad quos Syriacè.

CAP. II.

VERS. 1. Τοῦ δὲ Ἰησοῦ γεννηθέντος.

Calculus temporum naſcentè Chriſto.

SCHEMA temporum, cùm naſceretur *Chriſtus*, nos ſic proponimus.

I. Natus eſt anno Mundi 3928.

Nam à Mundo condito ad Diluvium numerantur planè anni 1656.

A Diluvio ad promiſſionem Abrahami exhibitam, anni 427. Hoc ſuppoſito, natum eſſe Abrahamum ad annum *Tharæ* 130, quod neceſſariò ſupponendum.

A promiſſione data ad exitum ex *Ægypto*, anni 430. Exod. xii. 41. Gal. iii. 17.

Ab exitu ex *Ægypto* ad jacta Templi fundamenta, anni 480, I Reg. vi. 1.

Conditum est Templum annis 7, I Reg. vi. 38.

Connumeratis ergò omnibus his annis 1656.
427.
430.
480.
7.

Exsurgit summa annorum 3000.

Patétque Templi ædificationem finitam & perfectam anno mundi 3000.

Perfectum est Templum anno *Solomonis* undecimo, I Reg vi. 38. atque indè ad Apostasiam decem tribuum, primo *Rehoboami*, erant anni 30. Ista ergò Apostasia fuit anno Mundi 3030.

Ab Apostasia decem tribuum ad excisas *Hierosolymas* sub *Zedekia*, anni 390; quod patet satis ex chronica computatione parallelorum temporum Regum *Iudæ* atque *Israelis*: quódque innuitur ab *Ezekiele*, cap. iiii. ver. 5. *Tu dormies super latus tuum sinistrum, & pones iniquitates domûs Israelis super eo, &c. Numero dierum, trecentos & nonaginta dies. Et cùm compleveris hæc, dormies supra latus tuum dextrum secundò, & assumes iniquitatem domûs Iudæ quadraginta diebus.* De computatione horum annorum ambigitur, an scilicet quadraginta isti anni connumerandi sint intra annos trecentos & nonaginta, an per se, ut annos istos 390 subsecuti. Nos priorem sententiam meritò amplectimur, inclusósq; istos annos 40 arbitramur intra summam annorum 390, at per se, & singulatim memoratos, ob causam singularem. Per quadraginta enim annos ante urbis excidium per Chaldæos, assiduè inter populum prophetavit *Ieremias*, à decimo tertio scilicet *Iosiæ* ad eversam civitatem; cui non auscultans populus de peculiari ista iniquitate notatur hâc notâ.

Additis ergò his 390 annis ad annum mundi 3030 cùm recederent à domo *Davidica* decem tribus, exsurgit ætas mundi, cùm periret Hierosolyma, ad annum 3420.

Restabãt tunc temporis anni captivitatis Babylonicæ explendi 50. Nam initium sumserunt memorabiles isti septuaginta anni ab anno tertio *Ichoiachimi*, Dan. i. 1. cujus quartus inchoat Monarchiam *Babylonicam*, Jer. xxv. 1. Decimo autem nono *Nebuchadnezzaris*

corruit

corruit Templum, II Reg. xxv. 8. cùm jam laberetur annus captivitatis vicesimus: restarentq; alii quinquaginta; quibus 50 additis ad annum mundi 3420 Templo fatalem, exsurgunt anni mundi primo *Cyri* ad 3470.

A primo *Cyri* ad mortem Christi, Hebdomadæ annorum septuaginta, vel anni 490, Dan. ix. 24. Hos addas ad 3470, & Christum crucifixum observas anno mundi 3960. Cùm ergò ademeris annos 32 & dimidium, quibus versatus est Christus in terris, eum natum comperies anno mundi 3928.

II. Natus est anno *Augusti Cæsaris* xxxi, inchoato Monarchiæ ejus calculo à Victoria *Actiaca:* de qua re sic *Dion Cassius* lib. 51. in ipso initio. Τοιαύτη τις ἡ ναυμαχία αὐτῇ τῇ δευτέρᾳ τῆ Σεπτεμβρείᾳ ἐγένετο. Τοῦτο δ' οὐκ ἄλλως εἶπον [οὐδὲ γὰρ εἰωθα αὐτὸ ποιεῖν] ἀλλ' ὅτι τότε πρῶτον ὁ Καῖσαρ τὸ κράτος πᾶν μόνος ἔσχεν. ὥστε καὶ τὸν ἀριθμὸν τῆς μοναρχίας ἀπὸ ἐκείνης τῆς ἡμέρας ἀκριβοῦσθαι. Computationem hanc nostram confirmamus, deductâ ab hoc *Augusti* anno tabulâ Chronologicâ ad annum *Tiberii* decimum quintum, cùm *Christus*, expleto jam anno ætatis suæ vicesimo nono, ac tricesimum jam tunc iniens, baptizaretur. Eam autem, additis uniuscujusque anni Consulibus, sic formamus.

Anni Mundi	*urbis cond.*	*Augusti*	*Christi nat.*	COSS.
3928	754	31		*Cæs. Aug.* xiiii. & *L. Æmyl. Paulus.*
3929	755	32	2	*Pub. Vinicius*, & *Pub. Alfenus Varus.*
3930	756	33	3	*L. Ælius Lamia*, & *M. Servilius.*
3931	757	34	4	*Sext. Æmilius Carus*, & *C. Sentius Saturninus.*
3932	758	35	5	*L. Valerius Messalla*, & *Cn. Corn. Cinna Magn.*
3933	759	36	6	*M. Æmil. Lepidus*, & *L. Aruntius.*
3934	760	37	7	*A. Licin. Nerv. Silanus*, & *Q. Cecil. Metel. Cret.*
3935	761	38	8	*Furius Camillus*, & *Sext. Nonius Quintilianus.*
3936	762	39	9	*Q. Sulpit. Camerin.* & *C. Poppæus Sabinus.*
3937	763	40	10	*Pub. Corn. Dolabel.* & *C. Junius Silanus.*
3938	764	41	11	*M. Æmil. Lepid.* & *T. Statilius Taurus.*
3939	765	42	12	*Germanicus Cæs.* & *C. Fonteius Capito.*
3940	766	43	13	*L. Munatius Plancus*, & *C. Silius Cæcina.*
3941	767	44	14	*Sext. Pomp. Sexti F.* & *Sext. Apuleius Sexti F.*

Obit *Augustus Cæsar* die decimo nono *Augusti:* quâ die quondam primum Consulatum inîerat. Vixit annos Ixxv. menses x, dies xxvi. Solus summum imperium gesserat à Victoria *Actiaca* annos XLIIII, diebus XIII tantùm deficientibus. *Dion. Cass. lib.* 56.

Anni Mundi	*urbis cond.*	*Tiberii.*	Christi.	*Tiberius ingenti socordiâ imperium gerit, gravi crudelitate, scelestâ avaritiâ, turpi libidine.* Eutrop. lib. 7. COSS.
3942	768	1	15	*Drusus Cæs.* & *C. Norbanus Flaccus.*
3943	769	2	16	*C. Statil. Sisenna Taurus,* & *Scribonius Libo.*
3944	770	3	17	*C. Cæcil. Rufus,* & *L. Pomponianus Flaccus.*
3945	771	4	18	*Tiber. Cæs. Aug.* III. *Germanicus Cæs.* II.
3946	772	5	19	*M. Iulius Silanus,* & *L. Norban. Flac.* vel *Balbus*
3947	773	6	20	*M. Valer. Messala,* & *M. Aurel. Cotta.*
3948	774	7	21	*Tiber. Cæs. Aug.* IIII. & *Drusus Cæs.* II.
3949	775	8	22	*D. Haterius Agrippa,* & *C. Sulpitius Galba.*
3950	776	9	23	*C. Asinius Pollio,* & *C. Antistius Veter.*
3951	777	10	24	*Sext. Cornel. Cethegus,* & *Visellius Varro.*
3952	778	11	25	*M. Asinius Agrippa,* & *Cossus Cornel. Lentulus.*
3653	779	12	26	*Cn. Lentul. Getulicus,* & *C. Calvisius Sabinus.*
3954	780	13	27	*M. Licinius Crassus,* & *P. L. Calpurnius Piso.*
3955	781	14	28	*Appius Jul. Silanus,* & *P. Silvius Nerva.*
3956	782	15	29	*C. Rubellius Geminus,* & *C. Fusius Geminus.*

Primo vere hujus anni prodit *Joannes* baptizans. Mense *Tisri* baptizatur *Christus,* cùm annum ætatis suæ jam compleverat vigesimum nonum, & tricesimum tantùm recèns inchoaverat. Tricesimus *Christi* cum decimo sexto *Tiberii* est connumerandus.

De *Augusto* annum tricesimum primum suum [quo natus est *Christus*] jam ingrediente, hæc porrò *Dion. Cass.* Πληρωθείσης δὲ οἱ καὶ τῆς τρίτης δεκαετίας τὴν ἡγεμονείαν καὶ τὸ τέταρτον ἐκβιασθεὶς δήθεν ὑπεδέξατο· πραότερός τε καὶ ὀκνηρότερος ὑπὸ τοῦ γήρως. Isthoc ipso anno fuit *Census* sub *Cyrenio,* de quo *Lucas* cap. 2. Ità ut, si quæratur quandonam orta est quinta Monarchia [*Romanorum* scilicet], post extinctas quatuor istas à *Daniele* memoratas, facilis à *Luca* potest peti responsio: qui ipsissimo isthoc anno, quo natus est *Christus, Augustum* censum in universum orbem imposuisse refert.

III. Natus

III. Natus est *Christus* anno regni *Herodis* xxxv; quod ex his observatis elicimus. 1. Regnavit *Herodes*, ex eo quo primùm est rex declaratus à *Romanis*, annos xxxvii. *Ioseph. Antiq.* lib. 17. cap. 10. 2. Inter mortem *Herodis* & mortem *Augusti* hæc temporum intercapedo,

1. Decem anni currentes regni *Archelai*, Joseph. Ant. lib. 17. cap. 15.

2. Ei, in *Viennam* relegato, in procuratione *Judææ* succedit *Coponius*. Idem ibid. & lib 18. cap. 1.

3. *Coponium* excepit *Marcus Ambibuchus*.

4. *Ambibuchum Annius Rufus*, quo *Judæam* procurante obit *Augustus*. Idem ibid. cap. 3.

Cùm ergo à nativitate *Christi* ad *Augusti* mortem laberentur tantùm anni quatuordecim [ex quibus, cùm decem *Archelai* currentes numeraveris, ac trium procuratorum rempora], non nisi in extremis *Herodis* annis natum esse *Christum*, necesse est supputare: nos sic conjicimus.

Anno ejus tricesimo quinto, natum esse *Christum*.

Anno tricesimo septimo jam inchoato recèns, advenisse *Magos*: illicò infanticidium, & post perpaucos menses *Herodis* mortem.

IIII. Natus est *Christus* circa annum Præsidatûs *Hillelis* in Synhedrio xxvii.

Occasum familiæ *Asmonææ* excepit ortus familiæ *Hilleliane* [regnum quidem excepit *Herodes*.] è *Babylone* oriundæ, éque stirpe, ut creditum est, *Davidis*: Nam *liber Genealogicus repertus est Hierosolymis* [quod memoravimus anteà] *in quo scriptum est Hillelem ortum esse è stirpe Davidis, per uxorem ejus, nempe Abitalem.* Hieros. Taanith fol. 68. 1. Ascendit autem *Hillel* è *Babylone Hierosolymas*, de rebus quibusdam scitaturus sapientes, cùm jam, post mortem *Shemaiæ* atque *Abtalionis*, cathedras primas tenerent duo filii *Betiræ*. Cúmque ille, qui illuc ut aliquid disceret accesserat, eos quædam de ritubus Paschalibus, quæ ipsis exciderant, edoceret, suffecerunt eum illi in primatum. Historiam plenam habes, *Hieros. Pesachin fol.* 33. 1. exhibemus ad cap. xxvi. 1.

Ascendit autem *Hillel* Hierosolymas cathedrámque capessivit annis centum ante excidium urbis. הילל ושבעין גמליאל ושבעין נהונו נשיאותן לפני הבית ק שנה: *Hillel, & filius*

ejus Simeon, atque ejus filius Gamaliel, atque ejus filius Simeon principatum geſſerunt per annos centum ante vaſtatum Templum. Bab. Schab. fol. 15. 1. Ex centum iſtis annis ſi demas annos xxxii & dimidium vitæ Chriſti, & XL annos intercedentes [ut vulgò ſupputatur] inter mortem *Chriſti* atque excidium urbis, ſuperſunt anni xxvii *Hillelis* ante natum Salvatorem.

Principatum tenuit *Hillel* per annos quadraginta, [ità ut ejus obitus inciderit circa annum Chriſti duodecimum aut decimum tertium] filiúsque poſt eum, ac longâ ſerie nepotes, uſque ad *Rabbi Judah ſanctum*. Familiæ hujus *Hilleliana* ſplendor & pompa ità reliquas ſtirpis *Davidicæ* familias obſcurayerat, ut ex iis naſcendum *Meſſiam* forſan minùs crederent vel expectarent.

Imò perſuaſum ferè cuidam eſt apud Gemaram Babylonicam, *Rabbi Iudam Sanctum è familia Hilleliana eſſe Meſſiam*. Sanhedr. fol. 98. 2, אי מן חייא כנוון רבינו הקדוש *Rabh dixit, Si è vivis ſit Meſſias, Rabbi noſter Sanctus talis eſt; ſi è mortuis, Daniel.*

V. Natus eſt *Chriſtus* menſe *Tiſri*: Septembri noſtro aliquantùm parallelo. Hoc concludimus, omiſſis aliis, ex retrograda computatione à morte ejus. Nam, ſi mortem obiit annos xxxii & dimidium agens, ad feſtum Paſchatis, menſe *Niſan*, neceſſe eſt ut natalitia ejus rejicias ad menſem *Tiſri*: aſt ad id ætatis eum obiiſſe, nè pluribus immoremur, ex hoc liquet, quòd baptizatus fuerit trigeſimum annum jam inchoans, vixeritque poſt baptiſmum annos tres & dimidium; prout publici ejus miniſterii ſpatium determinatur per Angelum Gabrielem, Dan. ix. *In medietate Hebdomadæ*, id eſt, annis tribus & dimidio, *ceſſare faciet ſacrificium*, &c. ſed de hoc inferiùs.

Nobilitatus fuit hic menſis olim. 1. Creatione mundi. Perpende Exod. xxiii. 15. Joel ii. 23. 2. Nativitate primorum patrum, quod non ſine ratione aſſerunt Judæi. *Hieroſ. Roſh haſhanah. fol.* 56. 4. 3. Reparatis tabulis legis; nam *Moſes*, poſt tertium jejunium quadragenarium, deſcendit à monte nuntius bonorum, decimo die hujus menſis, qui & inde inſtitutus eſt in feſtum Expiationis, in ſecula ſubſequentia. 4. Dedicatione Templi. 1 Reg. viii. 2. 5. Triplici ſolennitate feſtorum, viz. Initii anni, Expiationis, & Scenopegiæ: ab hoc menſe etiam initium Jubilæi.

VI. Probabile eſt natum *Chriſtum* ad feſtum Scenopegiæ. 1. Sic juſtus

juſtus exſurgit calculus annorum xxxii & dimidii, cùm mortuus ſit ad feſtum Paſchatis. 2. Typicam Paſchatis & Pentecoſtes æquitatem adimplevit, cùm ad Paſcha ſeipſum obtulit pro Paſchate, ad Pentecoſten donavit è cœlo Spiritum Sanctum, prout eo tempore data eſt lex è cœlo. Tunc temporis ab eo exhibitæ primitiæ Spiritûs, [Rom. viii. 23.] quo ſolitæ exhiberi primitiæ frugum, Levit. xxiii. 17. Mirum certè eſſet, ſi tertiam ſolennitatem, feſtum ſcilicet Tabernaculorum nullo antitypo decoraret. 3. Concinit admodum inſtitutio feſti Tabernaculorum. Nam cùm *Moſes* decimo menſis *Tiſri* è monte deſcenderet, nuntians pacatum Deum, condonatum populum, atque illicò incipiendam ædificationem Tabernaculi ſacri [per & propter vitulum aureum adhuc impeditam] quippe quòd jam vellet Deus inter eos habitare, & non ampliùs eos deſerere: tabernacula ſua illicò figunt Iſraelitæ, ſcientes ſe non ab iſto loco migraturos ante perfectum Tabernaculum divinum, atq; iſtud opus nervoſè aggrediuntur: unde decimus iſtius menſis dies, quo deſcendit *Moſes* hæc bona nuntians, inſtitutus eſt in feſtum Expiationis; ac decimus quintus dies, ſeptémque eum ſequentes, in feſtum Tabernaculorum, in memoriam habitantium in eremo in Tabernaculis, Deo in medio eorum habitante: quæ quàm aptè typico aſpectu incarnationem reſpiciant, cùm Deus inter homines habitaret humanâ carne, patet ſatis. 4. Perpende *Zechar.* 14. ver. 16, 17.

Ἐν Βηθλεέμ.

Non incongruum erit hîc adducere ipſiſſimos Gemariſtas, apertè confitentes natum fuiſſe Meſſiam jam olim ante ſua tempora: Sic enim illi in *Hieroſ. Beracoth*, fol. 5. 1. *Poſt hæc convertentur filii Iſraelis, & requirent Dominum Deum ſuum, & Davidem regem ſuum, Hoſ.* iii. 5. *Rabbini noſtri dicunt, Iſte eſt rex Meſſias, Si è vivis ſit ille, David eſt nomen ejus. ſive è mortuis ſit ille, David eſt nomen ejus. R. Tanchum dixit, Ego ſic probo. Miſericordiam præſtat Meſſiæ ſuo Davidi* [*Pſal* xviii. 50.] *R. Ioſhua ben Levi dicit, Nomen ejus eſt* צמח *Germen*, [*Zech.* iii. 8.] *R. Iudan bar Aibu dicit, Nomen ejus eſt Menahem*, [id eſt, Παράκλητος.] *Atque huic rei ſuffragatur illud quod evenit Iudæo cuidam aranti. Aranti Iudæo cùm bos mugiret, Arabs quidam itinerans, mugitúmq; audiens, dixit, Solve, ô Iudæe, boves tuos, atque aratra tua ſolve, nam ecce! vaſtatum eſt templum veſtrum. Mugiit bos ſecundò.*

א

"אל בר יודאי יודאי קטור תורין וקטור קנקנין דהא יליד מלכא משיחא: *Dicit ei Arabs, O Judæe, Judæe, sub juga mitte boves tuos, atque alliga aratra tua, nam ecce natus est rex Messias. At Judæus, Quodnam est ei nomen? Menahem, inquit ille. Et quodnam est nomen patris ejus? Hezekiah, inquit Arabs. Cui Iudæus, Atque undenam ille? Respondit alter, E palatio regis Bethlehem Iudæ. Abiit ille, ac vendidit boves, & vendidit aratra, factúsque est venditor fasciarum infantilium, vicatim proficiscens. Cùm ad urbem istam* [Bethlehem] *accederet, omnes mulieres ab eo emerunt, at mater Menahemi nihil emit. Audiit vocem mulierum dicentium, O mater Menahemi, O mater Menahemi affer quæ hìc venduntur filio tuo. At illa, Strangulationem apprecor hostibus Israelis, quia quo die ille est natus vastatum est Templum. Cui ille, At nos sperabamus, prout ad pedes ejus est vastatum, ità ad pedes ejus ædificandum fore. Dicit illa, Deest mihi pecunia. Cui ille, At cur hoc ei noceret? Affer illi hinc coempta, & si non adsit tibi hodie pecunia, post aliquot dies redibo & recipiam. Post aliquot dies redit ad istam urbem, & dicit ei, Quid agit infantulus? Et illa, Ex quo tempore, inquit, me vidisti, venerunt spiritus & tempestates, atque eum è manibus meis abripuerunt. Dicit R. Bon, Quid opus est ut discamus ab Arabe? Nonne planè est scriptum? Et Lebanon corruet præ potenti* [Esa. x. 34.] *Et quid deinde sequitur, Prodibit germen è stirpe Iesse,* [Esai. xi. 1.]

Confessionem non admodum disparem exhibent etiam Doctores Babylonici, in *Avodah Zarah.* fol. 9. 2. *Dicit R. Chanina, Post elapsos quadringentos annos ab excidio Templi, si dixerit tibi quispiam, Accipe tibi denario uno agrum valentem denarios mille, nè accipias.* Itémque, *Post annos quater millenos ducentenos triginta & unum à creatione mundi, si dixerit tibi quispiam, Accipe tibi denario uno agrum valentem denarios mille, nè accipias.* Glossa; *Nam istud est tempus redemptionis, & tu reducêris ad montem sanctum, ad hæreditatem patrum tuorum; quare ergò disperderes denarium tuum?*

Rationem hujus calculi petas licet, si vacat, è tractatu *Sanhedrin*, fol. 97. *Traditio Scholæ Eliæ, Per sex mille annos duraturus est mundus,* &c. & paulò post, *Dixit Elias Rabh Iudæ, Mundus duraturus est non minùs quàm per Jubilæos octoginta quinque; atque in Jubilæo ultimo adveniet filius Davidis. Dicit ei, Nunnam*

in

in ejus initio, an in exitu? Respondit ei, Non novi. Num consummandum priùs est totum hoc tempus, an non? Respondit ei, Non novi. At Rabh Asher asserit eum sic respondisse, Eo usque nè eum expectes, at exinde expectato. Audi tuos, ô Judæe: quot annorum Centuriæ elapsæ sunt à mundi Jubilæo octogesimo quinto, id est, anno 4250, & tamen Messias expectationis tuæ adhuc non apparuit?

Tempus adventûs veri *Messiæ* tam lucidè definierant Hebdomadæ *Danielis*, ut universæ gentis erigerentur animi in ejus expectationem. Hinc de Baptista dubitatur annon ille *Messias*, Luc. iii. 15. Hinc ab universis regionibus congregantur Judæi ad Hierosolymas, Act. ii. expectantes, & spectatum venientes, eò quòd jam tum adesset terminus à *Daniele* præfixus revelandi *Messiæ*. Hinc tantus numerus Pseudo-Christorum, Matth. xxiiii. 5, &c. ansam deceptionum suarum hinc arripientium, quòd jam adesset & compleretur tempus magnæ istius expectationis: Et, ut uno omnia, Luc. xix. 11. *Putârunt fore ut regnum Dei illico appareret.*

Cùm verò elapsa essent tempora ista expectationis, nec appareret *Messias* qualis ab iis expectatus [nam verum *Messiam* cùm viderent, videre noluerunt] in varias primùm, easque vesanas, de tempore conjecturas est proruptum, ac tandem omnibus istis in inane redeuntibus, in diras hasce concluſum est, sempiternæ cœcitatis meritò genitrices, תפח רוחן של מחשבי קצין *Rumpatur spiritus computantium tempora.*

Μάγοι ἀπὸ ἀνατολῶν.

Magi] Id est, Venefici, vel malis artibus dediti, nam in hoc solùm sensu occurrit hæc vox in pagina sacra.

Ab Oriente] Generaliùs hoc *è terra Ethnica* denotat, eodem sensu quo *Regina Austri*, Matth. xii. 42. id est, Regina Ethnica. Perpende hoc Talmudicum, מרקם למזרח ורקם כמזרח מאשקלון לדרום ואשקלון כדרום מעבו לצפון ועבו כצפון: *A Rekam ad Orientem, & Rekam est sicut Oriens. Ab Ascalone ad Meridiem, atque Ascalon est sicut Meridies. Ab Acone ad Septentrionem, atque Acon est sicut Septentrio.* Hæc ex *R. Judah* citat *R. Nissim* in *Gittin*, cap. 1. art. 1. atque illustrat hoc glossemate: *A Rekam usque ad fines ultimos terræ Orientem versus, est terra*

Ethnica: ac Rekam ipſa pro Oriente mundi reputatur, non pro terra Iſraelitica. Ità etiam ab Aſcalone porrò ad Meridiem eſt regio Ethnica, ac Aſcalon ipſa pro meridie [id eſt, pro terra Ethnica] *habetur*, &c.

Singulariùs regiones iſtæ, quò diffuſi ſunt filii *Abraha* ex uxore *Chetura*, Orientales dicuntur *Gen.* xxv. 6. *Judic.* vi. 3. alibíque ſæpe atque hinc adveniſſe Primitias has Gentium unde & Proſelytus primus ad legem, *Jethro*, non eſt abſimile. Et quod de Arabe primo nati *Meſſiæ* indice, à Gemara dicitur, umbra forſan aliqua eſt hujus hiſtoriæ de Magis ex Arabia advenientibus, primúmque aperte nuntiantibus eum natum.

VERS. 2. Εἴδομεν γὰρ αὐτοῦ τὸν ἀστέρα ἐν τῇ ἀνατολῇ.

Nos in Oriente exiſtentes vidimus ejus ſtellam. Lux illa cœleſtis, quæ, ipſâ nocte nativitatis ſalutiferæ, paſtores *Bethleemiticos* circumfulſit, Magis hiſce longè indè ſemotis forſan viſa eſt ſtellæ inſtar, Judææ impendentis; unde facilius eis eſſet conjectari omen ad Judæos pertinere.

VERS. 4. Καὶ συναγαγὼν πάντας τοὺς ἀρχιερεῖς, καὶ γραμματεῖς τοῦ λαοῦ.

Id eſt, Congregavit omne Synhedrium. Occidiſſe quidem dicitur ab authoribus quamplurimis *Herodes* Synhedrium: ſed hoc nec de toto Synhedrio eſt intelligendum, nec ſi de totoeſſet intelligendum totalem Synhedrii ſubverſionem denotaret. Hiſtoriam ſic referunt Gemariſtæ Babylonici, in *Bava Bathra. fol.* 3. 2. *Herodes fuit ſervus familiæ Aſmonæ. Oculos conjecit in puellulam* [ex iſta familia]. *Die quodam audiit Bath Kol* [vocem cœleſtem] *dicentem, Quicunque ſervus jam rebellaverit proſperè rem geret. Inſurrexit in Dominos ſuos, atque omnes occidit.* Et paulò poſt, *Dixit Herodes, Quis eſt qui interpretatur hæc verba, Regem in te ſtatues è medio fratrum tuorum.* [Deut. xvii. 15.] *Rabbini* [interpretati ſunt] *Surrexit atque occidit omnes Rabbinos, relicto ſolùm Bavâ ben Buta, quem conſuleret.*

Duo ardua ab *Herode* ſuperanda erant ut cum pace & favore Judæorum, in eos regnaret. Nam quamvis à Romanis in regnum evectus fuerat, ut tamen, ſedato & acceptante populo, ſolium ſuum ſtabiliret, primò amovendam ei neceſſarium viſum eſt familiam

Aſm-

Asmonæam, quæ, populo jam olim imperans, ei nonnihil erat in deliciis, & quâ superstite quietè vix sibi futurum suspicabatur. Totam ergò hanc familiam primò extirpat. Secundò obsepsit ei lex ista de rege non nisi de fratribus suis præficiendo, cùm esset ipse è stirpe Edomæâ. Rabbinos ergò istos, qui legi huic mordicùs adhærentes, accessioni ipsius ad regnum, quoad potuerunt, posuerunt obicem, ille omnes tulit è medio. *At omnes Rabbinos certè non interfecit* [inquit glossa in locum allegatum] *nam filii Betiræ superstites relicti sunt, qui cathedram tenuerunt, cùm adventaret Hillel è Babylone.*

Omnes ergò Synhedrii seniores non interfecit, sed eos tantùm, qui, ex lege ista ansam arripientes, accessioni ejus ad regnum restiterunt. Evaserunt ex ista strage filii duo *Betiræ* cathedras in Synhedrio primas occupantes à morte *Shemaiæ & Abtalionis*. Evasit & *Shammæus*, qui, referente *Josepho*, cœdem hanc prædixerat. Evasit & *Hillel*, si modò tunc aderat, & *Menahemus*, qui certè aderat, quique illico in cathedra sedit secunda. Evasit etiam, ut refert Gemara, *Bava ben Buta*, qui posteà *Herodi* persuasit, ut Templum restauraret, quò scelus hoc cruentum expiaret. Evasere etiam alii.

Ἀρχιερεῖς.

Cùm constaret Synhedrium è Sacerdotibus, Levitis, atque Israelitis (ut docet *Maimonides in Sanhedr. cap.* 2.) sub voce Ἀρχιερεῖς hìc comprehenduntur duo priores, quotquot scilicet è clero erant è Synhedrio: & sub *Scribis populi* omnes isti è Synhedrio, qui non fuerunt de clero.

Sacerdotes varias subîerunt discriminationes.

I. Fuerunt è Sacerdotibus qui כהני עם הארץ vocarentur, quasi dicas, *Sacerdotes plebei*, qui nempe, non è plebe quidem essent, sed educatione scholasticâ carerent, atque inter doctos, ac religioni devotos, non numerarentur. Cùm enim totum semen *Aaronis* esset sacerdotale, & Sacerdotes non tam facti essent, quàm nati, non mirum, si inter eos reperirentur & rudes & pauperes. Hinc illa distinctio *Hieros. Trumoth fol.* 44. 1. עניי ישראל ועניי כהנים מלקטין *Pauperes Israelitæ, & pauperes Sacerdotes colligunt.* Et col. 2. כהן חבר וכהן עם הארץ *Sacerdos votarius*

& ſacerdos plebeius. Et cautum eſt שאין תרומה לכהן עם הארץ *Nè detur oblatio Sacerdoti plebeio.* Redditúrque ratio, *Quia quicunque oblationem dat Sacerdoti plebeio idem facit, ac ſi leoni daret, de quo dubitari poteſt an calcaturus ſit pedibus, & comeſturus an non. Ità de ſacerdote plebeio dubitari poteſt, an comeſturus ſit in munditia an in immunditia. Bab. Sanhedr. fol.* 90. 2. Utcunque, hi indocti & rudes vices tamen ſuas ad altare pro ſorte ſubierunt, regulis quibuſdam tunc temporis edocti ad munus ſorte decretum. Obſtupeſcas, ea legens, quæ de inſcitia ac ruditate vel ipſius ſummi Pontificis ſupponuntur, Joma cap. 1.

II. Fuerunt, qui vocarentur כהנים הדיוטות *Sacerdotes Idiotæ*, vel privati, qui, quamvis & docti eſſent, & publico munere ad altare fungerentur, *Privati* tamen dicebantur, eò quòd inferioris ordinis eſſent Sacerdotes, & non dignioris.

III. Dignior gradus Sacerdotum fuit quadruplex, præter gradum ſummi Pontificis, atq; τῦ Sagan ejus vicarii. Nam, 1. erant *Capita Ephemeriarum* ראש משמר. numero viginti quatuor. 2 *Capita familiarum* in unaquaque Ephemeria, ראש בית אב. De utriſq; vide *Hieroſ. Taanith*, fol. 68. 1. 3. ממונים שהיו במקדיש *Præfecti variis officiis in Templo*, de quibus vide *Shekalim* cap. 5. 4. Si qui Sacerdotes, vel Levitæ quidem [quamvis non ex his ordinibus] cooptati fuerunt in ſummum Synhedrium. Ἀρχιερεῖς ergò hìc alibíque, ubi de Synhedrio agitur, ii fuerunt, qui in ſupremum illunc Senatum conſcripti fuerunt, de ſtirpe Sacerdotali aut Leviticâ.

Γραμματεῖς τῦ λαῦ.

סופר Γραμματεὺς generaliùs quemlibet doctum denotat, & opponitur τῷ בור *rudi* vel agreſti, *Bab. Beracoth. fol.* 45. 2. *Duo, qui ſimul comedunt, gratias agere tenentur ſingulatim* כששניהם סופרים *Cùm ambo ſunt Scribæ:* אבל אחד סופר ואחד בור סופר מברך ובור יוצא: *At verò ſi unus ſit Scriba, & alter rudis*, vel agreſtis, *gratias agat Scriba atque indè ſatisfit officio rudis*, vel indocti. Sic סופרי כותיים *Scribæ Samaritanorum, Bab. Sotah, fol.* 33. 2. id eſt, *Docti inter Samaritanos:* nam inter eos non erant traditionarii.

Singulariùs סופרים eos denotat, qui docti quidem eſſent, atque educationis Scholaſticæ, tractando calamo, atque ſcriptioni præcipuè

præcipuè ſeſe addixerunt: quales erant, Notarii publici in Synhedriis, Regiſtrarii in Synagogis, Amanuenſes tranſcribendis, legi, Phylacteriis, ſententiolis poſtibus affigendis, contractuum libellis, aut divortii, &c. operam navantes. Atque hoc ſenſu ספרא & תנא aliquando pponuntur, quamvis non eſſet תנא qui ſenſu antè dicto non eſſet ספרא. In *Bab. Avodah Zarah fol.* 9. 1, &c. diſcutitur, [quod lectu non indignum] quota nam diſcrepantia computi toleretur inter תנא *Expoſitorem* è cathedra vel pulpitis, & ספרא *Scriptorem* contractuum aut libellorum repudii, vel Regiſtrarium, &c. in enumerandis annis Templi, Imperii Græcorum, &c. De qua re hoc inter alia concluſum eſt. ספרא בצירא תנא הוכפאת Quòd *Scriba compendioſè computet, Doctor copioſiùs:* Lecti loci non pigebit, utì nec lecti tractatûs iſtius, qui מסכת סופרים vocatur, qui Scribis iſtiusmodi, de qualibus jam ſermo, dictat, de exſcribendis lege, Phylacteriis, &c.

At præ omnibus aliis Traditionum Patres *Scribæ* audiunt [qui quidem erant Seniores Synhedrii] quod ſatìs liquet in his atque hujuſmodi locutionibus: דברי סופרים חביבים מדברי תורה: *Verba Scribarum ſunt amabiliora quàm verba legis:* id eſt, *Traditiones præſtant legi ſcriptæ:* זה מדברי סיפום. *Hoc eſt è dictis Scribarum,* id eſt, *Hoc eſt ex decretis traditionalibus.*

Hi ergò, quos *Scribas Populi* vocat *Matthæus*, Seniores iſti è Synhedrio fuerunt, qui non è Sacerdotali aut Levitica ſtirpe creti eſſent; ſed ex aliis orti tribubus: Seniores Synhedrii Sacerdotali ſanguine orti, fuerunt *Scribæ Cleri*, reliqui fuerunt *Scribæ Populi.*

Conjecturâ ergò non improbabili in conventu hoc ab *Herode* convocatos inter alios, hos præſentes hariolari poſſumus. 1. *Hillelẽ præſidem.* 2. *Shammæum vice-præfectum.* 3. *Filios Betiræ, Judam & Joſhuam.* 4. *Bavam ben Buta.* 5 *Jonathanem filium Uzzielis*, Chaldæum Paraphraſten. 6. *Simeonem filium Hillelis.*

VERS. 6. Οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ.

Nequaquam pugnant hæc verba cum verbis Prophetæ, unde proferuntur, Mich. v. צעיר להיות באלפי יהודה Quæ ego ſic reddo, Tu verò Bethlehem Ephrata, *parvum eſt ut ſis* [vel numereris] *inter chiliadas Judæ:* nam ſublimiori dignitate tu es coronanda, *ex te enim prodibit dominator*, &c. Et in hunc ferè ſenſum, ni ego fallor, apertè reddit Chaldæus Paraphraſtes, quem in hoc Concilio præ-

ſentem ſuſpicamur, כזעיר הויתא לאתמנאה *Intra pauxillum es ut præficiaris.* Vide eundum ſenſum vocis זעיר in Targ. Pſal. lxxiii. 2. Hoſ. i. 4, &c.

VERS. 9. Ἀστὴρ, ὃν εἶδον ἐν τῇ ἀνατολῇ, προῆγεν αὐτούς.

Fulſerat ſtella, ipſiſſimâ, ut veriſimile eſt, nocte nativitatis, atque exinde ad hoc uſque temporis diſparuerat. Eâ duce non opus erat Magis *Hieroſolymas* tendentibus, urbem ſatìs notam: aſt indè *Bethlehemum* pergentibus, ídque, ut videtur, noctu, dux eſt viæ.

VERS. 14. Ἀνεχώρησεν εἰς Αἴγυπτον.

Judæis præter modum repleta jam erat *Ægyptus*, ídque partim ob migrantes illuc ſub *Jochanane filio Kareæ*, Hierem. xliii. partim ob confluentes illuc, nuperiùs, ad Templum *Oniæ*, de quo *Joſeph. Ant. lib.* 13. *cap.* 6. & Talmud utrumque in *Menachoth*, *cap.* 13. & *Succah*, *cap.* 5. *Hieroſ. Ioma*, fol. 43. 4. *Cùm diceret Simeon Juſtus, Ego hoc anno ſum moriturus. Dixerunt ei, Quemnam ergò vice tuâ ſufficiemus? Reſpondit.* חנה בני נחונין: *Ecce filius meus Onias eſt coram vobis. Conſtituerunt ergò Onian ſummum Pontificem. Invidit autem ei frater ejus Simeon. Fugit ergò Onias, primùm in montem regium, ac deinde in Ægyptum, condiditque illìc altare, illud recitans Propheta, In die illo erit altare Domino in medio Ægypti.*

Idem Succah, fol 55. 1, 2. *Qui non vidit Eccleſiam cathedralem Alexandriæ, non vidit unquam gloriam Iſraelis. Baſilica inſtar erat, duplicata porticus. Erant aliquando illìc qui numerum exeuntium ex Ægypto duplò excederent; Erántque ſpetuaginta cathedræ aureæ gemmataeque, pro numero ſeptuaginta ſeniorum. Suggeſtum etiam ligneum in medio collocatum, in quo ſtetit Epiſcopus Synagogæ. Cùmque lex legeretur, ſigno poſt unamquamque benedictionem à privato dato per ventilationem ſudarii, reſponderunt omnes Amen. At confuſè, & mixtim, non ſederunt; ſed unusquiſque artifex, cum profeſſoribus ejuſdem artificii. Ità ut ſi adveniret peregrinus, cum ejuſdem opificii mechanicis ſe poſſet commiſcere*, &c. *Hos perdidit Trajanus impius*, &c.

Eadem ferè repetit Gemara Babylonica, *Succah*, fol. 51. 2. hæc ultima ſic proferens: *Confuſè non ſederunt, ſed unà Artifices, unà Argentarii, unà Ærarii, unà Textores*, &c. *Ità ut ſi ingrederetur*

tur peregrinus pauper, ſuos coartifices poſſet cognoſcere; atque ad eos ſe conferre, atque inde alimoniam ſuam, familiæque, recipere.

Sic paupertati *Joſephi* & *Mariæ*, dum in *Ægypto* [*Alexandriæ*, ut probabile] peregrinarentur, eſt conſultum, divenditis partim in viaticum atque alimoniam Magorum donis, ac partim à ſuis in *Ægypto* ſuppeditato victu, cùm fuit opus.

Profectionis hujus Salvatoris in *Ægyptum* ſunt veſtigia quædam apud Talmudicos, at venenatâ malitiâ atque blaſphemiâ ità corrupta [prout omnia] ut veritatem ideò ſolùm confeſſi videantur, quò habeant unde ei liberiùs convitientur. Sic enim illi, *Bab. Sanhedr.* fol. 107. 2. *Cùm Iannai rex occideret Rabbinos, abierunt R. Joſhua ben Perachiæ, & Jeſus ad Alexandriam in Ægypto. Miſit eò Simeon ben Shetah ſic dicens, A me Hieruſalem civitate ſanctâ tibi, ô Alexandria in Ægypto, ſivori meæ ſalutem. Maritus meus apud te habitat, dum ego interea ſedeo ſola. Surrexit ergò & advenit.* Et paulò póſt, *Produxit quadringentas tubas, &* [Jeſum] *Anathematizavit.* Et paulò anté, *Eliſæus duabus manibus avertit Gehazi, & R. Joſua F. Perachiæ ambabus manibus repulit Jeſum.*

Itémque in *Schabb.* fol. 104. 2. *Nonne Ben Satda præſtigias attulit ex Ægypto in inciſura, quæ in carne ejus?* Sub nomine *Ben Satda* Jeſum noſtrum convitiis fodiunt, quanquam Gloſſator in locum ex authoritate R. Tam. illud neget. Sic enim ille, Dicit R. Tam, *Non fuit hic Jeſus Nazarenus, quia hìc aiunt Ben Satda fuiſſe diebus Paphi filii Judæ, qui fuit diebus R. Akibæ, Jeſus verò fuit diebus R. Joſuæ F. Perachiæ,* &c.

VERS. 16. Ἀπὸ διετοῦς καὶ κατωτέρω, &c.

Excurrerat jam biennium aut circiter, ex quo fulſerat ſtella, naſceretúrque Chriſtus. Moræ *Joſephi Mariæque* in *Bethlehemo* ratio hæc fuit, quòd natum illìc *Meſſiam* ſecundùm Prophetiam non niſi illìc educandum crederent, nec aliò eum transferre ſunt auſi, ante conceſſam ipſis per Angelum cœlitùs veniam.

De modo ortûs *Meſſiæ* cæcutiit plurimùm gens Judaica, atque *unde ille nemo novit*, Joan. vii. 27. hoc eſt, quo ortu: אין מי חייא הוא אין מי רמכייא תוא *An è vivis, an è mortuis prodiret*, ambigebatur, *Hieroſ. Berach.* fol. 5. 1. Aſt omnibus tamen abſque controverſia in confeſſo erat, è *Bethlehemo* ſpecimen ſui primò eum exhi-

exhibiturum, quod aſſerunt Sacerdotes & Scribæ populi, *verſ.* 4. Hinc Chriſtum in bimatu jam agentem habes *Bethlehemi*, quò ſe iterum cum eo contulerant *Joſephus* & *Maria*, cùm jam eum, quadraginta dies natum, in Templo ſecundùm legem ſtitiſſent, *Luc.* ii. 22. Atque hoc loci, & non alibi, educandum eum curâſſent uſque dum ipſe hinc prodiens ſe palàm *Meſſiam* demonſtraret, ſi permiſſu cœleſti aliò non fuiſſent amandati.

VERS. 23. Ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται.

Quæ de נצר adducuntur ex Eſai. xi. 1. & quæ de *Samſone* Nazaræo, nobiliſſimo Chriſti typo, pondus ſuum habent non ſpernendum. Addimus; Poſſe *Matthæum* intelligi, loquentem de humili & vili Salvatoris externa conditione. Quòdque, per vocem Ναζωραῖος, *ſeparationem* ejus innuit, atque *alienationem* ab aliis hominibus, hominis veluti deſpicabilis, atque ſocietate hominum indigni. 1. Obſervetur, Evangeliſtam non unum aliquem è Prophetis citare, ſed omnes [τὸ ῥηθὲν διὰ τῶν Προφητῶν]: jam verò, omnes Prophetæ ferè vilem Chriſti & abjectam conditionem prædicant, nullus ortum ejus è *Nazareth*. 2. *David* in perſona ejus ſic ait, מוזר הייתי לאחי: *Alienus fui fratribus meis*, Pſal. lxix. 8. 3. Si vocem Ναζωραῖος deducas, quod faciunt non pauci, à נזיר *Naziræo*, denotat iſta vox non tantùm *ſeparationem* Deo dicatam, qualis erat Nazaræorum; ſed ſeparationem etiam hominis quaſi indigni ab hominibus, Gen. xlix. 26. Hâc ergò Paraphraſi ſenſum Evangeliſtæ digeramus; Seceſſurus erat *Joſephus* cum Chriſto, ad *Bethlehemum* civitatem *Davidis*, aut ad *Hieroſolymas* civitatem regalẽ, ni terror *Archelai* prohibuiſſet. Indicè ergò angelo, in *Galilæam* amandatur, regionem contemptiſſimam; ſinque urbem *Nazaretham*, locum viliſſimum: unde ex ipſo iſthoc loco, locíque nomine, ad apicem illud obſerves adimpletum, quod à Prophetis toties prædicatur, *Meſſiam* fore *Nazor*, *alienum* vel *ſeparatum* ab hominibus, ac ſi vilem nimiùm, & ſocietate eorum non dignum.

CAP.

CAP. III.

VERS. 1. Ἰωάννης ὁ Βαπτιστὴς κηρύσσων ἐν τῇ ἐρήμῳ τῆς Ἰουδαίας.

NAtum *Hebrone Joannem* non incommodè conjecteris, ex collatione Luc. i. 39. cum Jos. xxi. 11. Natúmq; circa feſtum Paſchatis, ante nativitatem ſcilicet Salvatoris ſpatio ſemeſtri, Luc. i. 36. Sic quatuor celebres anni Tekuphas nobilitârunt conceptio & nativitas Baptiſtæ & Salvatoris: concepto ſcilicet illo ad ſolſtitium æſtivum, hoc ad hyemale: Nato illo ad æquinoctium vernum, hoc ad autumnale.

In eremis egit Joannes uſque dum ſe palàm faceret Iſraeli, Luc. i. 80. id eſt (interprete ſcholâ Pontificiâ) vitam egit Eremiticam.

At 1. pudeat te, ô Papicola, ſic ignorare ſenſum vocis Ἐρήμου, quæ idem vulgari dialecto omnino ſonat, ac ſi dictum eſſet, Vitam ruri egit, non in urbe, agreſtiorem educationem ruri ſubiit, non Academicam aut Aulicam Hieroſolymis.

Menachoth cap. 7. *hal.* 1. תורה היתה סאין ירושלמיות שהן שש מרבריות: *Oblatio pro gratiarum actione conſtitit è quinque ſeis Hieroſolymitanis, quæ valebant ſex ſeas eremi,* id eſt, ſex ſeas ruſticas.

Bab. Erubh. fol. 83. 1. *Seah Hieroſolymitana excedit ſeam eremi ſextâ parte.*

Rambam in Demai, cap. 1. אילנות מרבריות *Arbores eremi ſunt iſtæ quæ ſunt communis juris, & non unius domini,* id eſt, Arbores in ſaltibus aut paſcuis communibus.

Sic II Cor. xi. 26. Κινδύνοις ἐν πόλει, κινδύνοις ἐν ἐρημίᾳ, id eſt, *Periculis in urbe, & periculis ruri.*

2. Eremi terræ Canaanitidos non erant oppidis aut urbibus vacuæ, nec illico erat ille *Eremita* vocandus, qui coleret eremum. *Montanum Judææ,* Joannis natale ſolum, vocatur à Talmudicis הר הכלך *Montanum regale,* & à Pſalte, מרכר הרים *Montanum eremoſum,* Pſal. lxxv. 6. & tamen *in montano regali erat myrias urbium.* Hieroſ. Taanith, fol. 69. 1.

3. In eremo plurimum adoleſcentiæ ſuæ transegit *David,* I Sam. xvii. 28. at quiſnam tamen eum dixerit *Eremitam?* Pari ſenſu in

eremis agentem concipio Joannem, non otio aut contemplationi ſolùm vacantem, ſed operi alicui, aut ſtudiis incumbentem: nam, cùm adoleſcentiam Salvatoris arte fabrili occupatam lego, Præcurſorem ejus adoleſcentiam ſuam nullâ arte occupâſſe vix credo.

Annum ætatis ſuæ inchoans jam trigeſimum, cùm pro more Sacerdotum ad Synhedrium ſummum acceſſiſſe debuerat, examen eorum ſubiturus, atque ab iis ſacris initiandus, *facto ad eum verbo Domini*, Luc. iii. 2. ſicut olim ad Prophetas, ad aliud miniſterium ille divertitur.

VERS. 2. Μετανοεῖτε.

Aptiſſima Evangelio doctrina, & convenientiſſima tempori, & vox, ſeu Phraſiologia, convenientiſſima doctrinæ.

I. Gens fermentata errore Phariſæorum, de Juſtificatione ex operibus legis, neceſſariò erat indè avocanda ad doctrinam contrariam de pœnitentiâ: nulla aliter receptio Evangelii eſſet expectanda.

II. Utcunque pœnitentiam malè definîerint Scholæ Phariſaicæ, quod obſervamus illico, pœnitentiam tamen ipſam ad receptionem *Meſſiæ* neceſſariam aſſeruerunt. De hac re diſputatur apud Gemariſtas Babylonicos, *Sanhedr. fol.* 98, &c. quos citat etiam Kimchius in Eſai. lix. 16. & quæſtionem determinat. *Ex verbis Rabbinorum noſtrorum* [inquit] *patet iis de hac re ortum ſcrupulum, num ſcilicet redimendus ſit Iſrael pœnitens, an ſine pœnitentia: Atque indè ortus, quòd videantur textus quidam Scripturæ ſibi ipſis contrariari: quales ſunt iſti; Vidit quòd non eſſet aliquis, & miratus eſt, quòd non eſſet qui intercederet; brachium ergò ſuum attulit ſalutem.* Itémque, *Non veſtri cauſâ hoc facio, ô domus Iſraelis.* Et rurſus, *Recordabor pro iis priſtinum fœdus*, &c. *Atque hi è contrà qui faciunt pro pœnitentia. Revertêris tu ad Dominum Deum tuum, atque voci ejus auſcultabis.* Itémque, *Atque indè quæres Dominum Deum tuum, inveniésque, ſi quæras toto corde*, &c.

Aſt hæc reconciliari poſſunt hoc modo. Multos ſcilicet ex Iſraele pœnitentiam acturos, cùm ſigna viderint redemptionis. Atque hinc eſt, quod dicitur, Et vidit quòd non eſſet aliquis, eò quòd pœnitentiam non agent, uſque dum initium redemptionis videant.

Hieroſ. Taanith. fol. 64. 1. *Si reſipuerit Iſrael vel uno die, illico advenit redemptor.*

Aptiſſimè

Aptiſſimè ergò à Baptiſta, ac poſt eum à Salvatore, Mat. iv. 17. arguitur ab appropinquatione regni cœlorum ad pœnitentiam, cùm ſic introducendum regnum cœlorum, vel manifeſtationem Meſſiæ, ipſi agnoverint, quibus hoc prædicatur. Utcunque enim poſterioris ſeculi fuerint Gemariſtæ, qui de hoc diſputant, ſententiam tamen patrum ſuorum ut plurimùm eloquuntur.

III. Vox Μετάνοια, prout optimè ſenſum veræ pœnitentiæ exprimit, ità apud Judæos neceſſe fuit ut ſic ea exprimeretur, apud quos pœnitentia, ut plurimùm, in orali tantùm confeſſione conſiſtere exiſtimaretur.

Maimon: in *Teſhubbah*, cap. 1. *Præcepta legis, ſive præceptiva ſive prohibitiva, quicunq; tranſgreſſus fuerit, ſive errans ſive præſumens, cùm pœnitentiam agit, ac à peccato ſuo revertitur, confeſſionẽ edere tenetur. Quicunq; oblationem pro peccato attulerit, vel ex ignorantia commiſſo vel ex præſumptione, expiatum per oblationem non habet peccatum, uſque dum oralem edat confeſſionem. Et quicunque reus eſt mortis aut flagellationis à Synhedrio, non tollitur ejus peccatum, per mortem ejus, aut per flagellationem, ſi modò pœnitens non edat confeſſionem. Ideóque, quia hircus emiſſarius eſt expiatio pro toto Iſraele, ſummus Sacerdos ſuper eum confeſſionem edit pro toto Iſraele.*

Obſervatione dignum eſt, quòd, cùm Joannes accedentes ad Baptiſma ſuum urgeat ad pœnitentiam, referatur, baptizatos eos, *Confitentes peccata*: quod ſignum pœnitentiæ apud Judæos ſummè requiſitum, atque apud tunc introductos in profeſſionem Evangelic neceſſarium: ut per hoc apertè profiterentur, ſe doctrinæ de Juſtificatione per opera legis abrenunciare.

Obſervatione etiam dignum eſt, Joannem non dixiſſe, *Reſpiſcite, & credite Evangelio*, quod Salvator, Mat. iiii. 17. [& tamen Joannes prædicavit Evangelium, Marc. i. 1, 2. Joan. i. 7.] nam muneris ejus præcipuè fuit, Chriſtum manifeſtare, qui, cùm adventaret, magnus futurus erat prædicator Evangelii.

Aptiſſimè ergò pœnitentiam urget Baptiſta apud expectantes *Meſſiam*, atque aptiſſimo vocabulo uſus eſt textus Evangelicus ad exprimendum veram & vivam pœnitentiam.

Ηγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.

I. *Regnum cœlorum* apud *Matthæum* eſt *Regnum Dei*, ut plurimùm apud reliquos Evangeliſtas. Confer hæc loca:

Matth. iv. 17. *Appropinquavit regnum cœlorum.*	Marc. i. 15. *Appropinquavit regnum Dei.*
Matth. v. 3. *Pauperum ſpiritu eſt regnum cœlorum.*	Luc. vi. 20. *Beati vos pauperes, nam veſtrum eſt regnum Dei.*
Matth. xi. 11. *Minimus in regno cœlorum.*	Luc. vii. 28. *Minimus in regno Dei.*
Matth. xiii. 11. *Myſteria regni cœlorum.*	Luc. viii. 10. *Myſteria regni Dei.*
Matth. xix. 14. *Parvulorum eſt regnum cœlorum.*	Marc. x. 14. *Parvulorum eſt regnum Dei.*

Alibíque frequentiſſimé.

Judaicâ enim Dialecto שמים uſitatiſſimè ſumitur pro *Deo*, Dan. iv. 25. Matth. xxi. 25. Luc. xv. 21. Joan. iii. 27. Atque in his atque hujuſmodi locutionibus paſſim apud Talmudicos. מיתה כיד שמים *Mors per manum cœli.* נתחלל שם שמים *Profanatur nomen cœli.* פולחנא דשמיא *Cultus cœli.* בסייעתא דשמיא *Adjutorio cœli*, &c. *Nam Deum nomine cœli vocitârunt, eò quòd in cœlis ejus habitatio. Elias Levit. in Tiſhbi.*

In *Bab. Taanith*, fol. 18, 1. refertur hiſtoria de Judæis ſub perſecutione ejulantibus אי שמים *O cœli!* id eſt, ut reddit gloſſa אהה ה׳ *Ah Jehovah.*

II. Deſumitur hæc Phraſiologia, *Regnum cœlorum*, à Daniele, cap. vii. 13, 14, ubi poſt deſcriptas quatuor Monarchias terrenas & tyrannicas, Babylonicam, Medo-Perſicam, Græcam, Syro-Græcam, eásque tandem exciſas, deſcribitur introductio & natura regni Chriſti, univerſalis per totum orbem, atque æterni, per omnia ſecula. *Sub quo Imperium, Dominatio, & autoritas regnorum ſub omni cœlo datur populo Sanctorum excellentiſſimi*, ver. 27. id eſt, Cùm antea imperium fuerat penès reges Ethnicos, ſub regno Chriſti futuri ſunt reges Chriſtiani: quò etiam ſpectat illud Apoſtoli, 1 Cor. vi. 2. *Nónne nôſtis quòd Sancti judicabunt mundum?*

Miror ego certè adimpletionem viſionis ac Prophetiæ iſtius apud *Danielem*,

Danielem in longam ac ſerotinam, neſcio quam, expectationem adhuc protrahi, non antè perficiendam, quàm corruerit *Roma* ac *Antichriſtus* : cùm commentarium Sole clariorem exhibeant paginæ Evangelicæ, *regnum* iſtud *cœlorum* initium ſumpſiſſe illico à prædicatione Evangelii. Cùm & Baptiſta & Chriſtus *appropinquationem regni cœlorum* ab ipſo primo ſuo preconio prædicârint, certè adimpletionem iſtorum apud *Danielem* non tunc orſam opinari ego opinor eſſe vel ex libitu, vel ex ignorantia cæcutire.

III. Denotat *Regnum cœlorum*. 1. Exhibitionem & manifeſtationem Meſſiæ, Matth xii.28. *Si verò ego digito Dei ejicio Dæmonia, ſupervenit vobis regnum cœlorum*, id eſt, Hinc eſt manifeſtatio Meſſiæ. Vide Joan. iii.3. & xii. 13, &c. 2. Reſurrectionem Chriſti, devictis morte, orco, Satanâ: unde clariſſima manifeſtatio, illum Regem eſſe iſtum æternum, &c. Vide Matth. xxvi.29. & Rom. i.4. 3. Vindictam ejus in gentem Judaicam, hoſtes ejus acerrimos: hæc eſt alia, eáque nobiliſſima ejus manifeſtatio. Vide Matth.xvi. 28. & xix. 28. 4. Dominium ejus per ſceptrum Evangelicum inter Gentes, Matth.xxi. 43. Hoc loco, qui ſub manibus, exhibitionem atque revelationem Meſſiæ indigitat.

IV. Apud ſcriptores Judaicos frequentiſſimè occurrit Phraſiologia, מלכות שמים *Regnum cœlorum*. Loca nonnulla adducemus, ſenſum excerpat Lector.

Beracoth cap. 2. *halac.* 2. *Dicit R. Joſhua ben Kercha, In recitandis Phylacteriis, quare recitatur* שמע [Deut. vi. 4, &c.] *ante* והיה אם שמע *periocham iſtam, Deut.* xi. 13, &c ? *Nempe ut primùm recipiat homo in ſeipſum Regnum cœlorum, & deinde jugum præcepti.* Sic habet Miſhnah Hieroſolymitana: Babylonica autem, *Ut primùm recipiat homo in ſe jugum regni cœlorum, & deinde jugum præcepti.*

Gemara Bab. ibid. fol. 13.2. *Dixit Rabh* πρὸ *Rabbi Chaiiæ:* לא חזינא ליה לרבי דמקבל עליה מלכות שמים *Non vidimus unquam Rabbi* [Judam] *ſuſcipientem in ſe Regnum cœlorum: Reſpondit Bar Pahti, Eo tempore, quo manus ſuas faciei applicuit, ſuſcepit in ſe jugum regni cœlorum.* Ubi ſic Gloſſa; *Non vidimus, quòd ſuſciperet in ſe regnum cœlorum, nam, uſque dum adeſſet tempus recitandi Phylacteria, erudîit diſcipulos ſuos; & cùm jam adventaret illud tempus, non vidi eum interpoſuiſſe aliquod ſpatium.*

Ibid. fol. 15. 1. *Ventrem quis exoneret, manus lavet, Phylacteria apponat, ea recitet, & precetur.* וזה היא מלכות שמים שלמה: *Et hoc est regnum cœlorum completum.*

Ibid. col. 2. in Glossa. אם תפרש שרי ותנריל תיבות של מלכות שמים *Si explicaveris Shaddai, & diviseris literas regni cœlorum, frigifacies tibi umbram mortis.* Hoc est, Si in recitatione periochæ istius Phylactericæ, Deut. vi. 4. *Audi Israel, Dominus Deus noster est Deus unus,* &c. literas distinctè & deliberatè protuleris, ità ut nomina Dei ritè pronuntiaveris, frigifacies, &c. Nam dixerat eadem Glossa, ibid. fol. 14. 2. קריאה שמע הוא קבלת מלכות שמים *Recitatio istius pericopæ, Audi Israel,* &c. *est susceptio in te regni cœlorum.* והיה אם שמוע הוא קבלת עול מצוה *Recitatio autem istius periochæ, Eritque, si auscultaveris,* &c. [Deut. xi. 13.] *est susceptio in te jugi Præcepti.*

In eodem, cap. 2. tract. Berac. halac. 5. *Recitavit Rabban Gamaliel Phylactericas suas Orationes ipsissimâ nocte nuptiarum suarum: Cúmque ei dicerent Discipuli ejus, Nonne docuisti nos, ô Magister noster, quòd sponsus liberatur à recitatione Phylacteriorum primâ nocte; respondit ille, Ego vobis non auscultabo, nec à me reponam regnum cœlorum, nè quidem in horulam.*

Zohar in *Levit. fol.* 53. *Quidnam est jugum regni cœlorum? Pari modo ac bovem sub jugo mittunt, ut inserviat, si que jugum non toleret, fit inutilis; ità & hominem oportet jugum in se primùm suscipere, ac cum eo in omnibus inservire: quod si abjiciat, fit inutilis, sicut dicitur, Servite Domino in timore: Quid sibi vult In timore? Idem quod scribitur, Timor Domini est initium sapientiæ. Et hoc est regnum cælorum*

Hieros. Kiddushin. fol. 59. 4. *Quæsiverunt discipuli Jochananis ben Zaccai. Quare servus per aurem terebrandus potiùs, quàm per aliquam aliam partem corporis? Respondit ille, Cùm aure audiret hæc à monte Sinai, Non erit tibi Dominus alius coram facie mea, rupit ille à se jugum regni cœlorum, & suscepit in se jugum carnis & sanguinis.*

Si per *Regnum Cœlorum* in his atque aliis istius modi sententiis, quas accumulare nimium esset, internum Dei amorem ac timorem volunt, quod quidem videtur, eoúsq; cum sensu nostro Evangelico con-

conſentiunt, qui regnum Chriſti internum, ac ſpirituale præſertim, aſſerit: atque ad hunc ſenſum gentis de Regno cœlorum, ſi aptentur verba Salvatoris, nihil durum ſonant aut inconcinnum, *Ecce regnum Dei eſt in vobis*, Luc. xvii. 21. quaſi dicat, Num vos Regnum cœlorum cum inſigni aliqua obſervatione, aut μετὰ παρατηρήσεως, adventurum arbitramini? Ipſiſſimæ Scholæ veſtræ docent, Regnum cœlorum eſſe intra hominem.

Utcunque verò Phraſiologiam hanc vulgatiſſimè huc applicuerint, eam etiam pro exhibitione & revelatione Meſſiæ adhibuerunt pari modo ac hiſtoria Evangelica. Hinc hæc atque hujuſmodi apud ſcriptores ſacros; *Phariſæi interrogârunt Jeſum, quandonam regnum Dei venturum.* Luc. xvii. 20. *Exiſtimârunt quòd confeſtim regnum Dei manifeſtaretur*, Luc. xix. 11. *Joſephus Arimathæanus expectabat regnum Dei*, Luc. xxiii. 52, &c.

Atque hæc apud Chaldæum Paraphraſten, *Dicite civitatibus Judæ, Regnum Dei veſtri revelatur.* Eſai. xl. 9. *Videbunt regnum Meſſiæ ſui*, Eſai liii. 11.

Excitat ergò præconio ſuo Baptiſta auditorum animos, ut adventui Meſſiæ illico manifeſtando obviàm eant eâ, quâ par eſt, pœnitentiâ, & præparatione.

VERS. 4. Ἡ δὲ τροφὴ αὐτοῦ ἦν ἀκρίδες.

Hieroſ. Nedarim fol. 40. 2. הנודר מן הבשר יהא אסור בבשר דגים וחגבים *Qui voto ſe obligat de carne, interdicatur carni piſcium & locuſtarum.* Vide, de locuſtis eſui idoneis, *Bab. Cholin, fol.* 65. 1.

VERS. 5. Ἡ περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου.

Vocabulo περίχωρος utitur Gemara Hieroſolymitana, in *Sheviith, fol.* 38. 4. מבית חורון ועד הים מדינה אחת פרי כורין: *A Beth Horon uſque ad mare eſt Regio una* περίχωρος.

Idem forſan eſt περίχωρος, & Talmudicis & Evangeliſtæ, quod *Ora*, & *Regio per oram*, Plinio. *Regio*, inquit, *per oram Samariæ*, lib. 5. cap. 13. id eſt, Ora maritima, regióque remotiùs juxta iſtam oram procurrens, quod & dici poteſt de περιχώρῳ τοῦ Ἰορδάνου. Strabo de Planitie Jordani adjacente hæc habet, *Eſt locus C. ſtadiorum totus irriguus atque habitationibus plenus.*

VERS.

VERS. 6. Καὶ ἐβαπτίζοντο.

§. *De Baptiſmo pauca.*

Unde tantus hominum confluxus, ac tam prompta Baptiſmi receptio; non inutilis, nec injuſta eſt quæſtio.

Ratio I. Quia nunc expectabatur manifeſtatio *Meſſiæ*: elapſis jam hebdomadibus *Danielis* ad ultimum uſque quadriennium.

Conſulamus aliquantùm ejus textum

Dan. 9. 24. *Septuaginta Septimanæ* [annorum ſcilicet] *decernuntur quoad populum tuum*, &c. id eſt, anni quadringenti nonaginta, à primo *Cyri* ad mortem Chriſti. Diſſecantur hi anni in triplicem annorum ſummam, eam verò admodum inæqualem.

1. In Septem Hebdomadas, vel annos 49, à dato diplomate *Cyri* de reedificanda Hieroſolyma ad finitam reedificationem à *Nehemia*.

2. In Sexaginta duas hebdomadas, vel annos 434. A finita ſcilicet urbis ædificatione ad initium ultimæ Hebdomadis è ſeptuaginta. Quâ temporis intercapedine, tempora imperii Perſici [quæ poſt *Nehemiam* reliqua, ſi qua erant modò] & Græci, & Syro-Græci, omnia elapſa ſunt, atque ea, in quibus Romani Judæis dominabantur.

3. Ultimam hebdomadam, vel ultimum ſeptennium, in duas partes æquales partitur textus ſacer, ver. 27. quem ego ſic reddo, *Et roborabit*, vel confirmabit, *fœdus cum multis in hebdomada iſta una: & medietas iſtius hebdomadæ ceſſare faciet ſacrificium atque oblationem*, vel, *in medietate iſtius hebdomadæ ille ceſſare faciet*, &c. Non in medio iſtius hebdomadæ, ſed in poſteriori medietate, hoc eſt annis, è ſeptem, tribus & dimidio poſterioribus.

Enumeratis antè primò hebdomadibus ſeptem, & deinde ſexaginta duabus, ver. 25. ità ut jam reliqua ſit una tantùm è ſeptuaginta, eam quod attinet, ab ejus medio exordietur *Meſſias* miniſterium ſuum: quo per tres annos & dimidium [iſtius hebdomadæ partem dimidiatam poſteriorem] peractò, ceſſare ille faciet Sacrificium atque oblationem, &c.

Tempora ab Angelo *Gabriele* tam præciſè definita nec ignorare potuit gens, nec non obſervare. Cùm ergò omnibus in ſummo voto ac deſiderio eſſet adventus *Meſſiæ*, cumque ejus manifeſtationis tempus tam clarè ab Angelo decerneretur, ut nihil clariùs,

cùm-

cúmque poſterior medietas ultimi, & ſummè obſervandi, ſeptennii jam adeſſet quàm proximè, non mirum eſt, ſi *regnum cœlorum* jam adeſſe à venerando præcone audiens populus, præter modum in ejus occurſum excitaretur ac confluereret. Nam, quod obſervavimus antè, *Exiſtimârunt quòd confeſtim regnum Dei manifeſtaretur*, Luc. xix. 11.

Ratio II. Inſtitutio Baptiſmi, pro Sacramento Evangelico, fuit primùm in manu Baptiſtæ, qui *factо ad eum verbo Domini* (Luc. iii. 2.) eâdem prodiit roboratus autoritate, quâ ſummi olim Prophetæ. At primus tamen uſus Baptiſmi non tunc temporis exhibitus fuit: nam quamplurimis annorum retrò Centuriis, & notus, & frequentiſſimo apud Judæos uſu receptus fuerat Baptiſmus, in ipſiſſimum eundem, quo nunc apud Chriſtianos obtinet, finem, nempe ut per eum admitterentur Proſelyti in eccleſiam: atq; hinc dictus eſt טבילת גרות. *Baptiſmus ad Proſelytiſmum:* & diſtinctus à טבילת נדה. Vide *Bab. Jevamoth*, fol. 45. 2. in gloſſa.

I. Primum ejus uſum in hunc finem ego Patriarchæ Jacobo aſcriberem, *Sichemitidas* fœmellas, aliósque, qui jam apud eum verſati ſunt, Ethnicos, in familiam, eccleſiámque ſuam, cooptanti. *Dixit Jacobus familiæ ſuæ, omnibúsque qui cum eo erant, Amovete à vobis Deos alienos, & mundamini, & mutate veſtimenta veſtra*, &c. Gen. xxxv. 2. Quid ſibi velit vox iſta והטהרו *Et mundamini*, optimè interpretatur *Aben Ezra* שירחצו הגוף, nempe *Lotionem corporis*, vel Baptiſmum, quod & ſuadet ipſa ratio.

II. Totam gentem Iſraeliticam per Baptiſmum inter alia in fœdus introductam fuiſſe, aſſerit uno quaſi ore tota gens Iſraelitica. *Per tria* [inquit *Maimonides*, magnus juris Judaici interpres] *in fœdus miſſus eſt Iſrael, per Circumciſionem, Baptiſmum, & Sacrificium. Circumciſio fuit in Ægypto, ſicut dicitur, Nullus non circumciſus comedet de Paſchate. Baptiſmus fuit in deſerto ante datam legem, ſicut dicitur, Sanctificabis eos hodie & cras, & lavent veſtimenta ſua.* Iſſure Biah, cap. 13.

III. Infinitum iſtum Proſelytorum numerum in diebus Davidis & Solomonis aſſerunt etiam admiſſum fuiſſe per Baptiſmum. *Non receperunt Synhedria Proſelytos in diebus Davidis ac Solomonis, Non Davidis, nè ex formidine regni Iſraelitici ad Proſelytiſmum ſe reciperent; Non Solomonis, nè ob gloriam regni. Et tamen, quam-*

plurimi Proſelyti facti ſunt in diebus Davidis & Solomonis coram viris privatis, & ſolicitum de hac re fuit Synhedrium magnum. Non enim eos ex eccleſia repellere voluerunt, eò quòd erant baptizati, &c. Maimon: ibid.

IIII. *Quandocunque quis Ethnicus ad fœdus Iſraeliticum ſe vult recipere ac ſociari, & ſub alis divinæ majeſtatis ſe reponere, jugúmque legis in ſe ſuſcipere, Circumciſio, Baptiſmus, atque Oblatio voluntaria requiruntur: ſi verò fœmina ſit, Baptiſmus atque Oblatio.* Idem ibid.

Tritum eſt illud Axioma אין גר עד שימול ויטבול *Non eſt quis Proſelytus, uſque dum circumcidatur & baptizetur.* Diſputatur à Gemara Babylonica, *Jevamoth, fol.* 46. 2. *Proſelytus qui circumciditur & non baptizatur, quid de eo? R. Eliezer dicit, Ecce ille eſt Proſelytus: nam ſic reperimus de patribus noſtris, quòd circumciſi fuerunt, at non baptizati. Baptizatur, at non circumciditur, quid de eo? R. Joſhua dicit, Ecce ille eſt Proſelytus: nam ſic reperimus de ancillis, quæ baptizatæ ſunt, ſed non circumciſæ. At Sapientes dicunt, Baptizatur & non circumciditur? aut, Circumciditur & non baptizatur? Non eſt Proſelytus, uſque dum circumcidatur, & baptizetur.*

At fœminis eò uſque ſatis erat Baptiſmus, ut hoc obtineret, אטבלה להחיא נכרית לשם לאתתא יכילנא אכשורי: *Baptizat fœminam Ethnicam in nomine fœminæ, nos poſſumus illud pro ritè facto aſſerere. Jevam.* fol. 45. 2. ubi ſic Gloſſa: *Baptizari in nomine fœminæ, fuit baptizari* טבילה גרה, *ablutione polluta, & non Baptiſmo ad proſelytiſmum. Atqui ità baptizatam poſſumus tamen pro completa proſelytiſſa aſſerere, etiam ſi baptizata non eſſet Baptiſmo ad proſelytiſmum, quia Baptiſmus iſte ablutionis pro immunditia ei cedit pro proſelytiſmo, ideo quòd Ethnica non baptizetur,* vel abluatur, *pro immunditia.*

V. Parvulos etiam baptizârunt [plerumque cum parentibus]. *Bab. Cherubb.* fol. 11. 1. גר קטן מטבילין אותו על דעת בד"ד *Proſelytum parvulum baptizant ſecundùm ſententiam Synhedrii:* id eſt, ut reddit Gloſſa, *Si ſit orbatus patre, atq; eum adducat mater ut Proſelytus fiat, baptizant eum [quia non eſt quis Proſelytus factus abſque Circumciſione & Baptiſmo] ſecundùm ſententiam,* aut ritum, *Synhedrii, nempe, ut adſit Baptiſmo Triumviratus, qui ei jam eſt inſtar patris.*

Et

Et *Gemara* paulò póſt, גר שנתגיירו בניו ובנותיו עמו רניחא להו במאי בעביד אבוהון : *Si cum Proſelyto Proſelyti facti etiam ſunt filii ſui filiæque, iis cedit in bonum quod à patre eorum factum eſt.* א"ר יוסף הנדילו יכולים למחות *Dicit R. Joſeph, Cùm adoleſcunt, poſſunt retrahere:* ubi Gloſſa, *Hoc intelligendum de parvulis, qui Proſelyti facti ſunt ſimul cum patre eorum.*

Jevam. fol. 78. 1. *Ethnica ſi proſelytiſſa facta ſit, cùm jam eſt gravida, filius non opus habet Baptiſmo:* דסלקא ליה טבילה דאימיה *Nam ei pro Baptiſmo cedit Baptiſmus matris.* Aliter, ille foret baptizandus.

Maimon. in *Avadim*, cap. 8. ישראל שתקף בנוי קטן *Si Iſraelita prehendat parvulum Gentilem* או מצא תינוק גוי *Aut inveniet infantem Gentilem, eúmque baptizet in nomine Proſelyti, ecce, ille eſt Proſelytus.*

Præterire etiam non poſſumus illud quod memoriâ quidem dignum, in *Hieroſ. Jevamoth*, fol. 8. 4. *Servus alicujus circumcidendus eſt, etiam invitus, at filius alicujus non circumcidendus invitus. R. Johanan quæſivit: Ecce, filius parvulus, num eum circumcidis per vim? Etiam etſi ſit ſicut filius Urcanis. R. Hezekiah dicit, Ecce invenit infantem ejectum ac baptizat eum in nomine ſervi, circumcide & tu eum in nomine ſervi: in nomine liberi, circumcide & tu eum in nomine liberi.*

Hæc ideo copioſiùs allegavimus, ut non ſolùm de re propoſita ſatisfiat, cur ſcilicet ad Baptiſmum *Joannis*, tam univerſo concurſu, confluxerit populus, [quia res Judæis aliena non erat Baptiſmus] ſed ut alia nonnulla hinc obſerventur, quæ quibuſdam Scripturæ locis facem præbent nonnullam, & nodoſis nonnullis de Baptiſmo quæſtionibus aliquem cuneum.

1. Appendicem vides Baptiſmum Circumciſioni Proſelytorum inſeparabiliter affixam. Erat quidem aliquantula temporis diſtantia, *Nam non niſi poſt ſanatum Circumciſionis dolorem baptizabantur, eò quòd aquæ vulneri eſſent noxiæ, Jevam.* fol. 45. 2. at nunquam certè non ſecutus eſt Baptiſmus. Circumciſionem certè inſtitutionis planè divinæ agnoſcimus, aſt, à quo inſtitutus fuit inſeparabilis ei Baptiſmus, ambigitur. Et tamen, quod notatu dignum, Servator rejectâ Circumciſione appendicem retinuit, & cùm univerſi Gentiles jam in veram religionem eſſent introducendi, proſelyti-

cum hoc introductorium [detur verbo venia] in Sacramentum introductionis in Evangelium promovit.

Idem ferè obſervare licet de Euchariſtia. Agnus in Paſchate divinæ erat inſtitutionis, & ſic quidem panis. Aſt unde vinum? At rejecto tamen agno, in pane & vino inſtituit Chriſtus Sacramentum.

2. Obſervato ex his, quæ dicta ſunt, quàm notiſſimus, ac frequentiſſimus apud Judæos, fuerit uſus Baptiſmi, facillima patet ratio cur Synhedrium à *Joanne* per nuntios ſuos non quæſiverit de ratione Baptiſmi, ſed de autoritate baptizantis: non quid ſibi vellet Baptiſmus, ſed unde licentia illi ità baptizandi, *Ioan.* i. 25.

3. Hinc etiam patet ratio, cur apud Novum Teſtamentum, accuratiori regulâ, non præſcribatur quinam baptizandi. Oggerunt Anabaptiſtæ, *Non præcipitur ut baptizentur infantes, ergò non ſunt baptizandi.* Quibus ego, *Non prohibetur ut baptizentur infantes, ergò ſunt baptizandi.* Et ratio in aperto. Nam cùm Pædobaptiſmus in Eccleſia Judaica, in admiſſione Proſelytorum, ità fuit notus, uſitatus, & frequens, ut nihil ferè notius, uſitatius, & frequentius, 1. Non opus erat ut aliquo præcepto roboraretur [cùm Baptiſmus jam in Sacramentum evaderet Evangelicum.] Nam Chriſtus Baptiſmum in manus ſuas, atque in uſum Evangelicum, ſuſcepit qualem invenit, hoc ſolùm addito, quòd ad digniorem finem atque ad largiorem uſum promoveret. Novit ſatis gens univerſa parvulos ſolitos baptizari: illud præcepto opus non habuit, quod communi uſu ſemper invaluerat. Si prodiret jam edictum regale in hæc verba, *Recipiat ſe unuſquiſque die Dominico ad publicum conventum in Eccleſia*; inſaniet ille certè quicunque olim hinc argueret, non celebrandas eſſe Die Dominico in publicis conventibus preces, conciones, pſalmodias, eò quòd nulla in edicto de iis mentio: Nam cavit edictum de celebratione Diei Dominicæ in publicis conventibus in genere, de particularibus autem divini cultûs ſpeciebus ibidem celebrandis non opus erat ut eſſet mentio, cùm iſtæ ante datum edictum, & cùm daretur, ſemper & ubique notæ eſſent, & in uſu aſſiduo. Ipſiſſimo iſthoc modo res ſe habuit cum Baptiſmo; Chriſtus eum inſtituit in Sacramentum Evangelicum, quo in profeſſionem Evangelii omnes admitterentur, ut olim in Proſelytiſmum, ad religionem Judaicam. Particularia eò ſpectantia, modus ſcilicet baptizandi, ætas baptizanda, ſexus baptizandus, &c. regulâ

regulâ & definitione opus non habuerunt, eò quòd hæc vel lippis & tonſoribus ſatìs nota erant ex communi uſu. 2. E contrà ergò planâ & apertâ prohibitione opus erat, ut infantes & parvuli non baptizarentur, ſi eos baptizandos nollet Servator. Nam, cùm per omnia ſecula præcedentia uſitatiſſimum eſſet, ut baptizarentur parvuli, ſi aboleri iſtam conſuetudinem vellet Chriſtus, apertè prohibuiſſet: ſilentium ergò ejus, & Scripturæ, hac in re, Pædobaptiſmum firmat & propagat in omnia ſecula.

4 Ex dictis antea ſatìs liquet, quo ſenſu illud intelligendum in Novo Teſtamento, quod aliquoties occurrit, quòd pater-familias ſcilicet baptizatus fuerit cum tota familia. *Act.* xvi. 15, 33. &c. Nec valet, quod cavillantur Antipædobaptiſtæ, probari non poſſe in iſtis familiis fuiſſe Infantes; nam non tam aptè quæritur, an in iſtis familiis fuerint infantes, quàm verè & meritò concluditur, Si eſſent, omnes baptizandos. Nec credo ego, Populum hunc, ad Baptiſmum Joannis confluentem, tam moris & conſuetudinis gentis oblitum, ut non parvulos ſecum etiam baptizandos adduxerint.

Nonnulla jam dicenda ſunt de modo & forma, quibus uſus eſt *Ioannes*.

1. Modum ſequutus videtur in quibuſdam quo baptizati ſunt Proſelyti, in quibuſdam non. De eo hæc Canones Talmudici.

I. אין מטבילין גר בלילה *Non baptizant Proſelytum noctu, Ievamoth*, fol. 46. 2. *Nec quidem lavabantur immundi niſi interdiu*. Vide *Megillah*, fol. 20. 1. Addit Maimonides, *Non baptizabant Proſelytum Sabbato, nec die feſto, nec noctu*. In *Iſſure Biah*, cap. 13.

II. גר צריך שלושה: *Proſelytus opus habet triumviratu, Ievam.* ubi anté. Id eſt, requiritur ut adſint baptiſmo Proſelyti tres-viri diſcipuli ſapientum; qui rem ritè præſtandam caveant, & Catechumenum paucis inſtruant: & de re quidem ipſa judicent. Nam res non levis exiſtimabatur admiſſio Proſelyti, קשים גרים לישראל כספחת: *Noxii ſunt Proſelyti Iſraeli, ſicut ſcabies*: pro Axiomate fuit, *Ievam.* fol. 47. 2. Ii enim, aut priſtinorum morum ſuorum tenaces, aut legis Iſraeliticæ imperiti, exemplo ſuo alios corruperunt, aut cum Iſraelitis mixti in cauſa fuerunt, ut divina gloria minùs in eos requieſceret: eò quòd ea non requieſcit niſi ſuper familias nobilioris ſtemmatis; has rationes reddunt gloſſatores. Cùm ergò tanti

eſſet admiſſio Proſelytorum, non niſi per conceſſum judicialem triumviralem erant admittendi.

III. במקוה הכשר לטבילת נדה שם מטבילין את הגרים

In tali aquarum congregatione, quæ idonea erat abluendæ menſtruoſæ, baptizant Proſelytum. Maim. Iſſur. Biah, ubi ſuprà.

De tali aquarum congregatione hæc Juridici. *Homò gonorrhæus non mundatur niſi in fonte: At fœmina profluvio laborans, ut & omnes alii immundi, abluebantur in collectione aquarum: In qua tantum aquæ adſit oportet, quantum totum corpus hominis abluere poſſet merſione unâ. Hanc proportionem æſtimârunt ſapientes noſtri, ad cubitum quadratum, profunditatis tricubitalis: continétque hæc menſura quadraginta Seas aquarum. Maim.* in *Mikvaoth*, cap. 1, & 4. *Talm.* in *Mikvaoth*, cap. 2, & 3.

Cùm dicitur *Gonorrhæum fonte*, aut fluento, *abluendum, menſtruoſam autem ceteróſque immundos in collectione aquarum*, non vetat quò minùs menſtruoſa ceteríque immundi fluentis abluerentur, ſi modò eorum daretur copia; ſed permittit, ſi nòn daretur copia, ut collectione aquarum abluerentur, quod Gonorrhæo non licitum. Idem etiàm de Baptiſmo Proſelytorum intelligendum, qui abluere ſeipſum in fluentis permiſſus eſt, permiſſus etiam in collectione aquarum, ſi non adeſſent fluenta.

IV. Circumcidendum Proſelytum primò interrogârunt de ſinceritate converſionis ſuæ ad Judaiſmum: Numnam non ſeſe ad proſelytiſmum offerret, ob adipiſcendas divitias, ob timorem, ob amorem erga aliquam Iſraeliticam, &c. Cúmq; ex amore legis eum accedentem viderent, de variis articulis legis eum edocuerunt, de Deo uno, de malo Idololatriæ, de præmio obedientiæ, de mundo futuro, de privilegiis Iſraelis, &c. quæ omnia, ſi ſe amplecti profiteatur, illico circumciditur.

Convaleſcentem à vulnere Circumciſionis adducunt ad Baptiſmum; collocatúmque in aqua rurſus edocent de gravioribus quibuſdam, quibuſdámque levioribus mandatis legis: טבל ועלה הרי הוא כישראל לכל דברין quibus auditis, *immergit ſe, & aſcendit, & ecce, ſit ille ſicut Iſraelita quoad omnia. Fœminam fœminæ ſiſtunt in aquis, collo tenus: duóque diſcipuli ſapientum, ab extra ſtantes, edocent eam de quibuſdam levioribus præceptis legis, quibuſdámque gravioribus, dum ea interea ſtat in aquis:* ואחר

ואחר כך טובלת בפניהם: *& tum immergit ea ſeipſam: atque illi aversâ facie exeunt, dum ea aſcendit ex aqua. Jevam. & Maim.* ubi ſuprà.

In baptizatione Proſelyti hoc non prætereundum eſt ergò, quin obſervetur, quòd ſcilicet מטבילין אותו alii eum baptizarent, והוא טובל & ille ſeipſum baptizaret, vel in aquas intingeret, vel immergeret. Qualis autem ea immerſio fuerit, ex iis intelligas quæ dicit *Maimonides* in *Mikvaoth*, loco antè citato. כל טובל *Omnis baptizatus* [vel intinctus, ſive à pollutione ablueretur, ſive ad proſelytiſmum baptizaretur] *neceſſe habuit ut totum corpus ſuum intingeret, jam nudatum, merſione unâ: Atque ubicunque in lege memoratur ablutio carnis aut veſtium, nihil aliud vult, quàm ablutionem totius corporis. Nam ſi quis ſe totum abluat, excepto ipſiſſimo apice minimi digiti, ille adhuc in immunditia ſua: Siquè ſit quiſpiam capilloſus admodum, omnem crinem capitis abluat neceſſe eſt; nam & is pro corpore etiam cenſebatur. Quòd ſi veſtiti in aquas ingrederentur, valuit tamen eorum ablutio, eò quòd aqua veſtes penetraret, ac veſtes eam non impedirent.*

Ac jam, ut Baptiſmum *Joannis* cum iſto Proſelytico, noſtrúmque cum utroque aliquantulùm conferamus, hæc animadvertenda.

1. Si ablutionem pollutorum, à lege præſcriptam, cum Baptiſmo Proſelytorum conferas, immunditiam & illa arguit & hic, utcunque aliqualiter diſparem, illa legalem, hic ethnicam, utramque polluentem. At non ſolùm in ablutionem pollutionis iſtius Gentilitiæ baptizatus eſt Proſelytus, nec ſolùm ut in religionem Judæorum transferretur, ſed ut, accuratiſſimo quàm fieri potuit tranſlationis ritu, ità in Iſraelitam commigraret, ut cum Iſraelitica fœmina conjugatus ſemen ingenuum legitimúmque traduceret, prolémque immaculatam. Hinc ſervi in famulitium admiſſi baptizabantur, ac ſervi etiam manumittendi: non tam quod immunditiâ Ethnicâ polluerentur, ſed ut iſto ritu כישראל לכל דבר *Iſraelitæ quoad omnia facti*, connubiis Iſraeliticis forent magìs idonei, ac filii eorum æſtimati pro Iſraelitis. Atq; hinc Proſelytorum filii per progenies ſubſequentes circumcidebantur quidem, at non baptizabantur. Circumcidebantur, ut legis obligationem in ſe reciperent, at Baptiſmo opus non habuerunt, eò quòd jam eſſent Iſraelitæ. Ex his palàm eſt, aliquid diverſitatis, quoad finem, fuiſſe inter ablutiones immundorum Moſaicas, & Baptiſmum Proſelytorum: aliquídque

quídque inter Baptiſmum Proſelytorum & Baptiſmum *Joannis*: non quòd in aliquo fine parallelo non concurrerent, ſed quòd huic vel illi ſuperaddebantur alii fines, aut aliqui detrahebantur.

II. Baptiſmus Proſelytorum fuit traductio Gentilium in religionem Judaicam; Baptiſmus *Joannis* traductio Judæorum in religionem aliam. Atque hinc eò magìs eſt mirandum, quòd ad eum tam promptè populus confluxerit, cùm Baptiſmum tam diverſum à noto illo proſelytico introduceret. Cujus ratio hinc ſumenda, quòd, ad adventum *Meſſiæ*, immutandam planè rerum faciem meritò opinati ſunt, ídque ex oraculis Prophetarum, qui uno ore tempora *Meſſiæ* pro mundo „ novo" deſcripſerunt. Hinc illud receptum אלף שנים עתיד הקבה לחדש עולמו *Renovaturum tunc temporis Deum mundum per millennium*. Vide *Aruch*, in voce חדש & poſtea in cap. 24. 3.

Atque illud quod עולם הבא *Mundum futurum* uſitatiſſimo Idiotiſmo pro temporibus *Meſſiæ* adhibuerint, quod fuſiùs obſervamus alibi.

III. Proſelytorum Baptiſmus fuit obligatio ad præſtandam legem, *Joannis* ad pœnitentiam. Nam quamvìs alios fines admiſerit Baptiſmus proſelyticus, alióſq; Circumciſio, hunc tamen utrique conjunxerat traditionalis, ac erronea tunc temporis doctrina, ut in utroque ſtipularetur Proſelytus, ac ſe obligaret ad præſtandam legem: Quò reſpicit illud Apoſtoli, *Gal.* v. 3.

At Baptiſmus *Ioannis* fuit *Baptiſmus pœnitentiæ*, Marc. 1. 4. quo ſuſcepto abnegationem propriæ ac legalis juſtitiæ profeſſi ſunt ii, qui ſunt baptizati, atque è contrà agnoverunt ſe ad pœnitentiam ac fidem in venturum *Meſſiam* obligari. Quantum diſtabat doctrina Phariſaica de Juſtificatione à doctrina Evangelica, tantum obligatio ſuſcepta in Baptiſmo Proſelytorum ab obligatione ſuſcepta in Baptiſmo *Joannis*, quæ obligatio etiam apud Chriſtianos obtinet uſque ad finem mundi.

IV. Baptiſmum *Joannis* per immerſionem corporis fuiſſe [quo modo ſe habuit & ablutio pollutorum, & Baptiſmus Proſelytorum] patere videtur ex iis, quæ de eo referuntur, quòd ſcilicet *baptizaret in Jordane*, quòd *in Ænone, eò quòd illic aquæ multæ*, & quòd Chriſtus baptizatus *aſcendit ex aqua*. Cui parallelum videtur illud *Act.* viii. 38. *Philippus atque Eunuchus deſcenderunt in aquam*, &c.

Et

Et queruntur quidam non ſervatum in Chriſtiana eccleſia hunc ritum, acſi veritati Baptiſmi aliquid derogaret, aut innovatio eſſet id dicendum, cùm aſperſio aquæ adhibetur vice immerſionis. Non eſt hìc locus de his diſputandi, hæc duo tantùm reſponſionis loco regeramus.

1. Differre notionem ablutionis in Baptiſmo *Joannis* à noſtra: eò quòd non ullos ille baptizaret, qui non ab una religione, eâque irreligioſâ, in aliam, eámque veram, traducerentur, at huic non eſt locus apud nos natos Chriſtianos; variatâ ergò conditione, non ſolùm licitè, ſed & meritò variatur ritus. Pollutionem quidem ac immunditiam arguit Baptiſmus noſter, & doctrinaliter hoc demonſtrat, nobis pollutis opus eſſe ablutione: at hoc de naturali & peccaminoſa noſtra macula intelligendum, per ſanguinem Chriſti ac gratiam Dei abluendâ, quâ etiam quidem laborabant baptizati à *Joanne*. Ad hanc ablutionem Sacramentali ſigno denotandam ſatìs eſt aſperſio aquæ æquè ac in aquam immerſio, cùm reverà ablutionem ac purificationem hæc arguat æquè ac iſta. At verò baptizati à *Joanne* maculâ aliâ decolorati fuerunt, eâque externâ, & modo quodam viſibili, hoc eſt, pollutâ religione, Judaiſmo nempe, aut Ethniciſmo; à qua ſi, pro more gentis, profundiore, ac ſeveriore ablutione transirent, nec eam ſubìerunt abſque ratione, nec cum ratione poteſt ea nobis imponi, quibus diſpar conditio.

2. Cùm immerſio ritus fuerit apud gentem Judaicam ſolùm uſitatus, eíque proprius, durius aliquantùm foret, ſi ſub eo omnes gentes ſubjugarentur, præſertim verò cùm nec de eſſentia Baptiſmi neceſſariò ſit reputanda, ſítque inſuper tantæ aſperitatis, & periculi, ùt in his vix cederet circumciſioni. Legimus nonnullos, Judaiſmo ad extremum fermentatos, optâſſe tamen ut tolleretur immerſio in purificatione, eò quòd eam comitata fuerit tanta aſperitas. *In diebus R. Joſhuæ ben Levi conati ſunt quidam extirpare hanc immerſionem, fœminarum Galilææarum gratiâ, eò quòd illæ præ frigore ſterileſcerent. Dixit iis R. Joſhua ben Levi, Num vos illud tollere ſtudetis, quod obſepit Iſraeli à tranſgreſſione? Hieroſ. Beracoth*, fol. 6. 3. Durum certè eſt jugum hoc cervici gentium omnium imponere, quod ipſis Judæis, ritibus iſtiuſmodi ſeverioribus nimiùm deditis, nimis aſperum viſum eſt, & non ferendum. Et ſi quæratur ab iis, qui immerſionem iſtam tollere ambìerunt, Numnam vos nullam omnino purificationem per aquam vultis? probabile certè eſt eos

aſperſionem aquæ admiſſuros, quæ & minùs aſpera, & non minùs rei ipſi congrua.

3. In re majori, ſecula ſubſequentia meritò & ex præſcripto divino Baptiſmum adminiſtrârunt, diſcrepantem à Baptiſmo *Joannis:* minus ergò fuit in minori diſcrepare. Applicatio aquæ neceſſariò fuit de eſſentia Baptiſmi: aſt applicatio hoc vel illo modo circumſtantiam ſonat. Additio etiam verbi fuit de eſſentia Sacramenti: aſt immutationem verbi in hanc vel illam formam num & hanc circumſtantiam etiam dixeris? Et tamen ità immutatam formam Baptiſmi legimus, ut triplicem eam fuiſſe in Novi Teſtamenti hiſtoria obſerves.

II. Formam Baptiſmi *Joannis* quod attinet [quam rem ſecundò advertendam propoſuimus]: baptizâſſe eum *in nomen Meſſiæ jam venturi* minime eſt dubitandum, colligíque poteſt ex ipſius verbis, atque ex ejus hiſtoria. Non nôrat ille adhuc *Jeſum Nazarenum* eſſe *Meſſiam*, quod & ipſe fatetur, *Joann.* i. 31. appropinquare tamen *Meſſiam* ſatìs ille novit; in illius ergò nomen accedentes ad ſe baptizavit, doctrinâ Evangelicâ eos imbuens, de fide in *Meſſia*, & pœnitentia, ut paratiores eſſent ad *Meſſiam* recipiendum, cùm ille ſeipſum manifeſtaret. Perpende *Mal.* iii. 1. *Luc.* i. 17. *Joann.* i. 7, 31, &c.

Apoſtoli, Judæos baptizantes, eos baptizârunt *in nomine Jeſu* [eò quòd *Jeſus Nazarenus* jam revelatus eſſet pro *Meſſia*] ídque cùm jam antea à Chriſto præceptum eſſet, *Baptizate omnes Gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti.* Ità intelligas oportet illud, quod dicitur *Joann.* iii. 23. & iv. 2. de diſcipulis Chriſti baptizantibus, nempe, quòd illi *in nomen Jeſu* baptizarent, ut indè dignoſceretur *Jeſum Nazarenum Meſſiam* eſſe, in cujus illico venturi nomine baptizâſſet *Joannes.* Apertum eſt illud *Petri*, *Act.* ii. 38. *Baptizamini unuſquiſque veſtrûm in nomine Jeſu Chriſti:* atque illud, *Act.* viii. 16. *Baptizabantur in nomine Jeſu.*

Gentes autem baptizârunt Apoſtoli, ſecundum præſcriptum Domini *In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti,* Mat. 28 19. Nam cùm inter Judæos ſummè controverſum eſſet de vero *Meſſia*, atque à gente iſta perfida acriter atque indefeſsè negaretur, *Jeſum Nazarenum* eum eſſe [quâ virulentiâ laborant etiam uſque in hodiernum] non ſine cauſa, imò non ſine neceſſitate, baptizatum eſt *in nomine Jeſu*, ut ſigillo iſto roboraretur iſta veritas Evangelio ſummè

ſummè cardinalis, eámque profiterentur baptizati, *Jeſum Nazarenum eſſe verum Meſſiam.* Inter Gentiles verò non controverſum eſt de vero *Meſſia*, ſed de vero Deo; inter eos ergò neceſſe fuit ut ſignaretur Baptiſmus in nomine veri Dei, *Patris, Filii, & Spiritûs ſancti.*

Acceſſiſſe ergò opinamur ad Baptiſmum *Ioannis* viros, fœminas, & parvulos, pro more Gentis in receptione Proſelytorum: eos in Jordane ſtantes à *Ioanne* audiiſſe, baptizari eos in nomen *Meſſiæ* illico venturi, ac in profeſſionem doctrinæ Evangelicæ de fide & pœnitentia: eos ſeipſos in fluvium immerſiſſe, ac ſic exiiſſe. Quodque de illis dicitur, illos ab eo baptizatos fuiſſe, *confitentes peccata*, intelligendum ſecundùm tenorem prædicationis Baptiſtæ, non quòd viritim, vel auriculari aliquâ confeſſione *Joanni* factâ, vel particularibus aliquibus peccatis apertè patefactis hoc egerint; ſed cùm doctrina *Joannis* ad pœnitentiam eos hortaretur, & ad fidem in *Meſſiam*, illi, abdicatâ atque abnegatâ doctrinâ ac opinione de juſtificatione per opera ſua, quâ olim fermentati fuerant, ſe peccatores agnoſcunt & confitentur.

Ἐν τῷ Ἰορδάνῃ.

Non potuit *Joannes* in ulla parte *Jordanis* baptizare, modò intra limites *Judææ* [quod aſſerunt Evangeliſtæ] quæ non exaruerat, tranſitúmque præbuerat Iſraelitis ex *Ægypto* profectis, jámq; terram intrantibus promiſſam.

VERS. 7. Ἰδὼν δὲ πολλοὺς τῶν Φαρισαίων καὶ Σαδδουκαίων.

§ *De Phariſæis pauca & Sadducæis.*

Hiſtoriam *Phariſæorum* ac *Sadducæorum* aggredi poſt tot viros doctiſſimos, qui eorum originem, mores, ac inſtituta tradiderunt, delirio eſſet proximum: nos perpauca, eáque minùs forſan obvia, breviter attingemus.

I. *Phariſæos* non à voce פרש, quæ *exponere* ſignificat, deductos [quod volunt nonnulli] ſatìs hoc arguit, quòd eſſent fœminæ *Phariſææ*, æquè ac viri.

Sotah, cap. 3. halac. 4. *R. Joſhua dicit, Religioſus ſtultus, Improbus aſtutus, Fœmina Phariſæa, ac illiſio Phariſæorum* in lapides, *perdunt mundum.*

Digna animadverſione ſunt ea, quæ dicuntur à Gemariſtis Babylonicis in iſtam clauſulam אישה פרושה *Fœmina Phariſæa.*

"תר בתולה צליניות ואלמנה שובבית וקטן שלא כלו לו
חרשיו הרי אלו מבלי עולם: *Docent Rabbini. Virgo procax, vidua circumvaga, & puer cujus menſes non ſunt completi, hi mundum corrumpunt. Dicit autem R. Jochanan, Diſcimus fugam peccati à virgine: & receptionem mercedis à vidua. Fugam peccati à virgine; nam audîit R. Jochanan virginem quandam in faciem pronam ſic precantem, Domine æterne, creâſti Paradiſum, creâſti & Gehennam, creâſti juſtos & creâſti impios, ſit beneplacitum tuum ut ego hominibus non ſim ſcandalo: Receptionem mercedis à vidua; nam erat vidua quædam, quæ, cùm undique eſſent Synagogæ propiores, ſe ad ſcholam R. Jochananis ſemper contulit oratura. Cui R. Jochanan, Nónne, ô filia mea, præſtò tibi ſunt Synagogæ circumquaque? At illa,* ולא שכר פסיעות יש לי *At nónne præmium futurũ eſt pro paſſibus?* vel pro itinere huc meo? *Nam dicit* [traditio] *hæ perdunt mundum, ut Joanna filia Retibi.* בעלת תפילה à Gloſſa una redditur בתולה צליניות: id eſt, virgo precibus dedita, aut virgo multarum precum. Ab alia redditur, בת תלתא צמיניות *Virgo jejuniis dedita:* מציימה אוברת בתוליה *præ jejunio virginitatem ſuam perdens.*

Viduam circumvagam eam vocant, *quæ ſemper hinc illinc circumit, vicinas viſitura,* [verba ſunt Gloſſæ]. *Atque hæ corrumpunt mundum, eò quòd non aliæ ſunt quàm mœchæ & præſtigiatrices, & tamen præ ſe ferunt ſanctitatem.*

Joanna filia Retibi [teſte etiam Gloſſâ] *fuit vidua quædam præſtigiatrix, quæ cùm appropinquaret tempus puerperii cujusvis, magicis artibus uterum puerperæ obſeraret, ut parere nequiret. Cúmque diu multúmque cruciatibus laborâſſet puerpera, diceret illa, Ibo ego & pro te ſupplicabo; forſan audientur preces meæ. Profecta præſtigias diſſolveret, atque illico naſceretur infans. Die quodam cùm quidam mercede conductus in ejus domo operam navaret, eâ ad domum puerperæ profectâ, audîit ille præſtigias tinnientes in vaſculo, cujus operculo per eum amoto, prodeunt illico præſtigiæ, ac confeſtim natus eſt infans. Atque hinc cognitum eſt eum eſſe præſtigiatricem.*

Hæc ideo citavimus, non ſolùm ut fœminas fuiſſe Phariſæas demonſtretur [ac proinde nomenclationem non ab *interpretando* aut *exponendo* eſſe deſumptam] ſed ut ſimul obſervetur, qualesnam fœminæ

minæ ut plurimùm Phariſaiſmum amplecterentur, viduæ ſcilicet & virgines, ſub velo ſanctitatis ac devotionis omnimodam nequitiam occultantes ac practicantes. Ac tantum hiſtoriæ Phariſaicæ habes, dum vocis notationem indagamus.

II. *Phariſæos* ergò à verbo פרש dictos, *ſeparationem* ſignificante, & communiùs aſſeritur, & veriùs, & res ipſa æquè ac vox loquitur. Ità ut notiori nobis vocabulo Phariſæos *Separatiſtas* ritè vocitaveris: at quo ſenſu ſcrutinio opus habet rimatiori.

Expendendæ hìc populi Judaici diſcriminationes in varias claſſes: Ac primùm à fœminis ordiemur.

1. Ut fœminis immunitatem à ritibus quamplurimis, in quibus poſita eſt pars magna religionis Judaicæ, indulſerint dicam? an præſcripſerint canones eorum, infiniti eſſet operis ſingulatim perquirere. Quàm innumeris vicibus apud pandectum Talmudicum occurrit illud, נשים ועבדי וקטני פטורין *Fœminæ, ſervi & parvuli ad hæc non tenentur?* Beracoth. cap. 3. halac. 3. *Fœminæ, ſervi & parvuli non tenentur ad recitanda Phylacteria, nec ad geſtanda,* Hieroſ. Kidduſhin, fol. 61. 3. פסחן של נשים רשות *Paſchata fœminarum ſunt ex arbitrio.* Et, nè ubiq; obviis immoremur, unum pro multis ſit illud in *Bab. Sotah*, fol. 21. 2. in Gloſſa, *Matrona quædam quæſivit à R. Eleazaro, Quare peccante Aarone in confectione vituli aurei, plectitur populus triplice genere mortis? Reſpondit ille, Nè docta ſit mulier, niſi quoad colum. Dixit ei Hircanus filius ejus, Eò quòd ei non reſpondetur verbo uno è lege, detrahet ea à nobis trecentos coros decimales annuatim. Cui ille, In ignem eant illi potiùs, quàm tradantur verba legis fœminis.*

Ex his patet fœminas Phariſaiſmũ amplexantes ex arbitrio & voto id feciſſe, non ex præſcripto: quod quidẽ etiam fecerunt viri Phariſæi.

2. A fœminis ad mares tranſeamus, ac primùm ad infimos hominum gradus in diſtinctione ad religionem ſpectante, ad eos ſcilicet, quos vulgò vocârunt בור *Rudes*, & עם הארץ *Populum terræ*, vel, Plebeios. De iis ſic Gemara in *Sotah* nuper citatâ: fol. 22. 1. *Legit quis Scripturas, & recitat Miſhnam, & tamen non famulatur diſcipulis ſapientum, quid de eo? R. Eliezar dicit* זה עם הארץ *hic eſt è populo terræ: R. Samuel bar Nachmani dicit* הרי זה בור *Ecce, hic eſt rudis. R. Jannai dicit, Ecce, hic eſt Cuthæus. R. Achubar Jacob dicit, Ecce, hic eſt Magus.* Et pau-

lò pòſt, *Quisnam eſt* עם הארץ *populus terræ: R. Meir dicit, Ille, qui Phylacteria non recitat manè & veſpere cum orationibus. At ſapientes dicunt, Ille, quicunque non reponit Phylacteria. Ben Azzai dicit, Ille, cui non eſt fimbria in veſte ſua. R. Iochanan ben Ioſeph dicit, Ille, qui non erudit filios ſuos in doctrina legis. Alii dicunt, Ille, qui etiamſi legat Scripturas, & repetat Traditiones, tamen non famulatur diſcipulis ſapientum, hic eſt,* עם הארץ *populus terræ*, vel plebeius. *Legit Scripturas, & non repetit Traditiones? Ecce, hic eſt* בור *Rudis.* Gloſſa in locum, *Populus terræ is eſt, de quo eſt ſuſpicio de decimis & munditia*, id eſt, nè ritè decimet, & ritè curet de mundationibus. Et בור *eſt* גרוע מעה *vilior vel inferior populo terræ.* Confer iſtud *Ioann.* vii. 49. *Populus qui non novit legem eſt maledictus.*

Vulgaribus hiſce hominibus opponebantur חבירים & תלמידי חכמים *Homines collegæ*, vel conſociati, & *Diſcipuli ſapientum.* Sub titulo תלמידי חכמים omnes docti & ſtudioſi comprehenduntur: ſub titulo חברים *Religioſi*, tam docti quàm indocti. Fuerunt è doctis nonnulli, quos vulgò חברייא דרבנין vel חבריהון דרבנין *Collegas Rabbinorum* vocârunt, qui adhuc candidati erant, & non ad publicum docendi vel judicandi munus promoti. Exemplo uno res illuſtretur, ex *Hieroſ. Sanhedr.* fol. 18. 3. חבירים מהו ליכנס לקידוש חדש. *Num* חבירים *Collegæ ingrediuntur ad ſtatuendum Neomeniam? R. Hoſhaia dixit, Cùm ego* חבר *Collega eſſem, induxit me R. Samuel ben R. Iſaac ad ſtatuendum Neomeniam, ego autem ignoravi num è numero eſſem nécne.* Et paulò pòſt, *An Collegæ* [vel *ſocii*] *ingrediuntur ad Emboliſandum annum? Hoc diſcamus ex exemplo Rabban Gamalielis, qui dixit, Conveniant ad me ſeptem Seniores in conclave. Ingreſſi autem ſunt octo. Quis huc ingreſſus eſt, inquit ille, abſque venia? Ego, reſpondit Samuel parvus.*

Hoc ſenſu vox חבר nihil differt à תלמיד חכם, eò quòd utraq; ſtudioſum ſignificet, & doctrinâ imbutum. At vox חבר latiorem ſenſum habet, omnes illos ſcilicet denotans qui accuratiori prætextu religioni ſeſe dediderunt, ac vitam normámque devotiorem quàm vulgus ſunt profeſſi, ſive docti eſſent ſive indocti, ſive è ſecta Phariſaica, ſive Sadducæa, ſive alia. Hinc mentio חבר כותי *Religioſi Samaritani, Bab. Berac.* fol. 44. 2. & נחתום הבר *Piſtoris religioſi, Ioma.* fol. 8. 2. Et deducta videtur Phraſiologia

à Pſal.

à Pſal. cxix. 63. חבר אני לכל אשר יראוך *Socius ego omnium qui te timent.* קבלו עליהן דברי חברות *Suſcipiunt in ſe habitum Religionis.* Vide *Bab. Avodah Zarah*, fol. 7. 1. in Gloſſa. Animadverſione etiam digna eſt diſtinctio iſta in *Hieroſ. Bava Bathra*, fol. 17. 1. τῶν חבריא זעירייא & חבריא רבריא *Religioſorum majorum & minorum.*

Appropriari tamen aliquando videtur Phariſæis, quippe qui præ omnibus aliis religionem ſplendidè palliatam induerunt, quod vel ſatìs patet ex hiſtoria Evangelica. Sic forſan intelligendum eſt illud, *Niddah*, fol. 6. 2. חברי מדכן בגלילא *Religioſi Galilæi purificant*; hoc eſt, ut explicat Gloſſa, *Mundant vinum ſuum & oleum in libationem, ſi fortè in diebus ipſorum ædificetur templum*: quæ tamen citans *Aruch* ſic explicat, חברים אוכלין חוליהן בטהרה *Religioſi comedunt communem victum ſuum in munditia.* Quâ ipſâ re Phariſæos definit Gloſſa in *Chagigah*, fol. 18. 2. לפרושין לאוכלי חוליהן בטהרה *Phariſæis, id eſt, iis qui comedunt communem victum ſuum in munditia.* Ecce, ut vox חברים & פרושין convertantur, atque ut hoc proprium eſſet, quo definiretur Phariſæus, *quòd comederet communem victum ſuum in munditia*, id eſt, quòd manus lavaret cùm comederet.

III. Phariſaiſmum non ſimul & ſemel natum arbitrandum eſt, ſed diutinæ admodum conceptionis; & formæ non ſtatæ, cùm pareretur. Idem dici de hoc ferè poteſt, quod de Traditionibus: plurimorum annorum ſœtus & hæ, & iſte. Primam Traditionum conceptionem ad tempora *Ezræ* referunt traditionarii, *Hieroſ. Megil.* fol. 75. 1. *Bab. Bava Kama*, fol. 82. 1. At quot elapſæ annorum centuriæ, ante maturum totius iſtius monſtri partum? Semina pariter prima Phariſaiſmi jacta ſunt longè ante partum, partúſque jam editus diu multúmque adoleſcens, antequàm perveniret ad maturitatem, ſi modò definiri poſſet quæ ejus maturitas.

Obſervamus illico, jacta Sadduceiſmi fundamenta diebus *Ezræ*, ante natos Sadducæos: ejuſdem diebus & jacta ſuſpicor Phariſaiſmi fundamenta diu etiam ante natos Phariſæos. Nam cùm *Phariſæi* titulo iſto inſigniti eſſent, eò quòd à reliquis hominibus, tanquam profanioribus, ſe ſepararent, cúmque in diebus *Ezræ* & *Nehemiæ* ſumma cura, eáque ſancta, fuerit ſemen Iſraeliticum ab incolis terræ Ethnicis, Samaritis ſcilicet, Aſhdodæis, Moabitis, &c. ſegregandi,

gandi, arripuerunt non multò pòst ansam homines nonnulli, nimiùm sibi arrogantes, se etiam ab hominibus seminis Israelitici separandi, quasi nimiùm profanis ac communioni suæ heu! quantùm incongruis. Quod ipsum in hodiernis Separatistis experimur. Cùm enim præceperit Scriptura Christianis, nè communicent *cum infidelibus, cum iis qui sunt ab extrà*, &c. id est, cum ethnicis; prætextum hinc arripiunt nonnulli, se à cætibus Christianorum separandi: quo jure, quo fundamento, ipsi viderint.

Tempus, quo primùm nomen *Pharisæi* natum, non investigabimus: hoc præstitum à doctioribus, ideóque tantùm observâsse sat siet. Post receptum semel hunc religionis prætextum, *quòd pium esset separare se à vulgo*, crevit indiès superstitio, quæsectæ huic ac separationi fulcro foret, ac patrocinio. Nam, cùm religionem tam supercilioſam induissent, ut vulgò dicerent, *Procul apage, ego te sanctior* [quod etiam à Propheta cum execratione prædictum, *Esaiæ* lxv. 5.] &, ut in hoc summam sanctimoniam ponerent, à vulgo, tanquam profano, se retrahere, necessarium certè fuit sub norma & regula austeriori se subdere, & circumscribere; ut nomen famámque religiosorum retinerent in rebus aliis, præter superbam ac nimiùm sibi arrogantem istam separationem. Hinc ortæ atque auctæ seculatim solicitudines de Decimationibus, & Lotionibus; hinc frequentiæ Jejuniorum atque Orationum, curæ de Phylacteriis, fimbriis, rebúsque aliis innumeris: ità ut [quod Separatistis fatale] in sectas tandem friaretur hæc secta, ac Pharisæus Pharisæo idem ferè foret, quod Pharisæo *populus terræ*.

Septem sectas Pharisæorum numerat *Talmud* utrumque; *Hieros.* in *Berachoth*, fol. 13. 2. & *Sotah*, fol. 20. 3. & *Bab. Sotah*, fol. 22. 2. itémque *Aruch*, in פרוש: quas non pigebit penicillo eorum descripsisse, ut, quò insaniæ deventum fuerit ab hac secta, videat Lector, æquè ac quò hypocriseos.

שבעה פרישין הן *Septem sunt Pharisæi.*

1. פרוש שכמי *Pharisæus Sichemita*: Bab. זה עשה מעשה שכם: *Hic facit ut Sichem:* Glossa, *Qui circumcisus est, sed non in honorem Dei.* Hieros. טעין מצוותיה על כתפיה *Portat præcepta sua super humeros suos*: id est, ut explicat *Aruch*, *Ligna ad conficiendum tabernaculum*, in festo Tabernaculorum, *aut aliquid istiusmodi.*

2. פרוש

2. פרוש ניקפי *Phariſæus percuſſus*, vel *illidens*. Bab. המנקף את רגליו *Qui illidit pedes ſuos*. Gloſſa, *Qui incedit in humilitate, calce pedis hujus pollici iſtius contiguo: nec pedes à terra extulit, ità ut illiderentur pollices ad ſaxa*. Aruch, *Qui longè ſe retraxit, nè homines in viis premeret, & pedes ſuos alliſit ad ſaxa*. Hieroſ. אקיף לי ואנא עבר מצורה *Percute me* [aut *circumda me*] *& tamen ego præſtabo mandatum.*

3. פרוש קוזאי *Phariſæus ſanguinem eliciens*. Bab. *Sanguinem elicit ad parietes*. Gloſſa, *Se talem præſtitit, ac ſi obturatis eſſet oculis, nè aſpiceret fœminam, atque hinc in parietes caput illiſit, emiſitque ſanguinem*. Aruch, *Se ad parietes ità compreſſit, nè tranſeuntes premeret, ut ex illiſione ſanguinem eliceret*. Hieroſ. *Præſtat unum præceptum, ac unum officium, ac ſanguinem elicit ad unumquodque.*

4. פרוש מרוכיא *Phariſæus mortarii*. Aruch, *Incedens in tunica fluente mortarii inſtar erat, cujus os ſcilicet deorſum verſum eſt. Sic ille, fluente veſte, ſuprà erat arctior, latior infrà*. Hieroſolymitano eſt פרוש מנכייה *Qui dicit, Quodcunque meum eſt ego ſubtraho, ac præſto mandatum.*

5. פרוש מה חובתי ואעשנה *Phariſæus qui dicit, Noſcam quid ſit officium meum, & præſtabo*. Hieroſ. *Præſtiti officium, ut præſtetur mandatum ſecundum illud*. Aruch, *Quaſi diceret, Non eſt qui oſtendat mihi in quo ſim transgreſſus.*

6. פרוש יראה *Phariſæus timoris*: ſicut *Jobus*.

7. פרוש אהבה *Phariſæus amoris*: ſicut *Abrahamus*. Hieroſ. אין לך חביב מכולן אלא פרוש אהבה כאברהם: *Inter hos omnes non eſt aliquis amari dignus, præter Phariſæum amoris.*

An in ullas harum ſectarum luxatus fuerit Phariſaiſmus in diebus *Baptiſtæ*, non diſputamus. Detur optimos, modeſtiſſimos, ex iſta claſſe ad Baptiſmum ejus acceſſiſſe: optimi Phariſæorum, certè peſſimi hominum: atque eò mirandum magis eſt, hos Baptiſmum ejus ità amplexos, cùm normæ Phariſaicæ ſummè eſſet contrarium inter vulgus verſari, cujus tantus concurſus ad *Joannem*; & ſummè contrarium doctrinæ Phariſaicæ, aliquam juſtitiam vel ſomniare præter eam, quæ ex operibus legis, cui contradixit doctrina *Joannis* ex diametro.

Sadducæorum originem ut plurimùm referunt docti, tam Judæi, quàm Chriſtiani, ad *Zadok* quendam, Diſcipulum *Antigoni Sochæi*: qui *Antigonus* cathedram in Synhedrio ſummam occupavit poſt mortem *Simeonis Juſti*. De eo ſic tractatus *Avoth*, cap. 1. *Antigonus è Socho traditiones accepit à Simeone Juſto. Ille dixit, Nè ſitis ſicut ſervi, qui domino famulantur præmii ergò, ſed ſitis ſicut ſervi, qui domino famulantur non præmii ergò, ſed dominetur vobis timor Dei.*

Huic ſapienti [inquit *Rambam* in locum] *erant duò Diſcipuli, Zadok & Baithus, qui cùm hoc à magiſtro audirent, inter ſe, cùm exîiſſent, dixerunt, Magiſter noſter in expoſitione ſua nos docet, non eſſe vel præmium vel pœnam, nec ullam omnino* [in futurum] *expectationem*: (*Nam quid ſibi vellet ille, non intellexerunt.*) *Mutuò ergò ſeipſos confirmârunt, ac receſſerunt à norma, ac legem deſeruerunt: atque utrique adhæſit aliqua turba. Eos ergò ſapientes vocârunt Sadducæos & Baithuſæos.* Et paulò póſt, *In his autem regionibus, nempe in Ægypto, vocant eos Karaitas,* [קראים] *at nomina eorum apud ſapientes ſunt Sadducæi & Baithuſæi.* Vide etiam *Avoth R. Nathan*, cap. 5.

Hìc tamen ſcrupulum objicit illud quod dicitur, *Bab. Beracoth*, fol. 54. *Ad coronidem omnium orationum in Templo dixerunt* עד עולם *In ſeculum. Cùm verò irrumperent Hæretici, dicerentque, Non eſſe ſeculum niſi unum, inſtitutum eſt ut diceretur* מן העולם ועד העולם *A ſeculo in ſeculum.* In hæc verba ſic Gloſſa, *In Templo primo non dixerunt niſi Benedictus Dominus Deus Iſraelis in ſeculum. Cùm verò irrumperent hæretici, qui dicerent, Non eſſe ſeculum præter hoc, inſtituit Ezra, & confeſſus ejus, ut diceretur,* מן העולם ועד העולם *A ſeculo in ſeculum: ad innuendum, duplicem eſſe mundum,* [hunc, & futurum] *ad extirpandum è corde opinionem negantium reſurrectionem mortuorum.*

Adverte, lector, *fuiſſe qui reſurrectionem mortuorum negarent in diebus Ezræ*, cùm jam non natus eſſet *Zadok* pater Sadducæorum: nam, poſt *Ezram* ejúſque Synagogam magnam [quæ per multos annos *Ezrâ* jam mortuo duravit], ſedit *Simeon Juſtus*, ſacerdotio ſummo fungens, per annos quadraginta: eúmque in cathedra Synhedriali excepit *Antigonus Sochæus* magiſter *Zadoki*. Ità ut quamvis

vìs meritò malè audiant *Sadducæi*, ob negatam reſurrectionem, iſtáque fuerit eorum præcipua hæreſis, fuit tamen iſta hæreſis, cùm non adhuc eſſent hæretici, qui denominarentur *Sadducæi*. Cui forſan ſuffragantur illa [quæ talem Hæreſim ſatis ſapiunt] Malach. iii. 14. *Dixiſtis fruſtrà eſſe quòd inſerviamus Deo*, &c.

Sadducæos ergò hæreticos à *Zadok* denominatos non eſt inficiandum, at Sadducæorum hæreſim de Reſurrectione antiquiorem nomine iſto fuiſſe, non ſine ratione opineris: nec primùm ortum eſſe execrandum iſtud dogma ex malè intellectis verbis *Antigoni* per *Zadokum* & *Baithuſum*, ſed originis eſſe vetuſtioris, etiam cùm adhuc in vivis eſſent Prophetæ *Zacharias*, *Malachias*, atque ipſe *Ezra* [ſi is *Malachias* non fuit, quod opinantur Judæi]. Ego itaque ortam potiùs hæreſin iſtam arbitror ex malè intellectis verbis *Ezekielis*, cap. xxxvii. quæ ſecundùm literam intelligentes quidam, & ſimul nullam reſurrectionem videntes, nullam exinde futuram ſomniârunt. Crevítque hoc dogma, atque in ſectam ſuperbìit, cùm tandem è cathedra per *Antigonum*, Synhedrii præſidem, de eo ità determinatum fuiſſe, fucato prætextu pariter atque audaci, aſſererent diſcipuli ejus *Zadok* & *Baithus*.

Ortum Sadducæorum non multùm poſt obitum *Simeonis Juſti* cùm repeto, non incommodè ſubit illud, quod à Talmudicis memoratur de mutata in pejus rerum facie ab ejus obitu. *Hieroſ. Joma*, fol. 43. 3 *Omnibus diebus Simeonis Juſti, vix pervenerat caper emiſſarius ad medium præcipitii montis* [unde dejiceretur] *cùm jam in fruſtula comminueretur: at, mortuo Simeone Juſto, aufugit* [vivus] *in deſertum, & comeſtus eſt à Saracenis. Dum viveret Simeon Juſtus, ſors Dei* [in die Expiationis] *prodìit ſemper ad manum dextram: mortuo Simeone Juſto, prodìit quandoque ad dextram, quandoque ad ſiniſtram. Omnibus diebus vitæ Simeonis Juſti, lingula coccinea ſemper dealbuit: mortuo Simeone Juſto, aliquando dealbuit, aliquando rubuit. Omnibus diebus vitæ Simeonis Juſti, lucerna occidentalis ſemper arſit: eo mortuo aliquando arſit, aliquando extincta eſt. Omnibus diebus vitæ Simeonis Juſti, ignis in altari vigùit & valuit, &, poſt impoſita manè duo ligni ſegmenta, aliud quid non impoſuerunt per totum diem: aſt, eo mortuo, elanguit ejus vigor adeò, ut per totum diem ſupplere cogerentur. Omnibus diebus vitæ Simeonis Juſti, emiſſa eſt benedictio in duos panes, & panes propoſitionis ità, ut unicuique Sacerdoti cederet por-*

tio, ad minimum ad quantitatem olivæ, forénque qui ad ſatietatem comederent, forénque quibus poſt comeſtionem ad ſatietatem aliquid eſſet reliquum: at mortuo Simeone Iuſto retracta eſt iſta benedictio, ceſſítque tantillum unicuique, ut modeſti manus retraherent, guloſi extenderent.

Γεννήματα ἐχιδνῶν.

I. Ὄφεις. cap. xxiii. 33. Non tam *Semen Abrahæ*, quod jactatis, quàm *ſemen ſerpentis.* Ὁ Ἀντίχριστος, ὁ Ἀντικείμενος, 2. *Theſſ.* ii. 4. Gens & ſoboles ex diametro oppoſita, atque inimica ſemini illi mulieris, & calcaneum ejus contritura.

II. Hinc, non abſque fundamento, concluditur, rejectam fuiſſe iſtam gentem, & in reprobum ſenſum traditam, etiam, ante adventum Chriſti: erant non ſolùm γενεαὶ, *generatio*, ſed γεννήματα, *ſoboles viperarum*, ſerpentes è ſerpentibus orti: nec mirum, ſi illi à Deo rejecti, cùm jam Deum, verbúmque Dei rejecerant dudum per ſuas traditiones: vide illud *Matth.* xiii. 13, 14, 15. & 1 *Pet.* ii. 10. *Non erat is populus.*

Erat quidem inter eos reſiduum quoddam, per Chriſtum colligendum: quóque collecto, tradita eſt gens reliqua in perditionem ſempiternam Hoc λεῖμμα eſt illud Apoſtoli, *Rom.* xi. 5. jam tum exiſtens, cùm ille iſta ſcriberet, tunc colligendum, ante everſam gentem.

Φυγεῖν ἀπὸ τῆς μελλούσης ὀργῆς.

Reſpiciunt hæc verba noviſſima verba Vet. Teſtamenti, *Nè percutiam terram Anathemate*, Mal. iv. denotántque excidium gentis miſerrimum, jámque ferè impendens.

Suſceptio Baptiſmi *Joannis* ſignavit, ſepsítque à ruina iſta illico ventura. Huc pertinet illud *Petri*, epiſt. 1. cap. iii. ver. 20, 21. Eo modo, quo liberatus eſt *Noachus* cum ſuis per aquas à diluvio; *Ità ſervat & nos, iſtius typi antitypos, jam Baptiſmus*, à diluvio divinæ indignationis in gentem Judaicam brevi undaturo. Cogita hìc num non parvulos ſuos ſecum ad Baptiſmum ducerent accedentes ad Baptiſmum; cùm, apertis *Baptiſtæ* verbis, baptizati *iram venturam fugere* dicantur? id eſt, *iram Dei*, non ità ab hinc diu gentem iſtam miſerrimâ ſtrage perdituram.

VERS. 9. Μὴ δόξητε λέγειν.

Phraſiologia Hieroſolymitana in iſto Talmude ubivis obvia. סבר מימר

VERS. 10. Ἡ ἀξίνη πρὸς τὴν ῥίζαν.

Deſumi hæc videntur ab *Eſaiæ*, cap. x. ver. 33, 34. A Romanis futurum erat gentis excidium, qui jam diu eam ſub jugo preſſerant: ſecuris iſta, ad arboris radicem jam poſita, eam certè exſcindet, ſi modò, ex ultima hac cultura per Evangelium, fructus non ferat. In *Hieroſ. Beracoth*, fol. 5. 1. applicantur iſta verba *Eſaiæ* ad urbis excidium, atque indè arguitur *Meſſiam* non ità multò ab iſtius excidii tempore naſcendum, quòd illico, poſt iſtius ruinæ minas, ſequatur, *Orietur germen è ſtirpe Ieſſe*, Eſai. xi. 1.

VERS. 11. Οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς τὰ ὑποδήματα βαστάσαι.

Apud *Lucam* eſt, Λῦσαι τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων, quod eodem redit: utrumque idem ſonat ac ſi dixiſſet, *Cujus ego non dignus ſum ut ſim ſervus.*

Maimon. in מכירה cap. 2. *Servus Cananæus eſt ſicut fundus, quoad emptionem: emitur enim nummo, aut ſcripto* או בחזקה, *aut famulitio aliquo præſtito, arrhabonis aut pignoris inſtar. Et quænam eſt talis oppigneratio, in emptionem ſervorum? ut ſolvat nempe ei* [ementi ſcilicet] *calceum ſuum, aut liget calceum, aut neceſſaria ei ad balneum portet.* &c. Adducit hæc *Maimonides* ex *Bab. Kidduſhin*, fol. 22. 2. ubi hæc habentur, *Quomodo emitur ſervus* בחזקה? *Solvit ementi calceum, portat poſt eum quæ ei neceſſaria ad balnea, deveſtit eum, lavat, ungit, fricat, reveſtit, induit calceos, ac à terra levat*, &c. Vide & *Toſaphta* ad *Kidduſhin*, cap 1.

Hoc obiter notandum quod innuit Gloſſa, Omnes ſervos, è quocunque gente Ethnica, à Judæis coemptos, *ſervos Cananæos* dici, eò quòd de *Canaane* dicitur, *Canaan ſervus ſervorum.*

VERS. 15. Οὕτω πρέπον ἐστὶν ἡμῖν πληρῶσαι πᾶσαν δικαιοσύνην.

Id eſt, *Ut compleamus omne quod juſtum eſt.* In baptizatione autem Chriſti hæc duo præcipuè juſta. 1. Ut magnus hic Sacerdos, ad munus ſuum miniſteriale initiatus, typo reſponderet admiſſionis Sacer-

cerdotum Leviticalium; qui lotione ac unctione initiati ſunt; ille Baptiſmo, atque Spiritu ſancto. 2. Cùm, ex inſtitutione Chriſti, introeuntes in Evangelii profeſſionem per Baptiſmum erant introducendi: juſtum, imò neceſſe erat, ut Chriſtus in eandem profeſſionem, imò & prædicationem, ingreſſurus, per Baptiſmum admitteretur.

VERS. 16. Καὶ βαπτισθεὶς ὁ Ἰησοῦς.

I. Chriſtum in terris triginta duos annos & dimidium egiſſe [quot regnavit *David Hieroſolymis:* confer II *Sam.* v. 5.] ex hoc aſtruitur. 1. Quòd baptizatus eſſet, cùm vigeſimum nonum annum jam compleverat, & triceſimum jam recèns inchoârat. Id ſonant verba *Lucæ*, ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὢν; quæ utcunque à Chriſtianis nonnullis ad hiulcam neſcio quam latitudinem applicentur; in ſcholis tamen Judaicis, atque apud iſtam gentem, non aliam certè ſenſum admitterent, quàm quem proferimus, quippe quòd illìc hoc axiomà obtineret: יום אחר בשנה חשוב שנה *Dies primus anni reputatur pro iſto anno.* Roſh haſhanah, *fol.* 2. 2. Et *Lucas* certè loquitur cum vulgo: nam ſupponatur Evangeliſtam hæc verba in ſchola aliqua Judaica protuliſſe, *N. baptizatus fuit* ἀρχόμενος ὢν ὡσεὶ τριάκοντα ἐτῶν: quomodo ab iis intelligi poſſet de triceſimo completo? [multò minùs de triceſimo primo aut ſecundo, quò torquent nonnulli] cùm vocabula ἀρχόμενος ὡσεὶ tam ſymphonè cum dicto axiomate congruerent, ut vix quicquam clariùs. 2. Quòd à Baptiſmo ad crucem egerit annos tres & dimidium. Innuitur hoc ab Angelo *Gabriele*, Dan. ix. 27. *In medietate ſeptimanæ* [id eſt, In tribus annis & dimidio] *ceſſare faciet ſacrificium atque oblationem*; ac confirmatur à computo apud Evangeliſtas, præſertim verò apud *Joannem*, qui quatuor Paſchata clarè memorat [*cap.* ii. 13. & v. 1. & vi. 4. & xiii. 1.] poſt quadraginta dies jejunii, exactúmque non parùm temporis in *Galilæa*.

II. Baptizatum ergò Chriſtum arbitramur circa feſtum Tabernaculorum menſe *Tiſri*, quo tempore etiam natum arbitramur; *Joannémque* natum circa feſtum Paſchatis, atque ad id temporis baptizare orſum. Cùm enim per annos triginta duos & dimidium vixerit Salvator, obìerítque ad feſtum Paſchatis, neceſſe eſt ut ad menſem *Tiſri*, ac circa tempus Scenopegiæ, reducas ejus natalitia: cùmque per ſpatium ſemeſtre ſenior illo natu foret *Joannes Baptiſta*,

ſta, circa feſtum Paſchatis eum natum neceſſe eſt ut arbitremur. Sed de his aliquid anté.

VERS. 17. Καὶ ἰδοὺ, φωνὴ ἐκ τῶν οὐρανῶν.

Trino teſtimonio, per vocem è cœlo, decoratus eſt Chriſtus, pro triplici ejus officio. Vide quæ dicimus ad *cap.* xvii. 2.

Vocem cœlitùs demiſſam non invenis inter datam legem & baptizatum Chriſtum Quæ de *Bath Kol* referunt Judæi, ignoſcant illi mihi, ſi ego partim pro fabulis habeam Judaicis, partim pro præſtigiis Diabolicis. *Pro traditione habent, poſt mortem Prophetarum ultimorum, Haggæi, Zachariæ, Malachiæ*, נסתלקה רוח הקדש מישראל *diſceſſiſſe Spiritum ſanctum ab Iſraele* [quod quidem veriſſimum] ואעפ בן משתמשין בבת קול *veruntamen eos exinde uſos Bath Kol.* Bab. Sanhed. *fol.* 11. 1. *Bath Kol hoc fuit*; כשקול יוצא מן השמים יוצא מתוכו קול אחר: *Cùm egrederetur vox* [vel *tonitru*] *è cœlo, vox alia ex ea prodiit.* Piske Toſaph. *in* Sanhedr. *cap.* 1. *art.* 29.

Aſt eccur, quæſo, ſubtracta erat Prophetia, ſi continuanda oracula cœleſtia? Cur ſubtractum etiam *Urim* & *Thummim*? aut potiùs non redditum poſt captivitatem Babylonicam? Nam, *quinque*, inquiunt, *defuerunt Templo ſecundo quæ adfuerunt primo: Ignis ſcilicet cœleſtis, Arca, Urim & Thummim, Oleum unctionis, & Spiritus ſanctus*, Hieroſ. Taanith, *fol.* 65. 1. Mirum certè, ſi Deus ordinaria ſua oracula à populo abripiens, aut nobiliore eum donaret, aut æquè nobili; ídque cùm jam in omnimodam impietatem, ſuperſtitionem, hæreſim, gens degenerâſſet, atque eſſet prolapſa. Cùm morerentur ultimi Prophetæ, *Haggæus* reliquíque, irrepſit hæreſis Sadducæa de reſurrectione, & Phariſaica omnem Scripturam vanis traditionibus enervans, atque irritam faciens: Et eredámne ego, Deum populo tam dirâ Apoſtaſiâ laboranti ità indulgentem, ut è cœlo cum iis familiariter colloqui dignaretur, atque iis oracula tam ſublimia exhibere, támque frequentia, ut non paria Prophetis? Si eloqui liceat quod ſentio, hiſtorias iſtas innumeras de *Bath Kol*, quæ ubique occurſant, ego ſub his duobus capitibus reduxerim, nempe, quòd plurimæ ſint meræ fabulæ, ad hoc inventæ, ut hinc dignitas hujus vel illius Rabbini aut hiſtoriæ illuſtretur; reliquæ, meræ delúſiones magicæ & Diabolicæ.

Cùm hæc & hujuſmodi lego, *Bath Kol in Ierichunte, Hilleli teſtimoni-*

ſtimonium perhibuiſſe, quòd dignus fuit, in quem habitaret Spiritus ſanctus: Bath Kol in Iabneh idem teſtimonium perhibuiſſe Samueli parvo. Bab. Sanhed. ubi ſuprà. *Bath Kol iterum in Iabneh determinâſſe controverſias inter ſcholas Shammæanam atque Hillelianam pro Hillelianis*, Hieroſ. Berac. *fol.* 3. 2. aliáque id genus innumera: non poſſum ego non vel fabulas hìc ſuſpicari, aut magicâ arte formatas haſce voces in honorem Rabbinorum.

Memorabile eſt quod refertur in *Hieroſ.*, *Schab.* fol. 8. 3. אר אלעזר הולכין אחר שמיעת בת קול: *Dicit R. Eliezer, Sequuntur auditum Bath Kol.* Et paulò póſt, *R. Iochanan & R. Simeon ben Lachiſh deſiderârunt videre faciem Samuelis* [doctoris Babylonici.] *Sequamur, inquiunt, auditum Bath Kol. Iuxta Scholam ergò itinerantes audîerunt vocem pueri iſtud legentis* [in I Sam. xxv. 1.] ושמואל מת *Et Samuel mortuus eſt. Hoc obſervârunt & ſic evenit*: nam mortuus eſt *Samuel Babylonicus.*

R. Ionah & R. Ioſah profecti ſunt viſitatum R. Acha ægrotantem, Sequamur, inquiunt, auditum Bath Kol. Audierunt vocem fœminæ cujuſdam, vicinæ ſuæ dicentis, Extinguitur lucerna. Cui illa, Nè extinguitor, neu extinguatur lucerna Iſraelis.

Ecce tibi, lector [cum novo genere *Bath Kol*], populum decipi contentiſſimum. Confer hæc cum Virgilianis ſortibus, de quibus frequentur Romani hiſtorici. His duobus ergò tantùm obſervatis (nè ulterius de hac re tædio ſimus) 1. Præter modum artibus Magicis, ſub Templo ſecundo deditam gentem. 2. Prætérque modum, omnimodæ deluſionis credulitati deditam: & tutò ſuſpiceris voces iſtas, quas cœleſtes exiſtimârunt, atque inſignîerunt nomine *Bath Kol*, vel à Diabolo in aere formatas, uc deciperet populum, vel à Magis diabolicâ arte, ut res ſuas promoverent. Hinc meritò Apoſtolus *Petrus ſermonem Propheticum firmiorem voce è cœlo* dicit, II *Pet.* i. 19.

Ipſiſſimum idem, quod de *Bath Kol* judico, ſentio etiam de frequentibus apparitionibus *Eliæ*, quibus ubique ſcatent paginæ Talmudicæ, quòd ſcilicet in plurimis laborant hiſtoriæ falſitate, in reliquis viſa ſunt ſpectra Diabolica. Vide notas ad capitis decimi ſeptimi verſum decimum.

CAP.

CAP. IV.

VERS. 1. Ἀνήχθη εἰς τὸν ἔρημον ὑπὸ τοῦ πνεύματος, πειρασθῆναι, &c.

INdictum olim in *Edene* bellum inter ſerpentem, ſeménque ſerpentis, & ſemen mulieris, *Gen.* iii. 15. jam locum obtinet; cùm ſemen illud mulieris promiſſum in arenam jam prodit [ad publicum miniſterii ſui munus, Baptiſmo initiatus, ac Spiritu ſancto unctus,] cum antiquo ſerpente illo dimicaturus, ac caput ejus tandem contriturus. Et, cùm ſemper infandæ impudentiæ fuerit Diabolus, obduratiorem nunc aſſumit ſibi audaciam, etiam cum eo, quem ſatìs novit Filium Dei, belligerandi, eò quòd ex antiqua illa belli hujus indictione bene nôrit, ſe calcaneum ejus contriturum.

Scena aut arena certaminis prima, *Deſertum Judææ*, quod innuit *Lucas*, cùm dicit *Jeſum rediiſſe à Jordane*, ac *ductum à ſpiritu in eremum*, ab eadem ſcilicet *Jordanis* ora, aut regione, in qua fuerat baptizatus.

Tempus tentationum à medio menſis *Tiſri* ad exactos dies quadraginta, hoc eſt, ab initio *Octobris* noſtri ad medium *Novembrim* aut circiter: ità ut cum frigoribus certatum ei ſit, æquè ac cum inedia, ac Satana.

Modus tentationum duplex: Primò, inviſibiliter, prout tentare Diabolus ſolet peccatores; atque hoc per dies quadraginta: omni induſtriâ nitente tentatore, ut, ſi fieri poſſet, ſuggeſtiones ejus animo Chriſti injiceret, quod facit mortalibus. Quod cùm præſtare nequiret, quia in eo nihil invenit, in quo pedem figeret talis tentatio, *Joan.* xiiii. 30. aliam aggreſſus eſt viam, viſibili nempe formâ ei apparendo, ac cum eo congrediendo, eâque formâ Angeli lucis. Conferantur Evangeliſtæ; *Marcus* dicit *tentatum eum per dies quadraginta*, ſic etiam *Lucas*: At *Matthæus*, *acceſſiſſe ad eum tentatorem poſt dies quadraginta*, hoc eſt, ſpecie viſibili.

Materia tentationum par admodum tentationibus *Evæ*.

Lapſa eſt ea, præ *concupiſcentia carnis*, *concupiſcentia oculorum*, & *faſtu vitæ*; quæ capita peccatorum omnium, 1 *Joan.* ii. 16.

Concupiſcentiâ oculorum; nam *vidit fructum*, *quòd eſſet aſpectui jucundus*.

Concupiſcentiâ carnis; Cupivit, *eò quòd deſiderabilis eſui.*

Superbiâ vitæ; non contenta ſtatu perfectionis, quo creata, altiorem ambivit, atque accepit è fructu & comedit, ut evaderet indè ſapientior.

Iiſdem machinis aggreſſus eſt idem tentator Salvatorem.

1. Prout decepta *Eva* ex errore perſonæ, bonum Angelum cum ea collocutum arbitrata, cùm eſſet malus: ſic bonum Angelum hìc pariter induit Diabolus luce veſtitum & fictâ gloriâ.

2. Irretire Chriſtum nititur, Concupiſcentiâ carnis, *Dic, ut lapides hi fiant panes:* Concupiſcentiâ oculorum, *Hæc omnia tibi dabo, & gloriam eorum:* Faſtu vitæ, *Præcipita te deorſum*, ac vola in æthere, ſublevatus ab Angelis.

VERS. 5. Ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ.

An ſupra ipſum Templum ſtiterit eum, an ſupra aliquod ædificium intra ambitum ſacrum, fruſtrà eſt quærere, quia non eſt invenire. Si ſuper ipſum Templum, ego in ſummitatem הֵיכָל reflecterem; ſi ſuper aliquod aliud ædificium, ego in Στοὰν βασιλικὴν. Soliti ſunt Sacerdotes in ſummitatem Templi aliquando aſcendere, gradibus in hunc finem diſpoſitis, ac deſcriptis in codice Talmudico *Middoth*, cap. 4. halac. 5. atque huc aſcendiſſe dicuntur, *cùm primo Templo flammæ admoverentur, & claves camerarum Templi, ſurſum, cœlum versùs jeciſſe cum his verbis, O Domine noſter æterne, quoniam nos digni non ſumus, qui claves has retineamus, tibi traditæ ſunt. Et prodiit è cœlo quaſi forma manûs, atque eas ab illis recepit: illi autem deſultârunt, & ceciderunt in ignem.* Bab. Taanith, *fol.* 29. 1.

Præ omnibus aliis Templi partibus τὸ הֵיכָל etiam totum πρόναον, non immeritò τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ vocari poteſt, eò quòd alarum inſtar latitudinem ſuam utrinque extenderet, longè ultrà latitudinem Templi: quod obſervamus alibi.

Si ergò Diabolus Chriſtum in ipſo præcipitio hujus partis Templi collocârit, ὅτι τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ ſtatuiſſe eum meritò dici poſſit, & quòd hæc pars πτερυγίε inſtar fuerit ipſi Templo, & quòd iſtud præcipitium fuerit πτερύγιον hujus partis.

Si autem eum ἐπὶ Στοὰν βασιλικὴν collocatum ſupponas aſpice eam à *Joſepho* ſic depictam, *Antiqu.* lib. 15. cap. 14. *Ab Auſtrali* [atrii gentium] *parte erat* Στοὰ βασιλικὴ, *inter magnificentiſſima*

ſub

ſub Sole memoranda: ſuper enim immenſam vallis profunditatem, non pertingendam ab oculis ſuprà ſtantis, Porticum erexit Herodes vaſtæ altitudinis, à cujus culmine ſi quis deſpiceret deorſum, σκολοδινεῖν ὐκ ἐξικνμένης τῆς ὄψεως εἰς ἀμέτρητον τὸν βυθόν, *vertiginaretur, non pertingentibus oculis ad immenſam profunditatem.*

VERS. 8. Δείκνυσιν ἀυτῷ πάσας τὰς βασιλείας τῦ κόσμυ, &c.

Id eſt, *Romam* cum imperio ſuo & pompa. Nam 1. iſtud imperium vocatur πᾶσα οἰκυμένη [quo vocabulo in hac hiſtoria utitur *Lucas*] & à Scriptoribus ſacris & profanis. 2. Sordebant omnes civitates jam præ *Roma*, nec quicquam gloriæ reportabat ulla pars terræ extra iſtud imperium. 3. *Roma ſedes Satanæ*, Apoc. xiii. 2. atque ipſe beſtiæ iſtius urbis & eam conceſſit & tyrannidem. 4. Iſtud ergò, quo Salvatorem ineſcari in hoc objecto aggreditur, hoc eſſe videtur, nempe, ſe ei donaturum promittit pompam & poteſtatem *Cæſaream*, & in manum ejus traditurum ſummum mundi imperium, id eſt, *Romanum*. Hoc poſteà adeptus eſt *Anti-Chriſtus*.

VERS. 13. Καὶ καταλιπὼν τὴν Ναζαρὲθ ἐλθὼν κατῴκησεν εἰς Καπερναούμ.

Cur *Nazaretham* deſeruerit, poſt tranſactos illìc viginti ſex aut ſeptem annos, ratio patet, *Luc* iiii. 28, &c. Illuc rediiſſe eum non legimus; & ſic tuâ ſtultitiâ & perverſitate peris, ô infelix *Nazareth*! Num hæreditas ulla patri ejus *Joſepho* fuerit *Capernaumi*, quam ipſe ut hæres occupavit, an potiùs in domo aliqua conductitia illìc habitaverit, non diſputamus. Vocatur certè hæc *ejus civitas*, *Matth.* ix. 1, &c. atque hìc, ut civis, didrachma ſolvit, *Matth.* xvii. 24. Ubi notatu dignum eſt, quod dicitur, *Bava bathra*, cap. 1. halac. 6. כמה יהא בעיר ויהא כאנשי העיר יב חדש *Quamdiu habitans in aliqua civitate fit tandem ſicut unus è civibus? Per duodecim menſes.* Idem recitatur *Bab. Sanhedr.* fol. 112. 1. Gemara Hieroſolymitana ſic explicat, *Si commoretur in urbe triginta dies, fit ſicut unus è civibus, quoad ciſtam eleemoſynariam: ſi ſex menſes, quoad veſtitum: ſi duodecim menſes, quoad tributa & veſtigalia:* addit Babylonica, *ſi novem menſes, quoad ſepulturam.* Hoc eſt, ſi commoretur quis in civitate aliqua per triginta dies, ex-

ſgunt ab eo eleemoſynam pro pauperibus: ſi ſex menſes, tenetur cum ceteris civibus ad veſtiendum pauperes: ſi novem menſes, ad mortuos pauperes ſepeliendum: ſi per duodecim menſes, ad omnia alia tributa cum civibus ſubeunda. Vide Gloſſam.

VERS. 15. Γῆ Ζαβελὼν καὶ γῆ Νεφθαλείμ.

Neceſſe eſt ut perpendantur verba *Eſaiæ*, unde hæc deſumuntur. Egerat ille, capite octavo ad finem, de anguſtiis & miſeriis, tranſgreſſores Legis & teſtimonii circumvallantibus. *Ad Legem & teſtimonium*, &c. verſu 20. ועבר בה נקשה ורעב. *At ſi in eam* [id eſt, תעודה & תורה] *tranſgrediatur, duriter ei cedet, atque ille eſuriet*, &c. verſu 21. *Atque in terram reſpiciet, &, ecce, Anguſtia, & tenebræ, caligo angoris, & propelletur ad tenebras*, verſu 22. Et cum ſequitur, cap. ix. 1. כי לא מועף לאשר מוצק לה *Nam non erit caligo ſimilis ei, quâ miſerè ei fuit, quo tempore prior* [afflictor] *leviter attigit terram Zebulun & terram Nephthali, & poſterior graviter*, &c. *Populus iſte qui ſedit in tenebris vidit lucem magnam*, &c.

Illud, quod Propheta hìc vult, hoc eſt. 1. Contemptores *Emanuelis*, ac ſui teſtimonii, hoc eſt Evangelii, majorem longè calamitatem ſubituros, quàm ſubierant loca iſta vel ſub primo victore, *Benhadado*, I *Reg.* xv. 20. vel ſub poſteriore, Rege *Aſſyriæ*, II *Reg.* xv. 29. Nam loca iſta lucem tandem viderunt ſibi reſtitutam, cùm Evangelium illìc jam prædicaret *Meſſias*: at contemptores Evangelii in tenebras pelluntur æternas. 2. Prædicit auroram libertatis, ac lucis Evangelicæ, illìc orituram, ubi primæ captivitatis ortæ fuerant tenebræ, ac calamitates. Hæc citans *Matthæus*, ut adimpletam oſtenderet Prophetiam, de oritura illìc iſta luce, ea omittit, quæ de priſtina calamitate agunt, primam ſcilicet verſiculi clauſulam, atque ea ſolùm, ídque quàm aptiſſimè, adducit, quæ ad rem ſuam faciunt, quæque eò directè collimant ex intentione Prophetæ. Ejuſmodi decurtationem adhibet Prôpheta *Hoſeas*, cap. i. 11. & ii. 1. Cùm miſeros prædicat *Iſraelem*, & *Judam*, *Lo-Ammi* eos vocat & *Lo-ruchamah*? cùm feliciores, *Ammi*, & *Ruchamah*.

Πέραν τοῦ Ἰορδάνου.

Non *Secus Jordanem*, ſed *Trans Jordanem*. Nam afflictor poſterior,

ſterior, Rex *Aſſyriæ*, regionem etiam iſtam in exilium & vincula abduxerat, I *Paral.* v. 26. Eſt hìc Ellipſis conjunctionis *Et*.

VERS. 18. Βάλλουσας ἀμφίβληστρον εἰς τὴν θάλασσαν.

מחכין בימה של טבריה Talmudicè, in *Bava Kama*, ubi anté. Somniatur illìc à patribus Traditionum *Joſuam* filium *Nun*, decem jura Iſraelitis dediſſe, de communitate in rebus quibuſdam ſicitâ & permittendâ. ת"ר עשרה תנאין התנה יהושע. *Tradunt Rabbini noſtri Joſhuam decem conditiones inſtituiſſe:* שיהו מרעין ברורשין: *Ut indifferenter pecudes paſcant in locis ſaltuoſis:* ומלקטין עציהם בשדותיהם *Et ut indifferenter quis colligat ligna, ex agro proximi*, &c. Inter alia, ומחכין בימה של טבריה *Et, ut indifferenter quivis retia pandat ad piſcationem in mari Tiberiadis.* At tamen ſub hac cautione שלא יפרוס קלע ויעמיד את הספינה *Nè maceriem aliquam ſtruat, quæ remora ſit navibus.* Gloſſa, *Moris eſt piſcatoribus ſudes figere in aqua, & ſepes ſtruere è cannis aut calamis, in quibus capiantur piſces: at hoc non permittitur, quia eſt impedimento ratibus.* Utcunque ergò mare *Tiberiadis* pertineret ad tribum *Nephtaliticam*, permiſſum tamen fuit cuivis Iſraelitæ in eo piſcari, modò ſub dicta conditione.

VERS. 19. Ἁλιεῖς ἀνθρώπων.

Conſona aliquantùm eſt hæc Phraſiologia cum iſta *Maimonidæ* in *Talm. Torah*, cap. 1. שלא ישבח דבר מדברי ר"ג תורה:

VERS. 21. Ἰάκωβον τὸν τοῦ Ζεβεδαίου.

Occurrit Rabbinus quidam ipſiſſimi hujus nominis, in *Hieroſ. Maaſar Sheni*, fol. 55. 2. ר' יעקב בר זבדי. *R. Jacob filius Zabdi.*

VERS. 23. Διδάσκων ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν.

Cùm frequentiſſima ubique occurrat mentio apud paginas Evangelicas de Synagogis, neceſſùmque ſit mores atque inſtituta Synagogarum clariùs aliquantùm cognoſcere, ut plurima, quæ eò referuntur in Novo Teſtamento, lucidiùs intelligas: hiſtoriam earum ἐν ἐπιτομῇ, quantum fieri poterit, hìc expediamus, ubi primùm occurrit mentio Synagogarum.

§ *De Synagogis.*

I. Non formata eſt alicubi Synagoga, niſi ubi eſſent decem literati, ex profeſſo ſtudioſi Legis. 1. Obſervetur illud Talmudicum *Megillah*, cap. 1. halac. 3. אי זה עיר גדולה *Quænam eſt civitas magna?* כל שיש בה י׳ בטלנין *Ea, in qua erant decem homines otii.* פחות מכאן הרי זה כפר *Si hoc numero minus, ecce, eſt villa.* 2. Illud *Maimonidæ Tephillah*, cap. 11. *Ubicunque ſunt decem ex Iſraele, ibi neceſſe eſt ut ædificaretur domus, ad quam ſe recipiant ad orationes tempore precum: & domus hæc vocatur Synagoga.* Non quòd quilibet decem ex *Iſraele* conſtituerent Synagogam; ſed, ubicunque ſunt decem literati & ſtudioſi Legis, vocabantur hi בטלנין *viri otii*, qui non pro deſidibus atque otioſis ſunt habendi, בטלין ממלאכתן ועוסקין בצרכי ציבור ſed *quibus* [utpote qui rebus mundanis non perplexi fuerunt] *vacavit res Synagogæ tantùm curare, atque incumbere ſtudio Legis.*

Ratio numeri denarii, macilenta quidem ſatis ac inanis, redditur in *Sanhedr.* cap. 4. halac. 6. Eáque hæc eſt, עשרה היא עשרה *Congregatio conſtat è decem*, quod indè probant, quòd dicatur עד מתי לעדה הרעה הזאת *Uſque quò congregationi huic malæ*, &c. [Numer. xiiii. 27.] *Joſuam deme ac Calebum, & reſtant tantùm decem*, nempe, ex exploratoribus terræ.

II. Ex his Decemviris, , 1. Tres Magiſtratum geſſerunt, & vocabantur בר של שלשה *Conſeſſus triumviralis:* quorum erat, de litibus inter membra Synagogæ emergentibus determinare, & res alias curare Synagogæ. Judicabant hi de rebus pecuniariis, furtis, damnis, reſtitutionibus, de virgine rapta, de homine virginem alliciente, de admiſſione Proſelytorum, Χειροθεσία, variiſque aliis, de quibus vide *Sanhedr.* cap priùs allegato, halac. 1, 2. Hi meritò & propriè vocabantur Ἀρχισυνάγωγοι, quippe quibus incubuit ſumma rerum cura & ſumma poteſtas. 2. Præter hos erat *publicus Synagogæ miniſter*, qui oravit publicè, & curavit de lectione Legis, & conciones aliquando habuit, ſi non eſſet alius, qui hoc munere fungeretur. Hic vocabatur שליח ציבור *Angelus Eccleſiæ*, & חזן הכנסת *Epiſcopus congregationis.* Rationem nominis reddit *Aruch*, *Chazan* [inquit ille] *eſt* שליח צבור *Angelus Eccleſiæ* [vel *publicus miniſter*], *& Targum reddit vocem* רואה *per vocem* חוזה שהוא

שהוא צריך לראות היאך יקרא והיאך קורא בני אדם לקראות בתורה: *Nam ei incubuit ſupervidere quomodo Lector legit, & quoſnam ille evocâret ad legendum in Lege. Publicus Synagogæ miniſter* non ipſe Legem publicè legit, ſed unoquoque Sabbato ſeptem è Synagoga evocavit [aliis diebus pauciores] quos ille idoneos judicabat ad legendum. Legenti ipſe aſtitit, ſummâ curâ obſervans nè quid falſò aut incongruè legeretur, revocánsque, corrigénsque ſi quid lapſum; hinc ejus denominatio חזן, id eſt, Ἐπίσκοπος, vel *Superviſor*. Leniori certè ſuſurro determinatum eſſet, de ſignificatione vocis *Epiſcopi*, atque *Angeli Eccleſiæ*, ſi ad proprios fontes fuiſſet recurſum, & non inaniter diſputatum de ſignificatione vocum, neſcio unde deſumpta. Abrogatâ Templi Liturgiâ & cultu, utpote ceremoniali, cultum atque publicam Dei adorationem in Synagogis, quæ quidem moralis erat, Deus in Eccleſiam tranſplantavit Chriſtianam, publicum ſcilicet miniſterium, orationes publicas, lectionem verbi divini, ac prædicationem, &c. Hinc ipſiſſima nomina miniſtrorum Evangelii, *Angelus Eccleſiæ*, atque *Epiſcopus*, quæ miniſtrorum in Synagogis. 3. Tres etiam erant Diaconi, vel eleemoſynarii quibus cura pauperum, atque hi vocabantur *Parnaſim* vel *paſtores*. Atque hi ſeptem fortè reputandi ſunt שבעה טובי העיר *Septem boni viri civitatis*, de quibus frequens memoria apud Talmudicos.

De his *Parnaſin* hæc tantùm adducemus.

Duo erant qui eleemoſynam exigebant ab oppidanis, atq; hi vocabantur שני גבאי צדקה *Duo exactores eleemoſynæ:* ועוד אחר כדי שיהיו ג׳ לחלק צדקה *quibus etiam addebatur tertius ad ejus diſtributionem.* Maim. *in* Sanhedr. *cap.* 1.

Hieroſ. Peah, fol. 21. 1. *R. Chelbo nomine R. Ba bar Zabda dicit, Non conſtituunt pauciores quàm tres Parnaſin. Nam ego video judicia pecuniaria tranſigi à tribus, multò ergò magis hæc, quæ vitam ſpectant. R. Joſi nomine R. Jochananis dicit, Non conſtituunt duos fratres Parnaſim. Ivit R. Joſi Chepharam, volens illìc collocare ſuper eos Parnaſim, at illi non receperunt. Abìit, hæc coram illis locutus, Ben Bebai præpoſitus fuit tantùm filato* [linteo lampadum] *& dignus tamen habitus eſt, qui cum claris iſtius ſeculi viris connumeretur,* [vide *Shekalim*, cap. 5.] *vos, qui vitis hominum præpoſiti eſtis, quantò magis? R. Chaggai, cùm Parnaſin con-*

conſtitueret, arguebat iis ex Lege, omnis dominatio, quæ datur, datur à Lege. Per me reges regnant. R. Chaiia bar Ba מקים ארכינין *Præfecit* Ἀρχηλάτ, id eſt, *conſtituit Parnaſin. R. Lazar fuit Parnas.* Fax hinc forſan præfertur verbis iſtis Apoſtoli, 1 *Tim.* iii. 13. *Qui bene Diaconatum geſſerunt, gradum ſibi bonum acquiſiverunt:* id eſt, fideles exiſtentes in cura ſua & proſpectione in pauperes, quoad vitam eorum corporalem, candidati bene eſſe poſſunt ad curam animarum. Nam cùm *Parnaſin* iſti, utì & totus Decemviratus, literati fuerint & ſtudioſi, à cura corporum ad animarum meritò poterant promoveri. Ejuſdem doctæ & ſtudioſæ claſſis reputandi etiam ſunt Diaconi Apoſtolici. Et jam à Synagogis ad Eccleſias Chriſtianas, in hiſtoria N. Teſtamenti, oculos aliquantùm convertamus. Cùm Romani Judaicas Synagogas legibus ſuis ac proprio regimine uti permiſerint, eccur, quæſo, Apoſtolicis Eccleſiis non eadem tolerantia? Nihil adhuc diſcriminis ſtatuerat cenſura Romana inter Synagogas Judæorum Judaizantes & Synagogas vel Eccleſias Judæorum Chriſtianas: nec, illas legibus ſuis vivere permittens, has prohibebat. Non vereor ergò ego aſſerere Eccleſias iſtius primævi ſeculi ſibi ipſis defuiſſe, ſi non eandem regiminis libertatem aſſumerent ſibi, quâ per Romanos uti licuit Synagogis Judaicis. Nec ſine hoc fundamento dictum illud arbitror ab Apoſtolo, I *Cor.* vi. 2, 3, &c. Hâc ergo regiminis proprii poteſtate permiſsâ, ſi modò quod licuit frui vellent, quantâ facilitate intelligi poſſunt verba Apoſtoli, quæ tam doctos torſerunt dicam? an ab iis torta ſunt, I. *Tim.* v. 17. Οἱ καλῶς προεστῶτες πρεσβύτεροι, &c. 4. Octavum ex hoc decemviratu תורגמן reputare poſſumus, id eſt *Interpretem* in Synagoga, qui linguarum peritus, atque legenti in lege adſtans, verſiculatim ea vernaculè reddidit, quæ lecta ſunt è fonte Hebræo. Interpretis hujus officium, officiique ejus regulas copiosè legas, in *Megillah*, cap. 4. *Maim.* in *Tephillah*, cap. 12, &c. *Maſſecheth Sopherim*, cap. 10, &c. alibique. Deductum ejus uſum arbitrantur uſque à temporibus *Ezræ*, „ meritóque. *Hieroſ. Megillah*, fol. 74. 4. ויקראו בספר תור זה המקרא ונו *Et legerunt in libro Legis. Is fuit textus.* מפורש זה התרגום *Explanatè. Illud fuit Targum.* ושום שכל אילו טעמים *Et apposuerunt intellectum. Isti sunt accentus.* ויבינו במקרא זה המסורת *Et intellexerunt*

erunt textum. Iſta fuit Maſoreth. Vide *Nehem.* cap. viii. 8. vide etiam *Buxtorf. Tiberiad.* cap. 8. 5. Nonum & decimum è triumviratu quem nominemus, non eſt in promptu: *Scholarcham Theologicum, ejúsque interpretem,* eos eſſe ſupponamus, de quibus alibi copioſior erit anſa diſquirendi. Tantum de capite Synagogæ, literato iſto decemviratu, qui & corpus etiam erat Synagogæ repreſentativum.

III. Dies, quibus in Synagoga conventum eſt, fuerunt Sabbatum, & dies ſecundus, quintúsque uniuscujusque ſeptimanæ. De Sabbato nulla quæſtio. Inſtitutionem dierum ſecundi & quinti referunt ad *Ezram: Ezra,* inquiunt, *decrevit decreta decem. Inſtituit publicam Legis lectionem diebus hebdomadis ſecundo & quinto, itémque Sabbato ad Minchah. Inſtituit ille ablutionem Gonorrhæis. Inſtituit ille ſeſſionem judicum in civitatibus diebus hebdomadis ſecundo & quinto,* &c. *Hieroſ. Megillah,* fol. 75. 1. *Bab. Bava kama,* fol. 82. 1.

Hinc forſan elucet quo ſenſu intelligendum ſit illud, *Act.* xiii. 42. Παρεκάλουν τὰ ἔθνη εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον λαληθῆναι αὐτοῖς τὰ ῥήματα ταῦτα, id eſt, Diebus intercurrentis hebdomadæ, quibus conventum eſt in Synagoga.

IV. Ædificabantur antiquitùs Synagogæ in agris. *Bab. Beracoth,* fol. 2. 1. *Ad recitationem Phylacteriorum veſpertinam adjungendæ ſunt duæ oratiunculæ præcedaneæ, & duæ ſubſequentes.* Ubi ſic Gloſſa, *Orationem iſtam* [יראו עינינו] *inſtituerunt Rabbini, ut collegæ ſuos retinerent in Synagoga. Atque hoc certè Synagogas eorum tunc temporis reſpexit, eò quòd in agris ſitæ erant ubi poſſent periclitari.* Sic etiam *Rabbenu Aſher* in eundem tractatum, fol. 69. 3. *Ab antiquo, Synagogæ eorum erant in agris: metuebant igitur illic commorari uſque ad finitas preces veſpertinas. Inſtitutum eſt igitur, ut verſiculos quoſdam recitarent, in quibus compacta erat ſummula omnium octodecim orationum: poſt quos recitanda erat oratio iſta* יראו עינינו.

At reduxerunt tempora ſubſequentia Synagogas ſuas ut plurimùm in urbes: cautúmque eſt Canonibus acutis, ut in altiſſimo urbis loco ædificaretur Synagoga, & nè eâ altiùs aliqua domus culminaret.

V. Pari cautelâ proviſum eſt, ut unuſquiſque, temporibus orationum ſtatis, frequentaret Synagogam. *Maim.* in *Tephillah,*

cap. 8. *Orationes Congregationis non respuit Deus, etiamsi mixti illic adsint peccatores. Necesse est ergò, ut homo Congregationi se associet, & nè solus oret, cùm datur opportunitas orandi cum Congregatione. Accedat ergò unusquisque manè, & vespere, ad Synagogam. Et, si cui sit Synagoga in urbe sua, ille autem in ea non orat cum Congregatione, vocatur ille* שכן רע *vicinus malus.* Et cap. 6. *Prohibetur Synagogam præterire, tempore orationum, nisi quid oneris in dorso portet: aut nisi sint plures in eadem urbe Synagogæ; nam tum censeri potest, ad aliam eum proficisci: aut nisi sint duo ostia in Synagogam; nam, præterito uno, per aliud eum introiturum esse, censeri potest. Si verò capite gestet Phylacteria, tum præterire ei est permissum, eò quòd illa testentur non immemorem eum esse Legis.* Desumpta sunt hæc ex *Bab. Beracoth*, fol. 8. 1. ubi & hæc adduntur. *Dicit sanctus Benedictus, quicunque incumbit studio Legis, & retributioni misericordiæ, & quicunque orat cum Synagoga, reputo ego de eo, ac si me filiósque meos redimeret à nationibus mundi. Et quicunque non orat cum Synagoga vocatur vicinus malus, sicut dicitur, Sic dicit Dominus de omnibus vicinis meis malis*, &c. Jerem. xii. 14.

VI. Cùm conventum est in Synagoga, die Sabbati, [nam hoc observato non opus est ut de aliis diebus quid loquamur] inceptis sacris, septem, quos sibi visum est evocare, evocat Minister Ecclesiæ, lecturos ordine suo Legem. Sacerdotem primò, deinde Levitam, si modò adessent, & post hos quinque Israelitas. Hinc est, ô tyro in Hebraicis, quòd in editionibus nonnullis Bibliorum Hebræorum vides ad marginem Pentateuchi ascribi. 1. כהן. 2. לוי. 3. שלישי. 4. רביעי. 5. חמישי. 6. ששי. 7. שביעי. denotato per hæc verba lectorum ordine, & portione ab unoquoque lectâ indè emensuratâ. Sic evocatum ab Angelo Ecclesiæ *Nazarethanæ* arbitror Christum, *Luc.* iv. 16. legentémque pro more, ut membrum istius Synagogæ.

Non opus est ut memoremus fusas publicè pro toto cætu ab *Angelo Ecclesiæ* preces, cætúmque unicuique orationi respondentem *Amen*: & nimium esset preces istas singulatim enumeratas recitare. Sat notum est omnibus, præcipua in Synagoga opera fuisse preces, & lectionem Legis, ac Prophetarum; utrasque sub cura *Angeli Synagogæ*.

Ac

At nonne ab eo, aut ab aliquo alio, habitæ sunt etiam concio-nes in Synagoga?

I. Videtur fuisse Catechizatio puerorum in Synagoga. Perpende quid sibi velit illud, *Bab. Berac.* fol. 17. 1. נשים במאי זכיין *Quodnam privilegium fœminarum?* באקרויי בנייהו לבי כנשתא *Hoc, quòd legant filii eorum in Synagoga.* באתנויי נבריהו ב' רבנן *quòd recitent mariti eorum in schola Doctorum:* ubi sic Glossa, *Pueri scholares soliti sunt erudiri* [vel *discere*] *coram magistro suo in Synagoga.*

II. *Targumista*, vel *interpres*, qui legenti in Lege astans ex Hebræo fonte in vernaculam reddidit quod lectum, licentiâ aliquando usus est expatiandi in Paraphrasim: exempla hujus rei occurrunt *Hieros. Biccurim*, fol. 65. 4. *Sanhedr.* fol. 20. 3. *Bab. Beracoth*, fol. 28. 1. alibique: atque etiam in ipso Chaldæo Paraphraste.

III. Observetur illud Glossatoris in *Bab. Schabb.* fol. 30. 2. חיו באים לשמוע חרשה נשים ועמי הארץ *Convenire solitæ sunt fœminæ, & vulgus, ut audirent expositionem,* vel *concionem.* At de quonam loco melius hoc intelligendum quàm de Synagoga? illo præsertim perpenso, quod immediatè sequitur והיו צריכין דרשנין למשוך את לבבם *Atque illis opus fuit expositoribus,* (vel *concionatoribus*) *qui corda eorum afficerent:* quod non admodum dissimile est ei, quod dicitur *Actor:* xiii. 15. Ἔι ἔστι λόγος ἐν ὑμῖν παρακλήσεως πρὸς τὸν λαόν.

IIII. Finitis in Synagoga sacris, itur pransum: & post prandium ad בית מדרש Scholam, vel Ecclesiam, vel prælectionem Theologicam; utere quo libet nomine. Vocatur etiam non rarò apud Talmudicos, ציבור & כנסת *Synagoga.* Forsan hoc sensu intelligenda est כנישתא עיליתא *Synagoga superior,* de qua mentio *Hieros. Schabb.* fol. 3. 1. si modò pro Synhedrio non sit sumenda.

Hoc loco Doctor aliquis prælegit auditoribus aliquid traditionale, atque exposuit. בירת מדרש שם שונין משנה וגמרא *In Beth Midrash docuerunt Traditiones, atque earum expositionem.* Glossa in *Bab. Berac.* fol. 17. 1.

Tria sunt de ritibus hoc loco usitatis observanda.

1. Ille, qui prælegit auditoribus, non clarâ voce effatus est, sed leni susurro in aurè cujusdam mussitavit, atque ille sonorè toti po-

pulo enuntiavit. Ità ut hìc Doctor interpretem ſuum hoc ſenſu habuerit, æquè ac lector Legis ſuum in Synagoga. *Bab. Joma*, fol. 20. 2. *Ivit Rabh ad locum R. Shillæ,* ולא הוה אמורא למיקם עליה *& non affuit interpres, qui adſtaret R. Shillæ: Rabh ergò ei aſtitit*: ubi Gloſſa, לא הוה אמורא id eſt, מתורגמן *Non adfuit interpres, qui coram Doctore prælegente ſtetit*: והחכם לוחש לו לשון עברית *& Doctor inſuſurravit ei in aure Hebraicè, atque ille populo reddidit vernaculè.* Huc ſpectat illud Salvatoris, *Matth.* x. 27. *Quod in aure auditis prædicate ſuper tecta.* Vide ibid.

2. Uſitatum eſt hoc loco, atque in his exercitiis, proponere quæſtiones. In memorabili iſta hiſtoria de amotione *Rabban Gamalielis Jafnenſis* à præfectura ſua, quæ occurrit *Hieroſ. Beracoth*, fol. 7. 4. & *Taanith*, fol. 67. 4. & *Bab. Beracoth*, fol. 27. 2. cùm conventum eſſet in *Beth Midraſh*, עמד השואל ושאל *Proſtat quærens & quærit, Oratio Veſpertina numnam ex officio, an ex arbitrio?* Et paucis interjectis lineis occurrit mentio Interpretis, *Obmurmuravit totus cœtus, & dixit* τῷ *Hotſpith Interpreti, Tace, & tacuit*, &c.

3. Dum concionaretur interpres ab ore Doctoris, ſedit populus in terra. *Bab. Sanhedr.* fol. 7. 2. *Nè incedat Judex ſuper capita populi ſancti:* Gloſſa, *Dum concionaretur interpres, ſedit* ציבור *Synagoga* (vel *totus cœtus*) *in terra: & quicunque per medium eorum incederet, ut locum ſuum capeſſeret, viſus eſt ac ſi ſupra capita eorum incederet.*

Vocabulum Συναγωγὴ hoc ſenſu adhibitum aliquando in Novo Teſtamento tutò certè opineris, Chriſtúmque in his Scholis Theologicis aliquando concionatum, æquè ac in Synagogis.

At quonam jure Chriſtus ab Archiſynagogis permiſſus concionari, filius fabri, atque educationis non literariæ? Num cuivis, illiterato, aut mechanico, indultum in Synagogis concionari, ſi modò illud auderet? Nequaquam: nam illìc docere non permiſſum niſi doctis. At duo præcipuè fuerunt, quæ Chriſto aditum ad concionandum in unaquaque Synagoga aperuerunt, fama ſcilicet ejus miraculorum; & quòd ſe præberet ducem ſectæ religioſæ. Utcunque enim Scribis & Phariſæis deriſui atque odio habebatur religio

ligio Chriſti ac diſcipulorum; inter religioſos tamen eos numerabant, eodem ſenſu quo Sadducæos, hoc eſt, diſtinctos à עם הארץ à plebeis aut ſecularibus, quibus religió parùm curæ. Cùm ergò Chriſtus, inter religioſos habitus, adeò famâ miraculorum ac doctrinæ radiis ubique inclareſceret; nil mirum, ſi apud populum ardorem audiendi excitaret, atque apud Synagogarchas concionandi locum obtineret.

CAP. V.

VERS. 3, 4, 5, &c. Μακάριοι, Μακάριοι, &c.

PRæcipitur *Deut.* xxvii. ut, ad ingreſſum populi in terram promiſſam, benedictiones & maledictiones denuntientur à montibus *Gerizim* & *Ebal*: enumeratis ſingulatim maledictionibus, at benedictionibus non ità. Quod non ſine myſterio fieri videtur, cùm maledictionem ſecum attulerit Lex; at, benedictionem qui allaturus, Chriſtus à longinquo adhuc fuerit venturus. Adeſt jam benedictiones proferens, ídque in monte. Scriptores autem Judaici rem iſtam ſic enarrant.

Sex tribus aſcenderunt in verticem montis Gerizim, & ſex in verticem montis Ebal. Sacerdotes autem & Levitæ ſteterunt infrà cum Arca fœderis; Sacerdotes Arcam cinxerunt; Levitæ cinxerunt Sacerdotes; & totus populus Iſraeliticus ſtetit hinc atq; illinc: ſicut dicitur, Omnis Iſrael & Seniores, &c. [Joſh. viii. 33.] *Verſis ad montem Gerizim faciebus, à benedictione ſunt orſi*, Benedictus eſt vir, qui non fecerit Idolum, aut fuſile, &c. *Et hi & illi reſponderunt, Amen. Converſis ad montem Ebal faciebus, maledictionem pronuntiârunt*, Maledictus ſit vir, quicunque fecerit Idolum, aut fuſile: *& hi & illi reſponderunt, Amen.* Sic de ceteris. Et tandem, *Verſis ad Gerizim faciebus, à benedictione ſunt orſi*, Benedictus eſt vir, qui permanſerit in omnibus verbis Legis: *& utrinq; reſponſum eſt, Amen. Obverſis ad Ebal faciebus, maledictionem pronuntiant*, Maledictus ſit quicunque non permanſerit in omnibus

verbis Legis: *& utrinque reſponſum eſt, Amen*, &c. Talm *in* Sotah, *cap.* 7. Toſapht. *in* Sotah, *cap.* 8.

Pari modo & hìc Chriſtus à benedictionibus orſus, *Beati, Beati*, maledictiones etiam intonat, *Væ, Væ*, &c. *Luc.* vi. 24, 25, 26.

Quod de numero Beatitudinum octonario hìc commentantur multi, curioſitatis habet nimiùm, emolumenti parùm. Paralʼelum habet apud Judæos: ſic enim illi, *Traditur à Schola R. Eſaiæ ben Korchæ, Viginti beatitudines pronuntiari in libro Pſalmorum, paritérque vigeſies Væ in libro Eſaiæ. Ego verò dico, inquit Rabbi, viginti duas benedictiones eſſe ſecundùm numerum literarum viginti duarum.* Midr. Tillin *in* Pſal. i. & R. Sol. *in* Eſai. v.

Abrahamus benedictus eſt benedictionibus ſeptem. Baal Turin *in* Gen. xii.

Hi ſex benedicti ſunt, unuſquiſque benedictionibus ſex, David, Daniel cum tribus ſociis, & rex Meſſias. Targ. *in* Ruth. iii.

VERS. 8. Μακάριοι οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ.

Audi, Phariſæe, cujus omnis laus in munditia externa. Quàm ſtolida eſt hæc gloriatio Judæi! *Veni & vide, inquit R. Simeon ben Eleazar, quouſque ſe extendit puritas Iſraelitica: cùm non ſolùm ſtatutum ſit, ut non comedat mundus cum immunda; ſed* [nè immundus cum immundo] *nè Phariſæus ſeminiſluus cum ſeminiſluo plebeio.* Bab. Schab. *fol.* 13. 1.

VERS. 9. Μακάριοι οἱ εἰρηνοποιοί.

הבאת שלום בין איש לרעהו *Pacificatio inter vicinos* inter ea numeratur, quæ fructum bonum edunt in hac vita, atque uſum fructum in vita futura. *Peah*, cap. i. halac. 1.

VERS. 17. Μὴ νομίσητε ὅτι ἦλθον καταλῦσαι τὸν νόμον, &c.

I. De *Meſſia* fuit gentis opinio, eum quidem Legem novam editurum, at nullo modo in præjudicium aut nocumentum *Moſis* & Prophetarum: at verò *Moſaica* ad ſummum uſque apicem promoturum, & quæ prædicta ſunt à Prophetis impleturum, ídque ſecundùm literam, ad ſummam uſque pompam.

II. Anſam ergò in Chriſtum cavillandi arripuerunt Scribæ & Phariſæi, ac promptè objecerunt illum verum *Meſſiam* non eſſe, quòd dogmata ſolveret traditionalia, quæ illi pro *Moſe* & Prophetis populo obtruſere.

III. Iſti

III. Iſti præjudicio occurrit ille hinc porrò pluribus argumentis. 1. Se Legem non ſolvere, cùm Traditiones ſolveret, nam ideo veniſſe, ut Legem adimpleret. 2. Aſſerere ſe, *Iota unum è Lege non periturum.* 3. Introducere ipſum Legis obſervationem, Phariſaicâ longè puriorem ac præſtantiorem: quod & uſque ad finem capitis confirmat, Legem explanans ad ſenſum ſuum genuinum ac ſpiritualem.

VERS. 18. Ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖν.

I. Iſtiusmodi aſſeveratio fuit genti uſitata, ſyllabis licèt aliquantùm immutatis. *Bab. Beracoth*, fol. 55. 1. *Matrona quædam dixit* רבי *R. Judah bar Allai, Facies tua ſimilis eſt porcorum altori, aut fœneratori. Cui ille,* חימנותא לדידי חרויהו אסירן *In veritate utrumque eſt mihi prohibitum.* Gloſſa, חימנותא *Eſt Phraſiologia juramenti.*

II. At divino ſummè jure hâc utitur Salvator. 1. Quia ipſe eſt *Amen, Teſtis fidelis. Apoc.* iii. 14. II *Cor.* i. 20. Vide etiam *Eſai.* lxv. 16. & *Kimchium*, ibidem. 2. Quia ipſe Evangelium edidit, ſupremam veritatem. *Joan.* xviii. 37, &c. 3. Divina ſua oracula hâc aſſeveratione merito opponit inſolenti traditionalium Doctorum dementiæ, qui non raro blaſphema & frivola ſua ſub hoc ſigillo publicârunt. באמת אמרו *In veritate dicunt:* atque, *ubicunque hoc dicitur*, inquiunt, *eſt* הלכ למשה מסיני *Traditio eſt Moſis à Sinai.*

Ἰῶτα ἕν.

In eundem ferè ſenſum Gemariſtæ Hieroſolymitani, *Sanhedr.* fol. 20. 3. *Liber Deuteronomii veniens proſtravit ſe coram Deo, dixítque, O Domine univerſi, In me ſcripſiſti Legem tuam: jam verò teſtamentum vacillans in aliqua parte vacillat in toto. Ecce, Solomon conatur è me extirpare Jod* [in hoc ſcilicet textu לא ירבה נשים Deut. xvii. 7.] *Reſpondit Deus ſanctus benedictus, Solomon & mille ei ſimiles peribunt, aſt vocula de te non peribit. Dixit R. Honna nomine R. Achæ, Litera Jod, quam abſtulit Deus à nomine Sarai matris noſtræ, ex dimidia ejus parte data eſt Saræ, & ex parte dimidia Abrahamo. Traditio R. Hoſhaiæ, Litera Jod veniens proſtravit ſe coram Deo, dixítque, O Domine æterne, Eradicâſti me è nomine ſanctæ iſtius fœminæ. Reſpondit Deus benedictus, Hucuſque*

usque fuisti in nomine fœminæ, idque in fine, [viz: in *Sarai*] *hinc porrò eris in nomine viri, idque in initio. Hinc est quod scribitur, Et vocavit Moses nomen Hoshaæ Jehoshuam.* Babylonici etiam hanc translationem τοῦ *Jod* è nomine *Sarai* ad nomen *Joshuæ* sic referunt. *Sanhedr.* fol. 107. 1. *Litera Jod, inquit Deus, quam excepi è nomine Sarai, stetit & ad me clamavit quàmplurimos annos, usquedum oriretur Joshua, cujus nomini eam addidi.*

Sempiternæ durationis literulæ hujus minutissimæ *Jod* exemplum habes in *Deut.* xxxii. 18. ubi in voce תשי scribitur vel seipsâ minor, & tamen in hunc usque diem & in perpetuum stat immortalis in statu illo suo tam tenui.

In *Bab. Taanith,* fol. 21. 2. memoratur urbecula quædam nomine דרוקרת quæ ob parvitatem vocabatur *Jod* in Glossa. Et fol. 22. 2. Rabbinus quidam, nomine *Rabh Jod.* De litera *Jod* vide *Midr. Tillin* in *Psal.* cxiv.

Μία κεραῖα.

Apiculos, aut minutias literarum, videtur denotare, à quibus discrimen statuitur inter literas cognatæ formæ. His exemplis, res illustretur. *Hieros. Schabb.* fol. 10. 4. היה דלת ועשאו "ריש ריש ועשאו דלת חייב *Si fuerit Daleth, atque ille in Resh formaverit* [Sabbato] *aut Resh formaverit in Daleth, reus est.*

Tanchum fol. 1. 1. *Scribitur* לא תחללו את שם קדשי *Non profanabitis nomen meum Sanctum. Quicunque Cheth* ח *in* ה *commutaverit, destruit mundum.* [Nam hunc sensum tunc elicit לא תהללו. Non laudabitis nomen meum Sanctum] *Scribitur* כל הנשמה תהלל יה *Omnis spiritus laudet Deum. Quicunque* ה *in* ח *commutat, destruit mundum. Scribitur* יכחשו ביהוה *Mentiti sunt in Jehovam. Quicunque* ב *in* כ *commutaverit, destruit mundum. Scribitur* אין קדוש כיהוה. *Quicunque* כ *in* ב *commutat, destruit mundum. Scribitur* יהוה אלהינו יהוה אחד *Qui* ד *in* ר *commutat, destruit mundum.*

Per Ἰῶτα verò & Κεραῖαν non nudas solùm literulas aut apiculos intellexisse Salvatorem ex ver. 19. satìs patet, ubi reddit, unum de *mandatis his minimis:* quo sensu est etiam illud apud *Gemaram Hieros.* de *Solomone* extirpante *Jod*; id est, præceptum illud לא ירבה נשים evacuante. Et tamen hinc satìs patet, etiam Salvatorem

eousque

eouſque incorruptam immortalitatem ac puritatem textûs ſacri aſſerere, ut non peritura ſit ulla ſenſûs ſacri particula, à capite Legis ad calcem.

Hæc verba *Salvatoris* perpendenti occurrit illorum ſententia, qui immutatum opinantur totum Legis Alphabetum, vel potiùs primævum ejus charactera periiſſe, *Samaritícum* ſcilicet, in quo datum & ſcriptum primitùs Legem arbitrantur: atq; ejus vice ſubiiſſe, eum quo nos nunc Biblia legimus, *Hebræum* Nos in quæſtione non expatiabimur; at liceat, bona cum Lectoris venia, Talmud ea quædam adducere & trutinare, unde deſumpta primùm Chriſtianis, nî ego fallar, videtur hæc ſententia.

De hac re agit *Talm. Hieroſ.* in *Megillah*, fol. 71. 2, 3. his verbis. *Dicit R. Jochanan de Beth Gubrin, Quatuor ſunt linguæ nobiles, quibus utitur mundus: Vernaculâ ad cantum, Romanâ ad bellum, Syriacâ ad luctum, Hebræâ ad elocutionem: & ſunt qui dicunt, Aſſyriacâ ad ſcripturam. Aſſyriaca ſcripturam* [id eſt, literas, vel characteres] *habet, ſed linguam non habet. Hebræa linguam habet, ſed ſcripturam non habet. Elegerunt ſibi linguam Hebræam charactere Aſſyriaco. Quare autem vocatur* אשורי ? שהוא מאושר בכתבו *Ideo quòd eſt benedicta* [vel *directa*] *in ſcriptione ſua. R. Levi dicit, Ideo quòd aſcendit in manus eorum ex Aſſyria.*

Traditio R. Joſi dicit, Idoneus fuit Ezra, per cujus manum Lex dari potuiſſet, nî præveniſſet ætas Moſis. Quamvis autem per manum ejus Lex non daretur, ſcriptura tamen [id eſt, literarum formæ] *& lingua per ejus manum datæ ſunt.* Et ſcriptura epiſtolæ ſcripta erat Syriacè, & reddita Syriacè, [*Ezræ* iiii. 7.] Et non potuerunt legere ſcripturam [*Dan.* v. 8.] *Ex quo oſtenditur ſcripturam* [id eſt, characterum vel literarum formam] *eo ipſo die datam fuiſſe. R. Nathan dicit, Lex data eſt in confractione* [id eſt, literis rudioribus disjunctioribus] *Et res eſt, ut R. Joſi. Rabbi* [Judah haccadoſh] *dicit, Legem datam eſſe Aſſyriacè, cúmque peccarent, verſam eſſe in confractionem. Cúmque in diebus Ezræ digni eſſent, verſam eſſe illis iterum in Aſſyriacam.* Oſtendo hodie me redditurum tibi משנה duplicatum, vel, quaſi dicat, ſecundatum, [*Zechar.* ix. 12. Et conſcribet ſibi ipſi Miſhneh [duplicatum] hujus Legis in libro, [*Deut.* xvii. 18.] *Scripturâ ſcilicet, quæ erat immutanda. R. Simeon ben Eleazar dicit, nomine R.*

Eliazar ben Parta, ísque nomine R. Lazar Hammodaai, Lex data eſt ſcripturâ Aſſyriacâ. Unde probatur? Ex iſtis verbis שיהו ווי"ם של תורה [*Exod.* xxvii. 10.] ווי העמודים *ut litera Vau in Lege ſit ſimilis columnæ.* Sic Hieroſolymitani.

De eadem re agitur in *Bab. Sanhedr.* fol. 21. 2. & 22. 1. & iiſdem ferè verbis, his etiam ſuperadditis: *Data eſt Lex Iſraeli ſcripturâ Hebræâ, & linguâ ſanctâ. Datáque eſt iis ittrum in diebus Ezræ ſcripturâ Aſſyriacâ, & linguâ Syrâ. Elegerunt ſibi Iſraelitæ ſcripturam Aſſyriacam & linguam ſanctam.* והניחו להריוטות כתב עברית ולשון ארמית *Scripturámque Hebræam & linguam Syriacam reliquerunt Idiotis.* מאן הריוטות כותאי *Quinam autem ſunt iſti Idiotæ? Rabh Chaſda dicit* כותאי *Samaritani. Et quænam eſt ſcriptura Hebræa? Rabh Chaſda dicit,* כתב ליבונאה [Gloſſa,] *Literæ majuſculæ, quales ſunt iſtæ, quæ amuletis inſcribuntur, vel poſtibus.*

Ut mentem Rabbinorum hìc capiamus aliquantùm, obſervetur:

I. Per *linguam vernaculam* [ſeparatim nominatis *Hebræâ, Syrâ, Romanâ*] non aliam certè intelligi poſſe quàm *Græcam*, nos oſtendimus ad capitis primi verſum vicesimum tertium.

II. Eam, quam Gemariſtæ כתב עברי vocant, quámque nos voce notiſſimâ *Scriptionem Hebræam* interpretati ſumus, non ideo עברי appellari, quòd hæc Iſraelitarum propria eſſet, aut antiqua ſcriptura, ſed [ut aptiſſimè Gloſſa,] כתב עברי של בני עבר הנהר quòd *ſcriptura*, vel *character, fuerit in uſu Trans-Euphratenſibus.* Eodem ſenſu, quo *Abrahamum* עברי appellatum aliqui volunt, id eſt, *Trans-amnanum.*

In unam linguam, *Syriacam* veterem, coaluerunt multæ gentes, Chaldæi, Meſopotamiani, Aſſyrii, Syri. Ex his fuerunt quidam filii *Semi*, quidam *Chami*. Quamvìs omnibus eadem lingua, non mirum, ſi non omnibus eædem literæ. *Aſſyrii* atque *Iſraelitæ* ad *Semum* originem ſuam referunt; his ſcriptura *Aſſyriaca:* filiis *Chami*, *Trans-Euphratenſibus*, alia; ea forſan quæ nobis jam dicitur *Samaritica*, quâ uſi ſunt etiam fortaſſis, filii *Chami*, *Cananæi.*

III. Datam à *Moſe* Legem literis *Aſſyriacis*, nonnullorum [ut vides] eſt Talmudicorum ſententia, atque ea quidem longè ſanior.

or. Nam conſcriptam Legem divinam characteribus ſemini maledicto *Chami* propriis autumari, nec dignitati Legis quidem eſt congruum, nec ipſi certè rationi. Immutatos Legis characteres fatentur ii quidem, qui maternam ſcripturam aſſerunt fuiſſe *Aſſyriacam*, at hoc, ob peccatum populi & per negligentiam. Cùm enim ſub Templo ſecundo in mores *Canaaniticos* degenerarent *Iſraelitæ*, literis *Canaaniticis* fortè ſunt uſi, quæ & eædem cum *Trans-Euphratenſibus*. Hæc eorum verba rem extra aleam ponunt, *Scripturâ Aſſyriacâ data eſt Lex Iſraeli in diebus Moſis; cùm autem peccarent ſub Templo primo, Legémque contemnerent, verſa iis eſt in confractionem.*

Itaque ſecundùm horum ſententiam ſcriptura *Aſſyriaca* fuit originalis Legis, duravítque, obtinuítque uſque ad degenerem ætatem ſub Templo primo. Tunc temporis immutatam eam opinantur in *Trans-Euphratenſem*, vel *Samariticam*, vel, ſi vis, *Cananæam* [ſi hæ modò non una eadémque;]: at reſtitutam ab *Ezra* tandem in primævam *Aſſyriacam*.

Miror ego certè viros doctos tantum huic traditioni attribuiſſe [nam undè aliàs opinionem ſuam hauſerint non intelligo] ut primitivam Legis ſcripturam *Samariticam* fuiſſe arbitrentur: cùm quod de characterum immutatione aſſerunt Gemariſtæ tam fragili ac labanti nitatur fundamento, ut probabilius longè ſit nullam omnino fuiſſe immutationem [ſed Legem *Aſſyriacè* primitùs à *Moſe* ſcriptam, ac *Aſſyriacè* etiam ab *Ezra*] eò quòd firmioribus argumentis aſtrui ac ſtabiliri non poſſit immutatio.

De *Keri* & *Chethib* ſubire poterat quæſtio ſecunda: & textum Legis ad Ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία ſartum tectum non fuiſſe conſervatum oriri ſimul poterat ſuſpicio, cùm tam numeroſè occurrant variæ lectiones. Nos de hac re hæc paucula tantùm reponemus ad penſum revocati.

I. In *Hieroſ. Taanith*, fol. 68. 1. hæc traduntur; ג' ספרים מצאו בעזרה *Tres libros invenerunt in atrio:* ספר מעוני *Librum* מעוני. *Librum* ועטוטי *& Librum* חיא. באחד מצאו כתוב מעון אלהי קדם *In uno invenerunt ſcriptum* מעון אלה' קדם *At in duobus ſcriptum* מעונה אלהי קדם (Deut. xxxiii. 27.) קיימו שנים ובישלו אחד *Approbârunt* (vel *ſanxerunt*) *iſtos duos, at iſtum unum rejecerunt. In uno invenerunt ſcriptum* וישלח

וישלח את זעטוטי בני ישראל *At in duobus scriptum* וישלח את נערי בני ישראל [Exod. xxiv. 5.] *Duos istos sanxerunt, ast istum unum rejecerunt. In uno invenerunt scriptum* תשע היא *At in duobus scriptum* אחת עשרה היא *Duos istos sanxerunt, ast istum unum rejecerunt.*

Suspicor ego valde hos tres libros in atrio repositos triplici cœtui *Judæorum* respondisse, in *Judæa* scilicet, *Babylonia*, & *Ægypto*, unde exemplaria hæc singulatim desumpta. Nam utcunque per totum ferè terrarum orbem disseminata esset ista natio, innumeris tamen numeris, ac cumulis, in tribus his regionibus copiosiùs crevit quàm alibi uspiam: in *Judæa* ob reduces è *Babylonia*; in *Babylonia* ob non redeuntes; atque in *Ægypto* ob Templum *Oniæ*. Duo exemplaria consentientia opinor è *Judæa* fuisse ac *Babylonia*, dissentiens ex *Ægypto*: atque hoc postremum ex hoc suspicor, quòd vox זעטוטי Septuaginta interpres oleat, quibus *Judæi Ægyptii* ex ipso jure loci favêre magìs judicari possunt, quàm alibi ulli. Nam à scriptoribus *Judaicis* asseritur, זעטוטי unam fuisse ex immutationibus istis, quas in textum sacrum invexerunt Septuaginta. *Massecheth Sopherim*, cap. 1. art. 8.

II. Compactum ergò *Keri* & *Chethib* maximè probabile est ex collatione duorum exemplarium summæ autoritatis; *Judaici* scilicet & *Babylonici*: quæ cùm tot locis in apicibus quibusdam scriptionis inter se discreparent, at, quod ad sensum, parùm aut omnino nihil; sanissimo consilio est cautum, ut utraque reservaretur, ità ut utrique codici sua reservaretur etiam dignitas, & textui sacro sua puritas & plenitudo, dum ἰῶτα ἓν ϗ μία κεραία non periret.

VERS. 21. Ἠκούσατε.

Audivistis.] Id est, Traditione accepistis.

Sanhedr. cap. 11. halac. 2. אם שמעו אמרו להם *Si audiverunt*, id est, Traditione didicerunt, *dicunt iis.*

מפי השמועה למדו *Auditione didicerunt*: id est, Traditione: frequentissimè apud *Maimoniden.*

Ὅτι ἐῤῥέθη τοῖς ἀρχαίοις.

Id est, *Vetus est traditio.* Nam particulæ Legis, quæ hìc citantur à *Salvatore*, non adducuntur ut nuda verba *Mosis*, sed ut vestita

ſtita gloſſematibus Scribarum, quod præ aliis planiſſimè patet, *ver.* 43. ſatísque etiam in hac allegatione prima, ubi verba iſta, *Et quicunque occiderit reus erit judicio*, fucum præ ſe ferunt traditionalem, talémque prout in ſequentibus obſervabimus, qui Legem ipſam omnino decolorat atque irritam facit. Si quæratur cur antiquos memoret *Chriſtus?* reſponderi poſſet, venerandam apud populum fuiſſe patrum Traditionum vetuſtiorum memoriam. Reverendum nomen חכמים ראשונים & הסירים ראשונים elegiſſe ergò *Chriſtum* dogmata & gloſſemata iſtorum confutare, ut inanitatem Traditionum clariùs argueret, cùm clariſſimos redargueret. Sed planus eſt ſenſus, quem adduximus, atque abſque nodo, quaſi dicat, *Vetus eſt Traditio*, quæ per multa ſecula obtinuit.

VERS. 22. Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν.

Ego verò dico vobis] ואני אומר: Confutantis eſt, vel quæſtionem determinantis, frequentiſſimè apud ſcriptores Hebræos.

Huc meritò adducas *Eſaiæ* illud *cap.* 2. *ver.* 2. *Docebit nos*, &c. ubi ſic *Kimchius*, המורה הוא מלך המשיח *Doctor hic eſt rex Meſſias.*

Et illud *Zachariæ, cap.* 11. *ver.* 8. ubi magnus hic Paſtor tres malos Paſtores malè perdit, *Phariſæum* ſcilicet, & *Sadducæum*, & *Eſſenum.*

Ὅτι πᾶς ὁ ὀργιζόμενος τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ εἰκῇ, &c.

Agamus primùm de verbis, dein de ſententiis.

Fratri ſuo.] Inter *Fratrem* & *Proximum* ſic diſtinguunt Scholæ Judaicæ, ut *Frater* Iſraelitam genere & ſanguine ſignificet; *Proximus* Iſraelitam religione & cultu, hoc eſt, Proſelytum. Autor *Aruch*, in voce בן ברית *Filii fœderis, hi Iſrael. Et cùm dicit Scriptura, Si cornu ferierit bos cujuſpiam bovem proximi, excludit omnes Ethnicos, eò quòd dicit, Proximi.* Maimonides *in* רוצח *cap.* 2. *Idem eſt occidere Iſraelitam & ſervum Cananæum: pro utroque mulctabitur morte. At Iſraelita, qui occiderit* גר ותושב *Advenam inquilinum, morte non mulctabitur, ideo quòd dictum eſt, Quicunque ſuperbè inſurrexerit* in proximum *ad occidendum eum,* [Exod. xxi. 14] *Et ſupervacaneum eſt dicere, non morte mulctabitur pro occidendo Ethnico.* Ubi hoc notandum, quòd Ethnici

atque advenæ inquilini, qui non cooptati eſſent in perfectum & completum Proſelytiſmum, nec titulo *Proximi*, nec privilegiis ditarentur.

Sub Evangelio autem, ubi nulla gentium aut tribuum diſtinctio, eâdem latitudine adhibetur *Frater*, quâ apud Judæos, & *Frater*, & *Proximus*, id eſt, pro omnibus Evangelium profitentibus, & contradiſtinguitur *Ethnicis*: 1 Cor v. 11. *Si quis, qui nominatur Frater*: & Matth. xviii. 15. *Si in te peccaverit frater*, &c. ver. 17. *Si non audierit Eccleſiam, ſit Ethnicus*,

Proximus autem ad omnes extenditur, etiam à religione noſtra alienos. *Luc.* x. 29, 30, &c.

Reus erit] חייב aut מחויב infinitiès apud Talmudicos.

R. Sol. in *Eſaiæ* cap. xxiv. verſ. 23. *Colligentur, ſicut colliguntur captivi in carcerem* מחויבי גהנום לגהינום Ἐνοχοι γέεννη εἰς γέενναν: quod convenit cum ultima clauſula hujus verſiculi.

Τῷ συνεδρίῳ, *Synhedrio*] Id eſt, Judicio, vel tribunali magiſtratûs: nam Κείσει in clauſula præcedenti ad *Judicium Dei* referendum eſſe, patebit in ſequentibus.

Ῥακὰ *Raka*] Vox contemnentis ſummo contemptu: apud Scriptores Hebræos uſitatiſſima, & tritiſſima in ore gentis.

Tanchum, fol. 5. col. 2. *Redîit quidam ad pœnitentiam: Dixit ei uxor* ריקה *Raca, ſi ſtatutum eſt tibi pœnitentiam agere, ipſum, quo te accingis, cingulum non erit tuum.*

Idem, fol. 18. col. 4. *Dixit Ethnicus Iſraelitæ, Paratum tibi apud me eſt eſculentum appoſitiſſimum. Qualenam illud? inquit alter. Cui ille, Caro ſuilla. Raca*, [*inquit Judæus*] *de beſtiis etiam mundis apud vos non comedendum*, &c.

Midras Tillin in *Pſal.* cxxxvii. *Nupta eſt regis filia ſordido cuidam nebuloni: imperat ille ut ea ſibi adſtet ut ſervula, & ſit à poculis. Cui illa, Raca, ego ſum filia Regis.*

Idem, fol. 38. col. 4. *Quidam è diſcipulis R. Jochananis pro ludibrio habuit doctrinam Magiſtri: at rediens tandem ad frugi, Doce tu* [*inquit*] *ô Magiſter, nam dignus es qui doceas: id enim quod docuiſti expertus ſum, & vidi. Cui ille,* ריקה *Raca, non credidiſſes, niſi vidiſſes*, &c.

Bab. Beracoth, fol. 32. 2. *Religioſum quendam in via orantem ſalutavit Dux quidam, at ille non reſalutavit. Expectans*

peſtaus ille uſque dum orationem tandem finiiſſet, dicit ei ריקא *Raca, ſcriptum eſt in Lege veſtrâ,* &c.

Εἰς τὴν Γέενναν τοῦ πυρός.] *Judæi* Orcum, ſive locum damnatorum, uſitatiſſimè per vocem גהנום *Gehinnom* effantur [quod infinitis exemplis demonſtrari poſſet]: à valle *Hinnom* deſumptâ Phraſiologiâ, loco ob fœdam Idololatriam, infantum *Molecho* toſtorum ululatus, elatas ſordes, & perpetuum ignem, infami, atque ad inferorum horrorem repræſentandum quàm aptiſſimo.

Bab. Erubbin, fol. 19. 1. *Tria ſunt oſtia Gehennæ; unum in eremo, ſicut ſcriptum eſt,* Deſcenderunt illi, atque omnes ſui, vivi in inferos. [*Numer.* xvi. 33.] *Alterum in mari, ſicut ſcriptum eſt,* E ventre inferorum clamavi, audiviſti vocem meam, (*Jon.* ii. 2.) *Tertium apud Hieroſolymas, ſicut ſcriptum eſt,* Sic dicit Dominus, cujus ignis eſt in Sione, & clibanus ejus Hieroſolymis. (*Eſai* xxxi. 9.) *Traditio Scholæ R. Iſmaelis, Cujus ignis in Sione, hoc eſt, Oſtium Gehennæ.*

Chaldæus Paraphraſtes in *Eſai*, cap. xxxiii. verſu 14. גהנום יקידת עלם *Gehenna, ignis æternus,* &c. Γέεννα πυρὸς αἰωνίου.

Accedimus jam ad ſententias, & ſenſum verſiculi.

Triplici pravitati adjudicatur triplex pœna.

Iraſcenti חנם vel abſque cauſa Judicium. Dicenti *Raca* Judicium etiam, ídq; per Synhedrium. Dicenti Μωρὲ Judicium *Gehennæ*.

Quod de triplici apud Judæos Synhedrio hìc adducitur non arridet, eò quòd [ſilentio præteritis aliis rationibus] Synhedrii mentio ſolùm fiat in particula media.

Quî diſtinguendum ſit *Judicium* in clauſula prima à *Judicio Synhedrii* in ſecunda, facilimè elucebit ex hoc Talmudicorum in legem *De non occidendo* gloſſemate & commentario. *Sanhed.* cap. 9. halacah 1. *Homicida hic eſt. Quicunque percuſſerit proximum ſuum lapide vel ferro, vel protruſerit eum in aquam aut ignem, unde non poſſit aſcendere, ità ut moriatur, reus eſt: ſi verò protruſerit in aquam aut ignem, unde poſſit aſcendere, ſi moriatur, impunis eſt. Impellit in eum vel canem, vel ſerpentem, impunis eſt,* &c. Vide etiam Gemaram Babylonicam ibidem. *Maimon.* in רוצח cap. 2. *Quicunque proximum occiderit manu ſuâ, gladio ſcilicet percutiens,*

tiens, aut lapide, ità ut interimat: aut ſtrangulaverit, aut combuſſerit, ità ut moriatur, quocunque modo in propria perſona interficiens, ecce, talis morte eſt mulctandus à Synhedrio: at ille, qui mercede conducit alium, ut occidat proximum; aut qui ſervos ſuos mittit, & illi occidunt; aut qui violenter in leonem protrudit eum, vel in aliam aliquam beſtiam, & beſtia illum interficit; aut qui ſeipſum interimit: כל אחר מאילו שׁופך דמים *Vnuſquiſque horum eſt effuſor ſanguinis, & iniquitas homicidii eſt in manu ejus, & damnas eſt mortis* לשמים *per manum Dei, at non morte plectendus à Synhedrio.*

Eccum duplicem homicidam! eccum duplex Judicium! Applicentur jam verba *Salvatoris* ad Gloſſam hanc veterum in legem de homicidio.

Audîſtis, inquit, quod dictum eſt à veteribus, Quicunque occiderit, quocunque modo occiderit, ſive per mercede conductum, ſive per ſervos, ſive per beſtiam immiſſam, reus eſt *Judicio Dei*; licèt non *Judicio Synhedrii*; & quicunque occiderit proximum per ſe, & non mediante alio, hic reus *Judicio Synhedrii*: at ego dico vobis, quòd quicunque iraſcitur fratri ſuo temere, hic reus erit *Judicio Dei*; & qui dixerit fratri ſuo *Raca*, hic reus *Synhedrio*.

Hæc *Salvatoris* verba rectiùs porrò intelligemus, collatis inſuper quibuſdam Phraſiologiis & doctrinis apud Scholas Judaïcas uſitatiſſimis: quales ſunt iſtæ.

Hieroſ. Bava Kama, fol. 5. 2. פטור מריני אדם וחייב בריני שמים *Abſolutus à Judicio hominum, at reus Judicio cœli*, id eſt, Dei.

מיתה בד׳ ומיתה בירי שמים: *Mors per Synhedrium, & mors per manum cœli.*

Atque, ut verbo omnia, כרת *Exciſio* vindictam ſonat per manum Dei. Falluntur plurimùm qui כרת & כריתות *Exciſionem*, de qua frequentiſſima memoria in ſacris paginis, de exciſione intelligunt à cœtu publico per cenſuram Eccleſiaſticam: cùm nihil aliud ſibi velit, quàm exciſionem per vindictam divinam. Nihil Canoniſtis Hebræorum uſitatius tritiúſve, quàm tranſgreſſiones quàmplurimas ad exciſionem adjudicare, in tritiſſima iſta Phraſiologia חייב על זדונו כרת: vel אם מזיר חייב כרת *Si hoc fecerit ex præſumptione, reus eſt exciſionis; ſi verò ex ignorantia tenetur*

netur ad ſacrificium pro peccato. Cùm ad excisionem adjudicant rem & reum, tradunt & relinquunt judicio Dei, conjunctâ tamen aliquando cenſurâ & pœnâ à Synhedrio, aliquando non: quod infinitis exemplis illuſtrari poſſet, ſed veremur nobis à prolixitate: hæc duo tantùm in utramque partem ſint ſatis. 1. De mera traditione ad judicium Dei, abſque ulla pœna à Synhedrio inflicta, loquuntur illa, quæ nuper citata, *Abſolutus eſt à judicio hominum, at reus judicio cœli.* 2. De judicio Dei & Synhedrii conjunctis, hæc ibidem, *Si tenetur ad reſtitutionem reus factus à Synhedrio, non ignoſcit ei cœlum* [vel *Deus*] *uſque dum ſolverit.* At pœnam à Synhedrio indictam paſſus abſolvitur ab exciſione. *Bab. Megill.* fol. 7. 2. *Omnes exciſionis rei, cùm vapulaverint, abſolvuntur ab exciſione ſua: ſicut dicitur, Et vilis ſit frater tuus in conſpectu tuo. Cùm vapulaverit, ecce, eſt frater tuus.*

Ἔνοχος εἰς γέενναν τοῦ πυρός. *Damnas*, vel *reus, etiam uſque ad Gehennam ignis.* Dixerat κρίσει & συνεδρίῳ, at jam dicit εἰς γέενναν: ídque altiore emphaſi; quaſi dicat, Quicunque dixerit fratri Μωρὲ, reus erit Judicio, etiam uſque ad Judicium Gehennæ.

At quidnam, quæſo, gravius in vocabulo Μωρὲ, quàm in vocabulo Ῥακά? Interpres eſto rex *Solomon*, qui ubique per *ſtultum* intelligit *improbum* & *reprobum*, ſtultitiâ ſpirituali ſapientiæ oppoſitâ; *Raca moroſitatem* quidem denotat & *morum & vitæ levitatem*: at Μωρὲ de ſtatu ſpirituali & æterno acerbè judicat, & ad perditionem certam decernit. Pro lexico nobis ſunto Scribarum & Phariſæorum de vulgo judicia & cenſuræ. Semet ipſos חכמים *ſapientes* nominari non ſolùm paſſi ſunt, ſed & quaſi ex merito & condigno ſibi arrogârunt: at quid illi de vulgo? *Turba hæc, quæ non novit Legem, execrabilis eſt*, Joan. vii. 49.

Loquendi formulam, huic ſub manibus non admodum diſparem, habes in *Bab. Kidduſhin*, fol. 28. 1. *Cherubb.* fol. 50. 1. alibíque: הקורא לחבירו, עבר יהי בנירוי *Qui proximum ſuum vocat ſervum, ſit in excommunicatione*: Gloſſa, Excommunicant illum ideo, quòd vilifecit Iſraelitam; eum ergò pariter vilifaciunt. ממזר סופג את הארבעים *Si eum vocat ſpurium, quadraginta plagis plectitor.* רשע יורד עמי לחיי *Si impium, deſcendat cum eo in vitam ſuam*: Gloſſa, *In miſeriam & penuriam.*

In hunc ergò modum variis peccatis variam pœnam, juſtiſſimâ

paritate, atque æquiſſimâ compenſatione, adaptat *Salvator.*

Injuſtæ iræ *juſtam Dei iram & Judicium.*

Publico ludibrio *publicum examen.*

Ignem Gehennæ cenſuræ ad ignem Gehennæ adjudicanti.

VERS. 23. Ὅτι ὁ ἀδελφός σου ἔχει τι κατὰ σοῦ, &c.

Emphaſis præcipuè eſt in particula τι. Nam quod Judæi ad damna pecuniaria ſolùm reſtrinxerunt, *Chriſtus* ad omnia in fratrem offendicula extendit.

Bava Kama, cap. 9. hal. 12. *Qui oblationem offert, non reſtituto quod injuſtè rapuerat, non quod officii eſt facit.*

Et rurſus, hal. 5. *Qui ſurripit quicquam à proximo, etiam vel Quadrantem, & falsò jurat, tenetur ad reſtituendum, etiam uſque ad Mediam proſequens injuriâ affectum.* Vide etiam *Baal Turim* in *Levit.* vi.

Maim. in *Gezelah*, cap. 8. אין מקריבין את האשם עד שיחזיר הגזלן את הקרן: *Non offertur oblatio pro reatu, niſi priùs reſtituatur ablatum, vel poſſeſſori, vel Sacerdoti.*

Itidémque, cap. 7. *Qui falsò jurat vel de Prutâ* [minuto] *vel quod Prutam valet, poſſeſſorem inquirere tenetur, etiam uſque ad Inſulas in mari remotas, & reſtituere.*

Nota ut hìc cautum ſit de damnis ſolùm pecuniariis & nuda reſtitutione, quæ ſine animo charitativo fieri potuit, aut corde fraterno. At *Chriſtus* charitatem urget, animi reconciliationem, & purum reunitionis cum fratre offenſo deſiderium, ídque non ſolùm de rebus pecuniariis, ſed de quavis aut qualicunque cauſa, quâ ſe gravatum queratur proximus.

VERS. 24. Ἄφες ἐκεῖ τὸ δῶρόν σου ἔμπροσθεν τοῦ θυσιαστηρίου.

Res hæc in muneribus ad Altare oblatis in tali cauſa omnino inſolita erat. Legimus quidem libamen dilatum poſt oblatum ſacrificium: *Nam dicunt ſapientes, quòd non reatu tenetur quis de libamine morâ aliquâ prorogato, quia ſacrificium ſuum offerre licet hodie, at libationem viginti ab hinc diebus.* *Toſaphta* ad *Corbanoth*, cap. 5. Legimus quoque oblationem ſacrificii etiam ad Altare præſentati, in aliquibus caſibus, non ſolùm moram aliquam patientem, ſed & ſacrificium ipſum repudiatum. Si ſcilicet in eo inſtanti detegeretur in beſtia mactanda vel labes, vel aliquod aliud, quo

fieret

fieret illa non legitimum sacrificium; vel si in offerente patefieret aliqua immunditia, aut alia causa, quâ in præsentiarum non idoneus ille redderetur dono offerendo. De quibus rebus, oblationem sacrificii ad Altare jam præsentati remorantibus, pluribus agunt Juris periti Hebræorum. Inter quas non occurrit omnino hæc, de qua hìc *Salvator*: ità ut novum quid ille præcipere videatur, ac non novum solùm, sed, ut videtur, impossibile. Nam frater offensus abesse forsan poterat in ultimis terræ Israeliticæ partibus, ità ut non nisi post multos admodum dies ille conveniendus, & venia ab eo petenda: ac quid intereà temporis de bestia ad Altare relicta? Mirum certè, *Salvatorem*, de cultu ad Altare agentem, istiusmodi officium præscribere, quod & inusitatum [in tale scilicet causa] & quod impossibili proximum. At respondetur, 1. Moris atque legis apud *Judæos* fuit, ut sacrificia hominum particularium non illico, cùm jam debita essent, ad Altare adducerentur, sed ut ad proximè sequens festum, quodcunque illud foret, seu Pascha, seu Pentecoste, seu Scenopegia, reservarentur, tunc offerenda: *Bab. Sanhedr.* fol. 11. 1. *Puerperæ, seminfluæ, & seminifluí, columbas suas reservârunt, usque dum ascenderent ad festum. Hieros. Rosh hashanah*, fol. 56. 2. *Oblationes, quæ sacratæ sunt ante festum, offerentur ad festum: nam dictum est, Hæc facietis in solennitatibus vestris*, &c. Aderant autem ad festa omnes Israelitæ, & non longè remotus ab Altari tunc fuit quivis frater, in quem quis peccaverat: ad quod tempus, & gentis morem, allusisse *Christum* par est credere. 2. Tacitè castigat curiositatem adhibitam in mora sacrificii allati circa minora, cùm hoc, quod majus, extra oculos esset. Docétque frustrà coli Deum absque vera charitate in fratrem. Idem etiam ferè fatentur Gemaristæ, *Bab. Joma*, fol 87. 1.

VERS. 25. Ἐως ὅτε εἶ ἐν τῇ ὁδῷ μετ' αὐτοῦ.

Hoc est, *Dum abis cum eo ad magistratum*, ἐπ' ἄρχοντα, *Luc.* xii. 58. ubi clarè distinguitur inter ἄρχοντα & κριτὴν, ità ut per ἄρχοντα Judices in infimis Synhedriis intelligas, per κριτὴν Judices in summo. Ad litigationes pecuniarias hìc alludi patet satìs ex verbis sequentibus, versu vicesimo sexto, *Nequaquam exibis è carcere, usque dum reddideris ultimum Quadrantem* De talibus autem judicare, consessûs erat triumviralis. *Sanhedr.* cap. 1. hal. 1.

Hunc sensum ergò habent verba versiculi. Damni alicujus, vel

pecuniæ debitæ accuſat te proximus? Jámque in via ad conſeſſum triumviralem, litem exagitaturi, pergitis? Compone cum adverſario, nè te ad ſuperius aliquod tribunal cogat, ubi majus tibi futurum periculum. *Nam, ſi dicat mutuò dans debitori, Eamus, ut de cauſa noſtra judicetur à Synhedrio ſummo, debitorem cogunt illuc cum eo aſcendere. Pari modo, ſi incuſet quis alterum de aliqua re ſibi ab eo ablata, vel de damno aliquo illato, velítque qui accuſat, ut à ſuperiori Synhedrio de ipſorum lite dijudicetur, debitorem cum illo illuc aſcendere cogunt. Atque ità fit in rebus aliis omnibus iſtiuſmodi.* *Maim.* in *Sanhedr.* cap. 6.

Antea reconciliationem ambiendam arguerat *Chriſtus* à pietate, arguit jam à prudentia, atque honeſta hominis de ſeipſo cura.

Καὶ ὁ κριτὴς σε παραδῷ τῷ ὑπηρέτῃ.

לשוטר: vel לסרדיוט: vel למנרנא

Maim. Sanhedr. cap. 1. שופטים ושוטרים תתן לך בכל שעריך Deut. xvi. 18. שוטרים *ſunt virgiferi & flagelliferi* [lictores] *qui ſtant coram Judicibus. Proficiſcuntur hi per vicos, & plateas, & diverſoria, de ponderibus & menſuris curantes: verberántque pravè agentes. Aſt omne ipſorum opus eſt ex præſcripto Judicum. Quemcunque malè agentem vident, ad Judices adducunt,* &c.

Bab. Schabb. fol. 32. 1. אדם יוצא לשוק יהי רומה בעיניו כמי שנמסר לסרדיוט *Quicunque in plateam egreditur, de ſe reputet ac ſi jam traderetur lictori.* Hoc eſt, ut Gloſſa, *Obvii ſunt illic lites & litigioſi, Gentiles atque Iſraelitæ; ità ut de ſe reputet ac ſi lictori traderetur, eum coram Judicibus ducturo.* Gloſſa in *Bab. Joma*, fol. 15. 1. מנרנא *eſt lictor Synhedrii, qui flagellat.*

Vers. 26. Κοδράντην.

Hieroſolymitanè קרדיונטם. *Babylonicè* קונטרין. Sic enim illi, *Hieroſ. Kiddushin*, fol. 58. 4.

שני איסרין פונדיון *Duo Aſſarii conſtituunt Pondion.*

שני מסומסין איסר *Duo Semiſſes Aſſarium.*

שני קרדיונטם מסומם *Duo Quadrantes Semiſſem.*

ב' פרוטות קרדיונטם *Duæ Prutæ Quadrantem.*

Bab.

Bab. Kidduſhin, cap. 1. atque *Alpheſius*, ibid. fol. 625. 2.

פונדיונין שני איכרין *Pondion valet duos Aſſarios.*

איסר שני מסומסין *Aſſarius duos Semiſſes.*

מסמס שני קונטריקין *Semiſſis duos Quadrantes.*

קונטריק שתי פרוטות *Kontrik*, vel *quadrans, duas Prutas.*

Quod hìc dicitur ab *Hieroſ.* שתי פרוטות קרדינטס, ipſiſſimum idem eſt, quod dicitur, *Marc.* xii. 42. Λεπτὰ δύο, ὅ ἐστι κοδράντης: *Prutah* fuit minutiſſimum inter numiſmata. Sic *Maimon. Gezelah*, cap. 7. אין פחות משוה פרוטה מבטן *Quod Prutam non valet, inter opes non eſt reputandum.* Hinc innumera iſta ad *Prutam* ſpectantia in Pandectis Talmudicis. *Qui minùs Prutâ furatur, non tenetur ad ſolvendum quintuplum.* Idem ibid. *Non coemitur terra pretio Prutâ minori*, in arrhabonem ſcilicet datâ. Idem in *Mecherah*, cap. 1, &c.

Horum numiſmatum valorem habes apud eundem *Maimonidem* in tractatu *Shekalim*, cap. 1. *Selaa*, inquit ille, *valet quatuor Denarios. Denarius ſex Meas. Meah autem in diebus Moſis, Magiſtri noſtri, vocabatur Gerah: continet duo Pondionin. Pondion duos Aſſarios. Et Prutah eſt pars octonaria Aſſarii. Pondus Meæ, quæ & Gerah dicitur, eſt ſedecim granorum hordeaceorum. Pondus Aſſarii quatuor granorum hordeaceorum. Et pondus Prutæ dimidii grani hordeacei.*

Lucas habet ἔσχατον λεπτόν, cap. xii. 59. id eſt, *ultimam Prutam*, quæ א משמנה באיסר האטלקי *Octava pars erat Aſſarii Italici. Kidduſh.* cap. 1. hal. 1. Κοδράντης ergò ſic dictus eſt, non quòd quarta pars eſſet Denarii, ſed quarta pars Aſſarii, qui quàm minima pars fuerit Denarii, obſervare licet ex his quæ dicuntur ab utraque *Gemara*, locis antè citatis.

ששׁ מעה כסף רינר *Sex Meæ argenteæ conſtituunt Denarium.*

מעה שני פונדיונין *Meah valet duo Pondionin.*

פונדיון שני איסרין *Pondion valet duos Aſſarios.*

Hoc obiter notetur. מעה *Meah*, quæ, teſte antè *Maimonide*, *Gerah* olim vocabatur, apud Talmudicos etiam vulgò vocari זוז *Zuz:* nam ſicut hìc dicitur ששׁ מעה כסף רינר *Sex Meæ argenteæ conſtituunt Denarium*, apud *Rambam* in *Peah*, capite ultimo,

timo, halac. 7. dicitur, דינר ז זוזים *Denarius continet ſex Zuzim. Prutah*, prout erat inter *Judæos* minimum numiſma, ſic videtur fuiſſe numiſma merè *Judaicum*, non *Romanum*: nam quamvis *Judæi Romanis* ſubditi *Romano* nummo ſunt uſi, atque indè, quod arguit *Salvator*, ſubjectionem ſuam *Romanis* ſunt confeſſi, ſuo tamen nummo uti etiam ſunt permiſſi, quod patet per communem apud eos Siclorum uſum atque Hemiſiclorum: Κοδράντῳ, *Quadrantem*, ergò minimum numiſmatis *Romani* meritò opineris, & Λεπτὸν, *Prutam*, *Judaici*. Utrumque dum memorat *Salvator*, non ſuæ loquelæ eſt inconſtans, ſed magis loquitur ad captum omnium.

VERS. 27. Ἠκούσατε ὅτι ἐρρέθη τοῖς ἀρχαίοις,
Οὐ μοιχεύσεις.

Præceptum vel textum *Moſaicum* non citat, ut nudè à *Moſe* traditum; ſed, ut tali Gloſſâ à veteribus deformatum, quæ ferè vim omnem præcepti evacuaret: nam de actu adulterino tantùm interpretati ſunt, eóque cum fœmina maritata. Sic enumeratio ſexcentorum & tredecim præceptorum Legis, ad illud *Exod.* xx. 14. *Non mœchaberis*, hæc habet, *Hoc eſt præceptum Legis triceſimum quintum, Nè ſcilicet quis coeat cum uxore aliena.*

VERS. 28. Πᾶς ὁ βλέπων γυναῖκα πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι, &c.

Hieroſ. Challah, fol. 58. 3. *Calcaneum mulieris aſpiciens eſt, ac ſi uterum aſpiceret: Uterum autem aſpiciens eſt, ac ſi cum ea coiret.* Et tamen זו דרכו של רג להסתכל בנשים *In more fuit Rabban Gamalieli fœminas intueri.* Idem *Beracoth*, fol. 12. 3.

Bab. Beracoth, fol. 24. 1. *Intuens vel in minimum digitum fœminæ eſt, ac ſi intueretur in locum pudendum.* Et tamen *ſoliti ſunt Rabh Gidal, & R. Jochanan, ad locum immerſionis ſedere, ubi lavarentur fœminæ; cúmque à quibuſdam monerentur de periculo laſciviæ, reſpondit R. Jochanan, Ego ſum ex ſemine Joſephi, in quem dominari non potuit malus affectus.* Ibid. fol. 20. 1.

VERS. 30. Εἰ ἡ δεξιά σου χεὶρ σκανδαλίζει σε,
ἔκκοψον αὐτήν.

Vide hìc *Bab. Niddah*, fol. 13. per totum. Inter alia, *Dicit R. Tarphon, Quicunque manum ad membrum virile admovet, abſcinda-*

ſcindatur manus ejus ad umbilicum uſque. Et paulò pòſt, *Præſtat ut ſindatur venter ejus, quàm ut ipſe deſcendat in puteum corruptionis.* Agitur de admotione manûs ad membrum virile, ut per ejus contrectationem dignoſcatur num gonorrhæâ laboret nécne, & tamen tantillum contrectationis ad exciſionem manûs adjudicant. Lege locum, ſi vacat.

VERS. 31. Ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα, δότω αὐτῇ ἀποστάσιον.

Notandum eſt, ut tranſeat *Salvator in* hæc verba, adhibitâ ſcilicit particulâ δέ. Ἐρρέθη δέ. Emphaſin hanc habet hæc particula hoc in loco, ut tacitam objectionem inſuſurret, cui reſpondetur verſiculo ſequenti. Dixerat Chriſtus, *Quicunque aſpicit mulierem, ut eam concupiſcat, jam mœchatus eſt.* At dixerunt Juris periti Judaici, *Si videat quis mulierem, quam in deliciis habeat præ uxore, uxorem dimittat, atque eam ducat.*

Inter capita doctrinæ *Talmudicæ* non occurrit ullum, de quo copioſiùs & ad punctillum magìs agitur, quàm De divortiis, ubi tamen non tam de juſta cauſa præcipua ſollicitudo, quàm de modo & forma. Codicem *Gittin* evolventi [ut & totum quidem *Seder Naſhim*] talis apparebit Magiſtrorum de hac re ſedulitas, ut non ſine complacentia quadam huic articulo præ omnibus aliis inhæſiſſe videantur.

Conceſſit iſti genti quidem Deus legem De repudiis *Deut.* xxiv. 1. *ob duritiem cordis eorum* tantum permiſſis, *Matth.* xix. 8. de qua tamen permiſſione gloriantur illi, ac ſi indulta è mero privilegio. Legem lethalem de Adulterio morte mulctando cùm ſanxiſſet Deus, *Deut.* xxii. in terrorem populi, atque in peccati iſtius deteſtationem; providens etiam miſericors idem Deus, quàm duriter, arreptâ ab hac lege anſâ, cedere poſſit fœminis ob virorum aſperitatem, in alias fœminas fortè anhelantium & nauſeantium uxores ſuas, lege iſtam leniente contra uxoricidia iſtiusmodi mitiùs cavit, permiſſo in eadem cauſa, de qua data fuerat lex illa lethalis, adulterii ſcilicet, uxoris repudio. Ità ut lex iſta repudiatoria, in ejus exhibitione, corda eorum innueret dura; in ejus adhibitione, oſtenduntur carnalia. Et tamen audi eos de iſta lege ſic gloriantes. *Dicit Dominus Iſraelis* כי שנא שלח [Mal. ii. 16] *Per totum capitulum, inquit R. Chananiah nomine R. Phinehas, vocatur Dominus exercituum; at hìc Iſraelis, ut innoteſceret Deum nomen ſuum*

repudiis

repudiis non ſubſcripſiſſe, niſi ſolùm inter Iſraelitas. Quaſi dicat, Iſraelitis conceſſi uxorum dimiſſiones, non conceſſi Gentilibus. Dicit R.Chaiiah Rabbah, Nationibus mundi non conceduntur Repudia. Hieroſ. in *Kidduſhin*, fol.58. 3.

Legem hanc *Moſaicam* interpretati ſunt ex illis quidam [prout jure quidem interpretari eos oportuit] de cauſa ſolùm adulterii. *Dixit Schola Shammæana, non dimittenda eſt uxor, niſi ob turpitudinem* [hoc eſt, adulterium] *ſolùm, quia dicitur* כי מצא בה ערות *Quia invenit in ea turpem nuditatem,* [id eſt, adulterium]. *Gittin*, cap. 9. halac. ult.

Rabh Papa dixit, Si non inveniat in ea adulterium, quid tum? Reſpondit Rabba, Cùm revelaverit Deus miſericors de vitiante virginem, quòd non licet ei dimittere eâm per totam vitam; [Deut. xxii.29.] *illinc de re propoſita edoceris, quòd, ſi non invenerit in uxore turpitudinem, non licet dimittere. Gemara* ibidem.

Pari honeſtate commentati ſunt quidam in verba iſta è Propheta citata כי שנא שלח: *R. Jochanan dicit, Dimiſſio uxoris eſt odioſa:* Ibidem. Quod etiam conceſſerunt alii de uxore quidem prima, ſed non de ſuperinductis; hoc enim apud ipſos probatur pro Canone, *Primam uxorem ſuam nè quis dimittat, niſi ob adulterium. Maim.* in *Geruſhin*, cap. 10. *Rabbi Eliezer dicit, De dimiſſione uxoris primæ, vel ipſum Altare fundit lacrymas. Gittin*, ubi ſuprà. Quam Gloſſam ex eo arripiunt, quod dicitur, *Nè quis perfidè agat in uxorem juventutis ſuæ*, Mal. ii. 15.

Unâ eâdémque licentiâ, Polygamiâ uſi ſunt Judæi & uxorum dimiſſione: mutuò hiſce & invicem ſibi fomitem exhibentibus, & laſciviâ utriſque.

Multas ſimul uxores habere licet, [dicunt illi] *etiam quotquot velis: at decreverunt Sapientes noſtri, nè ultra quatuor uxores quis habeat. Maim.* in אישות cap. 10 & 14. At hoc reſtrinxerunt non tam ex principiis aliquibus caſtitatis, quàm nè pluribus uxoribus quis oneratus impos ſit ad victum, veſtitum, & debitam benevolentiam eis exhibendum; nam ſic de fræno hoc Polygamiæ commentantur.

Quibus de cauſis uxores repudiarent, non eſt quod quæramus, cùm de quavis cauſa ex proprio arbitrio hoc perpetrârunt.

1. *Uxorem non bene moratam, & quæ non modeſta ſit, ut decet filiam*

filiam Israeliticam, præceptum est ut dimittat. Sic illi apud *Maimonidem* & *Gittin*, ubi suprà. Ubi & hoc adjicitur apud *Gemaristas*; *Dicit R. Meir, Prout sunt hominibus placita sua, de cibo suo & potu, ità sunt etiam de uxoribus suis. Repertam hic in poculo muscam eximit, & tamen non vult bibere: isto modo se habuit Papus ben Judæ, qui, quotiescunque exiret, uxorem seratis ostiis inclusit. Repertam alter in poculo muscam eximit, & poculum ebibit: quod facit ille, qui uxorem cum vicinis & affinibus liberè colloquentem videt, & tamen permittit. Estque qui, si in canistro muscam inveniat, ipsam edit: & hoc hominis mali est, qui uxorem egredientem videt, capite non velato, & nudatâ cervice, lavantémque videt in balneis, ubi lavare solent viri, & tamen de hac re non curat; cùm ex Lege teneatur eam dimittere.*

2. *Si quis uxorem odio habeat, dimittat. Maimonides* ubi antè: uxorem tantùm primò ductam excipiens. Paritérque *R. Judah* illud Prophetæ שנא שלח כי sic interpretatur, *Si odio habeat, dimittat:* quem sensum versiones nonnullæ periculosè satìs sunt secutæ. *R. Sol.* sensum loci istius sic effert; *Uxorem dimittere præcipitur, si in oculis mariti gratiam non assequatur.*

3 *Schola Hilleliana dicit, Si esculenta mariti nimiâ salsedine aut nimiâ tostione malè conficiat uxor, est dimittenda. Gittin* ubi suprà, & *R. Sol.* & *R. Nissin* ibi.

4. Imò, *Si ictu aliquo divino muta reddatur, aut fatua,* &c.

5. Sed, nè omnia proferamus, de quibus uxorem dimittendam pronuntiant, [inter quæ & quædam proferunt præ erubescentia non memoranda] satìs sit illud *R. Akibæ* vice omnium adduxisse. *Dixit R. Akibah, Si quis mulierem videat uxore formosiorem, uxorem dimittere licet, quia dictum est, Si gratiam non assequatur in oculis ejus. Mishnah* ult. in *Gittin*, cap. 9.

Ἀποστάσιον.

Et Βιβλίον Ἀποστασίε, *Matth.* xix. 7. & apud *Septuag. Deut.* xxiv. 1. De quo sic *Beza, Libellus hic videri possit, non uxoris dimissæ, sed mariti ab uxore secedentis respectu,* Ἀποστάσιον *vocari.* Duriusculè, & doctrinæ *Judæorum* Canonicæ ex diametro contrarié: Sic enim illi, *In libello scribendum est, Ecce, tu dimitteris; ecce, tu pelleris, &c. Si autem scribat, Ego non sum vir tuus, vel, Ego non sponsus tuus, &c. non est justus libellus: nam dictum est, Ille*

eam dimittet, non, Ille dimittet ſeipſum. Maim. in *Geruſhin*, cap. 1.

Libellus hic à *Judæis* vocatur ספר כריתות & ספר תירוכין & אגרת שבוקין & נט פוטורין & נט &c.

Uxor dimitti non potuit, niſi dato libello repudii: *Vocatur ergò*, [inquit *Baal Turim*] ספר כריתות *Libellus abſciſſionis, eò quòd nihil aliud ſit, quod eam à marito exſcindat. Quamvis enim triplici modo uxor acquireretur* [de quo vide *Talm.* in *Kidduſhin*, cap. 1. halac. 1.] *non erat tamen quo dimitteretur, præter libellum repudii. Baal Turim*, in *Deut.* xxiv.

II. *Non dimittebatur uxor, niſi libenter volente marito; reluctante enim non erat repudium: at, velit nolit uxor, repudianda, ſi vellet maritus. Maim.* in *Geruſhin*, cap. 1.

III. *Libellus repudii duodecim lineis conſcriptus eſt, nec pluribus, nec pancioribus. Raſhba* in *Tikkun Get*, ad finem *Gittin*, in *Alpheſio*.

Rationem hujus numeri reddit *R. Mordechæus* in cap. 1. in tractatum *Gittin*, hiſce verbis, *Libellum repudii ſcribens duodecim lineis compingat, ſecundùm valorem numericum literarum in voce* נט. *At Rabh Saadias interpretatur, Libellum repudii ſcribendum eodem linearum numero, quo ſeparantur libri Legis. Quatuor enim lineæ intercedunt inter librum Geneſeos & librum Exodi: quatuor inter librum Exodi & librum Levitici: quatuor inter librum Levitici & librum Numerorum. At quatuor inter librum Numerorum & Deuteronomii non reputantur, eò quòd liber iſte eſt tantùm repetitio Legis*, &c.

IV. Exemplar libelli repudiatorii habes apud *Alpheſium* in *Gittin*, fol. 600. hâc formâ.

ספר כריתות

בכך בשבת בכך וכך לירח פלוני בשנת כך וכך לבריאת
עולם במניינא דרגילנא למימני ביה ברוכתא פלוני איך
אני פלוני בר פלוני וכל שום ראית ליה דמתתא פלוני
צביתי ברעות נפשי ברלא אניסנא ופטירית ושבקירת
ותריכית יתיכי ליכי אנת פלונית בת פלוני וכל שום ראית
ליכי דמתתא פלונית דהוירת אינתתי מן קדמאי רנא
וכדו תרוכית יתיכי ליכי אנת פלניתא בת פלוני וכל
שום

שם ראית ליכי דמתא פלוני דיתהויין רשאה ושלטאה
בנפשיכי למהך להתנסבא לכל גבר דיצתבייין ואינש
לא ימחה ביריכי מן יומא דנן ולעלם והרי את
מהורת לכל ארמורן די יהוי ליכי מינאי ספר תירכין
ונט פיטורין ואגרת שבוקין כדת משה וישראל:

ראובן בן יעקב עד:
אלעזר בן נלעד עד:

Libellus Repudii.

Die hebdomadis N. Menſis N. anni à condito mundo N. computo quo numerare conſuevimus in Provincia N. Ego N. filius N. & quocunque nomine vocitor, de civitate N. cum ſummo animi conſenſu, atque abſque ulla coactione urgente, Repudiavi, dimiſi, atque expuli te, te, inquam, N. filiam N. quocunque nomine vocitaris, de civitate N. quæ antehac uxor mea fuiſti. At nunc te dimiſi, te inquam, N. filiam N. quocunque nomine vocitaris, de civitate N. Ità ut libera & de jure tuo ſis, nuptum iri cuicunque placuerit, & nemo te reprimat, ab hodierno die uſque in perpetuum. Libera es ergò cuivis homini: Atque hic eſto tibi à me libellus repudii, literæ divortii, & ſchedula expulſionis, ſecundùm legem Moſis atque Iſraelis.

Reuben filius Jacobi teſtis.
Eliezer filius Gilead teſtis.

Vide formulam etiam hanc in paucis mutatam in *Maimon.* in *Geruſhin*, fol. 273. 2.

V. Libellus hic, ſigillo mariti roboratus & ſubſcriptione teſtium in manus uxoris, aut ab ipſo marito, aut ab aliquo in hoc munus ab eo deputato, erat tradendus: aut aliquem deputare poterat uxor, qui vice ſuâ eum reciperet.

VI. Tradendus uxori non erat, niſi duobus præſentibus, qui libellum perlegerent, & antè quàm in manus uxoris daretur, & póſt: cúmque daretur, maritus, ſi præſens, ſic fatur, *Ecce, hic eſt tibi libellus repudii.*

VII. Uxori dimiſſæ licuit, ſi viſum eſſet, libellum hunc ad Synhedrium adducere, ubi inter Archiva, ſi urgeret illa, conſcribebatur in rei memoriam. Licuítque pariter dimiſſæ cuicunque vellet nube-

re, ſi non in libello obicem, clauſulâ aliquâ id prohibente, poſuiſſet maritus.

VERS. 32. Ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, &c.

I. Permiſſionem *Moſaicam* de repudiis non abrogat *Salvator*, ſed tolerat, intra limites tamen *Moſaicos* ſolùm compactam, hoc eſt, in cauſa adulterii: damnatâ iſtâ apud Canones *Judaicos* licentiâ, quæ ob quamlibet cauſam permiſit.

II. In cauſa adulterii non præceptum eſt repudium, ſed permiſſum. Coacti ſunt *Iſraelitæ* etiam verberibus aliquando uxores dimittere, ut patet apud *Maimon.* in *Geruſbin*, cap. 2. At *Salvator*, etiam in cauſa adulterii, coactionem non imponit dimiſſionis, ſed licentiam indulget.

III. *Qui extra cauſam fornicationis uxorem dimittit, facit eam mœchari*; hoc eſt, ſi mœchetur: vel, etſi actu non mœchetur, reus tamen ille de omnibus dimiſſæ libidinoſis æſtuationibus; nam libidinoſè concupiſcens *mœchari* dicitur, verſu viceſimo octavo.

VERS. 33. Ἐρρέθη τοῖς ἀρχαίοις, Οὐκ ἐπιορκήσεις, &c.

Perjurium prohibet Lex, *Levit.* xix. 12, &c. ad quod totum de jurando peccatum reduxerunt patres Traditionum, de juramento temerario parùm curantes. Dupliciter in hoc capite de juramentis peccârunt:

I. Quòd nihil de jurejurando ſoliciti eſſent, modò quod juraretur non eſſet falſum. Quid, qualiter, quoties, quàm temerariè jurares, parùm curant, modò quod juras ſit verum.

In tractatu Talmudico *Shevuoth* שבועות, paritérque apud *Maimonidem* Juramenta in quatuor has claſſes diſtribuuntur.

Primò, שבועת ביטוי *Juramentum promiſſorium*: cùm juraret quis ſe hoc vel illud facturum, vel non facturum, &c. Atque hoc unum erat è juramentis ארבע שהן שתים שבועות bipartitis, quæ & quadripartita etiam erant: hoc eſt, negativum vel affirmativum; & rurſus, negativum aut affirmativum de præterito, vel negativum aut affirmativum de futuro: nempe, cùm quis juraret ſe hoc vel illud feciſſe, vel non feciſſe, vel ſe hoc vel illud facturum vel non facturum: *Quicunq; ergò aliquo quatuor horum modo jurat, & ita res ſe non habet, prout jurat, (Exempli gratiâ, Se non jeciſſe lapidem*

in

in mare, cùm jecerit: ſe jeciſſe, cùm non jecerit: ſe non comeſturum, & tamen comedit; ſe comeſturum, & tamen non comedit:) *ecce, hoc eſt falſum juramentum,* vel *perjurium: Maim.* in *Shevuoth*, cap. 1.

Quicunque jurat ſe non comeſturum, & tamen quædam comedit, quæ quidem non ſunt eſui ſatis idonea, hic reus non eſt. Talm. in *Shevuoth*, cap. 3.

Secundò, שבועת שוא *Juramentum vanum*, vel *temerarium:* hoc etiam quadripartitum [ſed non eodem modo, quo prius]. 1. Cùm quis id juramento aſſereret, quod notiſſimæ veritati eſſet contrarium: veluti, *Si juraret virum eſſe fœminam, columnam lapideam eſſe columnam auream,* &c. vel, cùm quis juraret id eſſe vel fuiſſe, quod omnino impoſſibile: veluti, *Se vidiſſe Camelum in aere volitantem.* 2. Cùm quis jurejurando id aſſereret, de quo non erat quòd quis dubitaret. Exempli gratiâ, *Cœlum eſſe cœlum, lapidem eſſe lapidem,* &c. 3. Cùm id ſe facturum juraret, quod omnino ipſi impoſſibile: *Se nempe per triduum & trinoctium non dormiturum; per plenam ſeptimanam ſe nihil guſtaturum,* &c. 4. Cùm ab eo abſtinere juraret, quod præceptum eſt, *Se nempe non geſtaturum Phylacteria,* &c. Ipſiſſima hæc exempla adducuntur in locis allegatis.

Tertiò, שבועת פקדון *Juramentum de depoſito:* cùm nempe quis de depoſito apud ſe juraret, vel ſurreptum, vel fractum, vel perditum eſſe, & non à ſe deglutitum, &c.

Quartò, שבועת עדות *Juramentum teſtimoniale* coram Judice aut Magiſtratu:

In tribus ex his juramenti generibus de veritate rei juratæ ſolummodò cautum eſt, non de vanitate jurandi.

Cautionem quidem aliquam adhibere videbantur circa juramentum vanum & temerarium. 1. Flagellandum ſcilicet eum qui ſic jurat, & execrabilem fieri: quod innuit *Maimonides*, capite tractatûs allegati duodecimo; cui & ſuffragantur Gemariſtæ Hieroſolymitani, *Shevuoth* fol. 34. 4. *Qui jurat duo eſſe duo, vapulet ob vanum juramentum.* 2. Terrorem etiam addiderunt ex feralibus exemplis: quale eſt illud ipſiſſimo iſthóc loco. בר בליות היו ברוזם *Viginti quatuor cœtus fuerunt in Auſtro, atque omnes vaſtati ſunt ob juramentum vanum.* Atque in tractatu eodem, *fol.* 37. 1. Mulier ſepeliit filium ob juramentum, &c. In tam

arctum tamen circulum vana juramenta concluſerunt, ut centies millies vanè jurari poſſet, & tamen intra limites cautionis de vano juramento non includi.

II. Iurare per Creaturas pro more & conſuetudine habuerunt.

Si quis jurat per cœlum, per terram, per ſolem, &c. ſit licèt animus jurantis ſub his verbis per illum jurare, qui hæc creavit, hoc tamen non eſt juramentum. Aut, ſi quis jurat per aliquem ex Prophetis, aut per aliquem librum è libris Scripturæ, ſit licèt ſenſus jurantis per illum jurare, qui iſtum Prophetam miſit, aut qui iſtum librum dedit, nihilominùs hoc non eſt juramentum. Maimon. ubi ſuprà, cap. 12.

Si quis alium adjurat per cœlum aut terram, reus non eſt. Talm. ubi ſuprà, cap. 4.

Jurârunt per cœlum. *Bab. Beracoth*, fol. 55. השמים כן הוא *Per cœlum ità res eſt.*

Jurârunt per Templum. *Cherithuth*, cap. 1. halac. 7. *Cùm venderentur aliquando turtures & columbarum pulli Hieroſolymis denario aureo, dixit Rabban Simeon ben Gamalielis* המעון הזה *Per habitationem hanc* [id eſt, Per Templum hoc] *hâc nocte non quieſcam, niſi vaneant denario argenteo.*

Ketubboth, cap. 3. & *Toſapht.* ibid: *Dixit R. Zechariah ben Ketſab*, המעון הזה *Per Templum hoc, non receſſit manus mulieris è manu mea.* Bab. Kidduſhin, fol. 71. 1. *Dixit R. Jochanan* היכלא *Per Templum eſt in manu noſtra*, &c.

Juchaſin, fol. 56. col. 1. *Bava ben Buta juravit, Per Templum, in fine tractatûs Cherithuth, & Rabban Simeon ben Gamaliel in initio* וזה מנהג בישראל *Et ſic mos fuit in Iſraele.* Nota hoc, *ſic fuit mos.*

Jurârunt per urbem *Hieroſolymam. Toſapht*: ad *Nedarim*, cap. 1. *Dicit R. Judah, Qui dicit Per Hieroſolymam, nihil dicit, niſi intento animo voverit Hieroſolymam verſùs*: Ubi etiam poſt duas lineas interiectas adduntur hæ jurandi vel vovendi formulæ: יחשלם לירושלם בירושלם: היכל להיכל בהיכל:

Hieroſolyma, Pro Hieroſolyma, Per Hieroſolymam. Templum, Pro Templo, Per Templum. Altare, Pro Altari, Per Altare. Agnus, Pro agno, Per agnum. Paſtophoria, Pro Paſtophoriis, Per Paſtophoria.

phoria. Lignum, Pro ligno, Per lignum. Sacrificia ignita, Pro ignitis, Per ignita. Patinæ, Pro patinis, Per patinas: hæc omnia, quòd ego hoc faxo tibi.

Juràrunt per capita ſua. *Sanhedr.* cap. 3. halac. 2. *Tenetur quis proximo jurare, & dicit ille* רור לי בחיי ראשך *Vove* [vel, *Jura*] *mihi per vitam capitis tui*, &c.

VERS. 34. Μὴ ὀμόσαι ὅλως.

In tractatu *Demai*, cap. 2. halac. 3. præſcribuntur regulæ quædam religioſo: Inter alias שלא יהא פרוץ בנדרים ובשחוק *Nè nimius ſit in jurando & ridendo*: ubi Gloſſa *R. Sol.* פרוץ בנדרים *Hoc vult, Nè multus ſit in juramentis, etiamſi de iis, quæ vera ſunt, juret: nam in multùm jurando impoſſibile eſt non profanare.* Arctiori vinculo ſuos meritò ligat *Salvator*, voluntario aut arbitrario juramento locum permittens omnino nullum. Incedit in medio ſenſus horum verborum, inter *Judæum*, qui aliquem locum arbitrario juramento indulſit, atque *Anabaptiſtam*, qui neceſſario nullum.

VERS. 36. Οὐ δύνασαι μίαν τρίχα λεῦκὴν ἢ μέλαιναν ποιῆσαι.

Hoc eſt, Non potes vel canos inducere, vel amovere.

VERS. 37. Ἔστω ὁ λόγος ὑμῶν, Ναὶ, ναί· Οὒ, οὔ.

הן הן. לא. לא.

Maimon. in *Peah*, cap. 5. משאן ומתנן של תלמידי חכמים באמרת ובאמונה אמר על לא לא ועל הן הן *Datio & acceptio* [id eſt, tranſactio] *inter diſcipulos Sapientum ſit in veritate & fide, dicendo Eſt, Eſt, Non, Non*, vel verbatim, *De Etiam Etiam, de Non Non.*

Gittin, cap. 7 halac. 1. *Si lunatico dicitur, Num libellum repudii conſcribemus uxori tuæ? ille autem capite annuat, ter experiuntur: & ſi ille reſpondeat* על לאו לאו ועל הן הן *ad Non Non, atque ad Etiam Etiam, conſcribant illi ac dent uxori.*

VERS. 38.

VERS. 38. Ἠκούσατε ὅτι ἐρρέθη, Ὀφθαλμὸν ἀντὶ ὀφθαλμοῦ, &c.

Hanc legem etiam citat, ut Gloſſâ Scribarum amictam, & in Scholis *Judaicis* jam receptam. Illi autem non in juſtam talionem legem reſolverunt, ſed in pecuniariam compenſationem.

Bava Kama, cap. 8, & *Maimon.* in חובל ומזיק cap. 1. *Detruncat quis manum aut pedem proximi? Hoc æſtimant ſecundùm exemplum venundati ſervi, computantes quanto pretio vaniret cùm non mancus, quantóque minori cùm jam mancus. Quantúmque pretii diminutum, tantum detruncato ſolvendum, ſicut dicitur, Oculus pro oculo, &c. Traditione accepimus hoc intelligendum eſſe de ſatisfactione pecuniaria: quod autem dicitur in Lege,* Si labem impegerit proximo, eadem impingetur & ipſi, [*Levit.* xxiv. 19.] *non vult ut ille demancetur, prout alium demancavit, ſed, cùm dignus ſit demancatione, dignum eſt ut damnum perſolvat demancato.* Plurimâ charitate videbantur ſibi ſeveram iſtam legem emolliſſe, cùm tamen interea parùm de viva charitate eſt cautum, & de offenſæ condonatione, apertâ adhuc ab iis relictâ ad exactionem januâ ac vindictam, quod patebit in ſequentibus.

VERS. 39. Ὅστις σε ῥαπίσει ἐπὶ τὴν δεξιάν σε σιαγόνα.

Ut doctrina *Chriſti* hìc clariùs eluceat, ex oppoſito ponatur doctrina *Judaica*, cui ille ſuam opponit.

Bava Kama, cap. 8. halac. 6. *Impingit quis colaphum proximo in aurem, det ei Solidum. R. Judah nomine R. Joſi Galilæi dicit, Det ei minam.*

סטרו נותן לו כנאתי זוז *Impingit ei colaphum in maxillam, det ei ducentos Zuzaos: ſi alterâ manu, det ei quadringentos.* (Confer verſum 39. *Si quis te percuſſerit in dextram maxillam tuam, præbe ei & alteram*).

צרם אזנו וגו׳ *Vellicat aurem ejus; aut evellit crinem; aut conſpuit, ità ut in eum concidat ſputum; aut tollit ab eo tunicam* (nota hoc & confer verſum 40. *Qui vult tunicam tuam tollere*, &c.) *aut denudat caput mulieris in publico: det quadringentos Zuzaos.*

Rationem mulctæ tam ſeveræ petunt præcipuè à pudefactione ſic

ſic læſi, ac rei ipſius opprobrio, atque inſuper à dignitate Iſraelitæ: quod fusè patefit à Gemariſtis in verba citata, atque à *Maimonide* in חובל ומזיק capitibus 1, 2, 3, &c.

הכל לפי כבודו *Statuuntur atque infliguntur iſtæ mulctæ* [inquiunt] *ſecundùm dignitatem perſonæ læſæ. At dixit R. Akibah, Etiam pauperrimi Iſraelitæ reputandi ſunt, ac ſi generoſi eſſent, exuti facultatibus ſuis; quia ſunt filii Abrahami, Iſaaci, & Jacobi.*

Hinc facilis patet aditus ad rationem doctrinæ *Chriſti*. 1. Legem talionis citat, ut ex iſtius Antitheſi clarior eluceat charitas, & condonatio *Chriſtiana*. 2. Hæc ſpecialia memorat, quæ indigniſſima videbantur, & non toleranda à generoſitate *Judaica*; ut humilitatem Evangelicam prædicet magis & patientiam, atque abnegationem ſui. At cur data Lex talionis, ſi in hoc tandem liquetur? Eâdem ratione, quâ Lex lethifera De adulterio: in terrorem ſcilicet, ac in demonſtrationem peccati. Utraque ex charitate emollienda; hæc condonatione, illa libello repudii, aut, ſi ſic marito viſum, condonatione quoque.

VERS. 40. Καὶ τῷ θέλοντί σοι κριθῆναι, καὶ τὸν χιτῶνά σου λαβεῖν, &c.

χιτῶνα, טליתך ſic in verbis Talmudicis allegatis, העביר טליתו *Tollit tunicam*. De ea ſic *Aruch*, טליתך הוא רדיד *Talith eſt pallium. Et quare vocatur* טליתך שהוא מעלה מכל בגדים *quia eſt ſupra omnes veſtes*, id eſt, quia eſt veſtis extima.

In veſte hac exteriori intextæ ſunt fimbriæ iſtæ memorativæ Legis, de quibus mentio, *Num.* xv. 38. hinc illud *Bab. Shabb.* fol. 23. 2. הזהיר בציצית זוכה לטליתך נאה *Qui curat de peniculamentis, meretur bonam tunicam*. Indè auctum eſt opprobrium ſimul cum injuria, cùm tolleretur illud, de quo non parùm jactantiæ, imò & in quo non parùm religionis. *Matth.* xxiii. 5. χιτῶνας καὶ ἱμάτιον טליתך וחלוק: *Bab. Bava Mezia*, fol. 78. 2. *Si det quis pauperi denarium ad coëmendum* חלוק ἱμάτιον, *nè coëmat* טליתך χιτῶνα. *Nedarim*, fol. 33. 1. משאיל לו חלוק וטליתך. *Accommodat ei* ἱμάτιον καὶ χιτῶνα.

VERS. 41. Καὶ ὅστις σε ἀγγαρεύσει μίλιον ἕν, &c.

Injuriâ corporali affecto quinque hæ ſolvendæ erant mulctæ pro ratione & qualitate injuriæ, בנזק בצער בריפוי בבושת בשברת *Mulcta pro demancatione*, ſi modò ille demancatus: *mulcta pro dolore*, tolerato è plaga aut vulnere inflicto: *mulcta pro* vulneris aut plagæ *ſanatione: mulcta pro illato opprobrio: & mulcta proceſſationis*, cùm ſcilicet vulneratus, aut plagâ afflictus, decumbens rebus ſuis adeſſe non potuit. *Bava Kama*, ubi ſuprà.

Ad primam reſpicere videntur prima verba *Salvatoris*, Μὴ ἀντιστῆναι τῷ πονηρῷ. Nè ſic in injurioſum obſiſtas vel inſurgas, ut Legem talionis in eum exigas: ad ſecundam & quartam verba ſequentia, ὅστις σε ῥαπίσει ad eaſdem & iſta, θέλοντί σοι κριθῆναι καὶ τὸν χιτῶνά σου λαβεῖν: ad ultimam hæc, quæ ſub manibus, & ad ſecundam certè, *ſi proponitur genus ſervitutis intolerabile*, quod ait clariſſimus *Beza*.

Vox הלוורת, Talmudicis uſitatiſſima, quâ denotant proficiſcentem aliquatenus honoris ergô comitari, ad ſenſum verbi ἀγγαρεύειν non pertingit, ſed mollis nimis eſt & humilis. Pro officio habitum eſt, Mortuum ad ſepulchrum & Rabbinum diſcedentem aliquatenus comitari. Hinc hiſtoria iſta *Hieroſ. Schab.* 8. 3. *Germani ſervus R. Judæ Naſi, volens R. Illam diſcedentem* ἀπαντῆσαι [מילווירה] *obvium habuit canem rabidum*, &c. Veſtigia hujus officii inter *Chriſtianos*, *Tit.* iii. 13. III *Joann.* verſ 6. indicia officii, amoris & reverentiæ: at quod à magiſtris *Judæorum* exigebatur ex arrogantia, & ſupercilioſa autoritate, præſtandum Rabbino, quà Rabbino.

At ἀγγαρεύειν duriùs ſonat, & non tam officii impulſum, quàm violentiæ coactionem fatur: retinéntque Talmudici ipſiſſimam iſtam vocem אנגריא, exemplíſque non paucis quid ſibi velit demonſtrant. *Bab. Joma*, fol. 35. 2. *Fertur de R. Eliazar ben Harſum, quòd legavit ei pater ejus mille urbes in arida & mille naves in mari: at ille tamen, unoquoque die portans ſecum utrem farinæ in humero ſuo, profectus eſt ab urbe in urbem, & à regione in regionem, ut diſceret Legem. Quodam die occurrunt ei ejus ſervi,* ועשו בו אנגריא, *atque eum angariant. Dicit iis, obſecro vos me dimittere, ut abeam, & diſcam Legem. Dicunt ei, Per vitam R. Eliazari ben Harſum, non te dimittemus*, &c. Gloſs. אנגריא עבודה

עבור

עבוד" שר העיר. *Angaria eſt ſervitus Politarchæ, & fuit hìc inſervire ſibi,* [nam ipſe fuit Dominus urbis.] *At illi eum non nôrunt, ſed arbitrati ſunt unum eum fuiſſe ex iſtis ſuis urbibus: nam Famulitium domini incumbit iis.*

Idem *Nedarim*, fol. 32. 1. *Dicit R. Eliezer, Quare punitus eſt Abrahamus pater noſter, & afflicti ſunt filii ejus in Ægypto ducentis & decem annis?* מפני שעשה אנגריא בתלמידי חכמים *Quia angariavit diſcipulos Sapientum; ſicut dicitur,* וירק את חניכיו Armavit Catechumenos ſuos, *Gen.* xiv. 14.

Idem ferè etiam dicitur de rege *Aſa*, *Sotah*, fol. 10. 1. *Quærit Rabba, Quare punitus eſt Aſa* [podagrâ]? שעשרה אנגריא בתלמידי הכמים *Quia angariavit diſcipulos Sapientum: ſicut dicitur,* Et rex Aſa convocavit omnem Judam nemine excepto, &c. I, *Reg.* xv. 22.

Mentio etiam occurrit de angariando jumento, *Bava Mezia*, cap. 6. hal. 3. או שנעשית אנגריא אומר לו הרי שלך לפניך *Aſino conducto ad iter montanum, conducens autem carpit iter in convalli, ſit licèt utrumque æqualis ſpatii, decem miliarium, ſi moriatur aſinus, conducens eſt reus*, &c. *At verò, ſi angariatus fuerit aſinus, dicit conducens poſſeſſori; Ecce, tuum tibi habe*, &c. Gloſſa או שנעשירת אנגריא *Si angariatus fuerit, id eſt, ſi eum arripiunt ad opus aliquod Regis*, &c.

Vides ergò quò tendat exhortatio *Salvatoris*. 1. Ad patientiam ſub aperta injuria, & cui nullus prætextus; verſu triceſimo nono. 2. Sub injuria, cui prætenditur jus aliquod, atque æquitas in foro, verſu quadrageſimo. 3. Sub injuria, coactione, aut violentia, cui patrocinatur autoritas regalis, aut ſuperiorum.

VERS. 44. Μισήσεις τὸν ἐχθρόν σα.

Adduci hìc poſſent venenati iſti canones, quibus in æternum odium inſtruuntur in Gentiles, ínque ipſos Iſraelitas, qui non, quoad ſingula, in iiſdem traditionibus ac ritibus ſecum incedunt. Exemplum hôc unum ſatìs ſit pro plurimis, quæ præſtò ſunt ubique. *Hæretici, Iſraelitici, id eſt, qui idola colunt ex Iſraele, aut qui tranſgrediuntur ut irritenet; itémque Epicurei, id eſt, Iſraelitæ, qui negant Legem & Prophetas, ex precepto ſunt occidendi, ſi poteſt quis eos occidere, ídque palám; ſi autem non apertè, clàm & aſtutè*

machineris eis mortem! Et paulò póſt, (ô extremam in Gentiles *Judæorum* charitatem) *Gentilibus verò, quibus nobiſcum non eſt bellum, itémque paſtoribus pecorum minutiorum, aliísque iſtiusmodi, non mortem quidem ità machinantur, at prohibitum tamen eſt eos à morte liberare, ſi de morte periclitantur. Exempli gratiâ, videt Judæus quemquem eorum lapſum in mare, nullo modo eum indè tollat: nam ſcriptum eſt,* Non inſurges in ſanguinem proximi tui: *at hic non eſt proximus.* Maim. *in* רוצח *cap.* 4. Et porrò, cap. 13. *Iſraelita, qui ſolus videt alium Iſraelicam tranſgredientem, eúmque admonet, non reſipiſcentem tenetur odio habere.*

VERS. 46. Οὐχὶ καὶ οἱ τελῶναι τὸ αὐτὸ ποιοῦσι;

Quàm odioſi genti *Judaicæ* fuerint Publicani, ex iſta præſertim gente orti, quàmque bipedum nequiſſimos eos reputârint, multifariàm patet apud Evangeliſtas: atque ipſiſſimus idem eſt eorum character apud ſcriptores ſuos.

Maimon. in גזלה cap. 5. *Hominum, de quibus præſumitur eos fures eſſe, præſumitúrque omnes eorum opes per rapinam congeſtas eſſe, opúsque totum ſuum eſſe opus rapacium, veluti Publicanorum & latronum, opibus uti non licet, nec eſt eorum nummus cum tuo commiſcendus, eò quòd præſumitur ex rapina acquiſitus.*

Bab. Sanhedr. fol. 25. 2. Inter eos, qui nec ad judicandum idonei fuerunt, nec ad teſtimonium in judicio perhibendum, numerantur הגבאין והמוכסין *Exactores, & Publicani.*

Nedarim, cap. 3. halac. 4. Conjunguntur Publicani cum ſicariis & latronibus נודרין להרגין ולחבמין ולמוכסין *Jurant ſicariis, latronibus, & Publicanis,* (bona invadentibus) *Hæc eſt oblatio,* &c. *Noſcitur ex ſocio.*

Inuſta iis, nec immeritò, fuit talis ignominia, partim ob eorum rapinam, partim quòd oneri genti impoſito ipſi onus addiderunt.

Maim. ubi ſuprà. *Quandonam ſunt Publicani reputandi pro furibus? Quando ſcilicet eſt Gentilis: vel quando ex ſeipſo illud muneris uſurpat, vel quando à Rege deputatus non definitam ſummam exigit, ſed pro arbitrio.* Ideo pro rara avi reputandus eſt Pater *R. Zeiræ*, qui, cùm Publicanus foret per annos tredecim, onera tributorum non gravavit, ſed emollivit. *Bab. Sanhedr.* fol. 25. 2. *Gaon* apud *Aruch* in מכס. *Cùm rex tributum definiret à Judæis exigendum,*

exigendum, ab unoquoque secundùm facultates suas; hi Publicani, ad rem proportionandam deputati, προσωπολήπλαι *facti sunt, hos onerantes, illis indulgentes, & sic facti sunt prædatores.*

Quò gravius fuit populo *Iudaico*, liberam gentem se jactanti, jugum Ethnicum, eò odiosius hoc hominum genus, *Iudaico* sanguine ortum, & tamen jugum eorum longè gravius reddens per has rapinas.

CAP. VI.

VERS. 1. Προσέχετε τὴν ἐλεημοσύνην ὑμῶν μὴ ποιεῖν, &c.

QVæritur an *Matthæus* Ἐλεημοσύνην scripserit, an Δικαιοσύνην.

Resp. 1. *Salvatorem* certè צדקה dixisse [aut Syriacè זדקתא] nullus dubito, at non potuisse à vulgo nisi de Eleemosyna intelligi, æquè nihil dubitandum. Nam tametsi vox צדקה secundùm Veteris Testamenti Idioma nihil aliud significat quàm *Justitiam*; nunc tamen, cùm hæc loqueretur *Salvator*, nihil æquè significavit ac *Eleemosynam*.

2. Eâdem voce זדקתא etiam usus est *Christus* in versiculis tribus proximè sequentibus, & *Matthæus* voce usus Ἐλεημοσύνη: at quonam, quæso, jure ille versu primo Δικαιοσύνην diceret, sequentibúsq; Ἐλεημοσύνην: cùm *Christus* utrobiq; voce usus fuerit unâ eâdémque? *Matthæo* non licuit Græcè mutare, ubi *Salvator* Syriacè non mutaverat.

Dicendum ergò Dominum *Jesum* vocem צדקה vel זדקתא adhibuisse, per quatuor hos primos versiculos; at loquentem cum vulgo de Eleemosyna intellectum fuisse à vulgo.

Eleemosynam autem nomine צדקה *Justitiæ* insignîerunt, eò quòd plurimùm ad justificationem conferre Eleemosynam docerent Patres Traditionum, & crederet vulgus. Audi cathedram hac in re *Judaicam*.

Bab. Bava Bathra, fol. 10. 1. & *Midr. Tillin*, in *Psal.* xvii. 15. *Ob Quadrantem unum pauperi datum in Eleemosynam, particeps*

fit homo beatificæ visionis. Ubi verba hæc, אני בצדק אחזה פניך sic reddit, *Ego faciem tuam aspiciam propter Eleemosynam.*

Bab. Rosh hashanah, fol. 4. 1. Dicit quidam, *Nummus hic cedit in Eleemosynam, ea propter, ut vivant filii mei, atque ut ipse acquiram mundum futurum.*

Idem *Beracoth*, fol. 55. 1. *Mensa hominis per Eleemosynam nunc expiat, sicut olim Altare per Sacrificia.*

Hieros. Peah, fol. 15. 2. *Si Eleemosynas præstiteris è crumena tua, custodiet te Deus ab omni damno & nocumento.*

Ibid. *Rex Monobazes, largâ manu pauperibus sua erogans, hæc audiit à cognatis ac amicis, Majores tui & proprias opes auxerunt, & à patribus legatas, tu verò & tuas atteris & Majorum. Quibus ille, Opes suas reposuerunt patres mei in terris: ego meas in cœlo; sicut scriptum est, Florebit veritas è terra, Justitia autem prospiciet è cœlo. Thesauros recondiderunt patres mei, fructum non ferentes: ego verò ferentes fructum; sicut dicitur, Justis bene erit, nam ipsi fructus comedent operum suorum. Thesaurizârunt patres mei, ubi potestas esset manibus: ego verò ubi non est; sicut dicitur, Justitia & judicium est habitatio throni ejus. Congesserunt patres mei pro aliis: ego pro meipso; sicut dicitur, Atque hoc tibi erit in Justitiam. Corraserunt illi in hunc mundum: ego in futurum; sicut dicitur, Justitia liberabit à morte.* Recitantur & hæc in *Bab. Bava Bathra*, fol. 11. 1.

Aperte observas quo sensu *Justitiam* intelligat, Eleemosynæ scilicet: istóque sensu, non tam à propria incude efformato, quàm universæ gentis, quámque à doctoribus suis Pharisæis Catechumenus imbiberat.

Eccam Eleemosynæ ex ipso opere operato [asserente cathedrâ Pharisaicâ] virtutem justificatricem ac salvatricem. Et hinc eousque apud deceptum populum increbuit hujus efficaciæ opinio, ut non alio nomine, [intra vocem unam definito] Eleemosynam indigitarent, quàm צדקה *Justitiæ*. Ad doctrinæ hujus irrisionem fortè referuntur verba ista *Servatoris*, Luc. ii. 41. *Imò ea, quæ penès vos sunt, date in Eleemosynam, &, ecce, omnia erunt munda vobis*: meritò quidem ad præstandas Eleemosynas hortantis, at tamen simul avaritiam Pharisæorum vellicantis, vanámque eorum de munditie ex lotione manuum opinionem ex sua ipsorum de Eleemosynæ efficacia confutantis. Ac sidixisset, Asseritis vos Eleemosynam

moſynam juſtificare ac ſalvare, atque ideo eam nomine *Juſtitiæ* inſignitis, quare ergò puritatem ex lotione manuum, ac non potiùs ex præſtatione Eleemoſynæ, ambitis? Encomia Eleemoſynæ ſublimia nimis vide in *Bab. Bava Bathra*, fol. 8, 9, 10, 11. *Bab. Chagig.* fol. 5. 1. *R. Jannai vidit quendam nummum pauperi dantem palám, cui dixit, Præſtat non dediſſe, quàm ſic dediſſe.*

Εἰ ὁ μὴ γὰ μιδὸν ἔχῃ ἔχῃ.

De mercede ideo loqui videtur potiùs, quòd mercedem ob præſtitas Eleemoſynas abſque dubio expectarent, ídque, ut diximus, ob opus operatum.

Hieroſ. Peah, fol. 21. 1. *R. Lazar fuit Eleemoſynarius Synagogæ: Ingreſſus aliquando domum ſuam dixit, Quid novi? Reſponderunt, Venerunt huc quidam, & comederunt, ac biberunt, & pro te preces fuderunt. Tunc* [inquit ille] *non eſt merces bona. Aliâ vice domum ſuam ingreſſus dixit, Quid novi? Reſponſum eſt, Venerunt alii nonnulli, & comederunt, & biberunt, & tibi ſunt convitiati. Jam ergò, inquit, erit merces bona.*

VERS. 2. Μὴ σαλπίσῃς ἔμπροσθέν σε ὡς οἱ ὑποκριταὶ ποιοῦσιν ἐν ταῖς συναγωγαῖς, καὶ ἐν ταῖς ῥύμαις.

An hæc ſalpizatio ſecundùm literam ſit intelligenda, an ſenſu mutuatitio, juſtus eſt ſcrupulus. Non inveni, quæſiverim licèt multùm ſerióque, vel minimum tubæ veſtigium in præſtandis Eleemoſynis; à doctioribus libentiſſimè hoc diſcerem.

Eleemoſynam Judæorum ordinariam tripartiaris.

I. לתמחוי Eleemoſynam dederunt ſportulæ, vel caniſtro publico: תמחוי (definiente autore *Aruch*, ídque è *Bava Bathra*, loco noviſſimè citato) fuit vas *quoddam, in quo colligebantur panis & eſculenta* לעניי עולם *pro pauperibus mundi. Caniſtrum eleemoſynarium* non immeritò voces, vocat ille קערה *Scutellam.* Per עניי עולם *Pauperes mundi* intelligendi ſunt mendici quivis oſtiatim petentes, etiam vel Ethnici. Indè *Hieroſ.* ubi ſuprá, תמחוי לכל אדם, *Scutella eleemoſynaria fuit pro quolibet homine.* Et, ut porrò *Aruch*, נגבית בכל יום בג" ומתחלקת בג" *Exigebatur hæc Eleemoſyna quotidie per tres viros, & diſtribuebatur*

tur per tres. Exigebatur ab oppidanis per collectores intra fores ſuas, quod patet per cautionem iſtam *Bava Bathra,* fol. 8. 2. גבאי צדקה אין רשאין לפרוש זה מזה אבל פורש זה לשער וזה חנות *Non licet collectoribus eleemoſynæ ab invicem ſe ſeparare, niſi quòd hic ſecedere poſſet ad portam, ille ad tabernam.* Hoc eſt, ut explicat Gloſſa, Non licuit iis diviſim & ſeparatim exigere hanc Eleemoſynam, nè oriretur ſuſpicio in proprium uſum & beneficium ſe quod datum erat clàm contuliſſe; hoc ſolùm licuit, cùm ad portam accederent, potuit unus ad portam ſe conferre, alter ad tabernam ei vicinam, ut ab habitantibus utrobique peterent; hoc tamen proviſo, ut ambo ſimul eſſent intra mutuum conſpectum. Ità ut ad fores ſingulas receptam hanc Eleemoſynam à collectoribus pateat: nec adſit hìc ulla omnino tubæ probabilitas, cùm infimi gradûs eſſet hæc Eleemoſyna, advenis ſcilicet vagabundis, iísque frequentiſſimè Ethnicis eroganda.

II. לקופה: Eleemoſynas contulerunt etiam in *arcam pauperum* publicam, diſtribuendas pauperibus ſolùm iſtius urbis. תמחוי לעניי העולם *Scutella eleemoſynaria eſt pro pauperibus mundi.* קופה לעניי אותה העיר *At ciſta eleemoſynaria pauperibus ſolùm iſtius urbis.* Colligebatur hæc ab oppidanis per duos *Parnaſin,* de quibus anteà, quibus etiam tertius addebatur, ad ejus diſtributionem. Rationem numeri, notatu non indignam, reddunt Gemariſtæ Babylonici his verbis, *Traditio Rabbinorum: Ciſta eleemoſynaria exigitur per duos, & diſtribuitur per tres. Exigitur per duos,* שאין עושים שורות על ציבור פחות משנים *Nam non præficiunt* προεστῶτα *in Synagoga minorem quàm duorum.* ומתחלקת בג׳ כריני ממונות *Et diſtribuitur per tres, ſicut judicia pecuniaria* transiguntur per tres.

Colligebatur hæc Eleemoſyna in Synagoga, Sabbato [confer I *Cor.* xvi. 2. & diſtribuebatur pauperibus, veſpere Sabbati, hinc illud קופה מערב שבת לערב שבת *Ciſta Eleemoſynaria à veſpere Sabbati ad veſperum Sabbati, Scutella Eleemoſynaria unoquoque die.* An ergò caneretur tubâ in Synagoga, cùm præſtarentur Eleemoſynæ, iterum in obſcuro latet, cùm non apertè hoc memorant *Canoniſtæ Judaici,* dum copioſiſſimè agunt de his Eleemoſynis. Habuit quidem unaquæque Synagoga ſuam tubam. Nam

1 tubâ

1. Tubâ canebatur in unaquaque urbe, in qua erat conſeſſus judiciarius, ad introitum novi anni: at hoc non niſi poſt excidium Templi: vide *Roſh Haſhanah*, cap. 4. halac. 1. 2. Canebatur tubâ, cùm quis feriretur excommunicatione. Hinc inter utenſilia Judicis numeratur tuba, *Bab. Sanhedr.* fol. 7. 2. כלי דיינין, nam inſtrumenta Judicum, ut liquet illìc, fuerunt מקל רצועה שופרא סנדלא *virga, flagellum, tuba & ſandalium.* שופרא לשמתא ונידוי *Tuba*, inquit Gloſſa, *ad excommunicationem, atque Anathematizationem: & Sandalium ad diſcalceationem leviri.* Atque ibidem fol. 107. 2. mentio eſt de *Jeſu* excommunicato, productis ad iſtam rem quadringentis tubis. 3. Canebatur tubâ ſexies ad introitum uniuscujuſque Sabbati: ut indè dato ſigno ceſſaretur ab operibus ſervilibus. De hac re agitur *Bab. Schabb.* fol. 35. 2. Sic aderat quidem in omni Synagoga tuba, at num adhibita dum præſtarentur Eleemoſynæ, adhuc quæro. Subit illud in *Hieroſ. Demai*, fol. 23. 2. גבאי צדקה ביט״ לא יהו מבריזין כדרך שמבריזין בחול *Exactores Eleemoſynæ non proclamant die feſto, ſicut proclamant die communi; ſed exigunt clanculùm & reponunt in ſinu.* Sed num hæc proclamatio palàm faceret quid ab unoquoque eſſet datum, an admoneret de non dando, niſi quod ritè dari poſſet; judicent doctiores ex loci inſpectione.

III. Eleemoſynam etiam dederunt ex agro, eámque præcipuè quadruplicem. 1. Angulum agri non demeſſum. 2. Manipulos in agro relictos, vel ex oblivione vel voluntariè. 3. Reliquias vindemiationis, de quibus vide *Levit.* xix. 9, 10. *Deut.* xxiv. 19. Et 4. מעשר עני Decimas pauperum, de quibus fusè à *Talmudicis* in tractatibus *Peah, Demai*, & *Maaſaroth.* Ad has colligendas convocati ſunt pauperes בג״ אובעיות ב״ם בשחר ובחצות ובמנחה *Tribus manifeſtationibus in die, manè ſcilicet, & meridie, & ad Minchah.* Peah, cap. 4. halac. 5. Hoc eſt, Ter in die ſe palàm in agro exhibuit dominus agri, eo fine, ut tunc accederent pauperes collectum: Manè, nutricum gratiâ, eò quòd dormientibus intereà temporis earum infantulis, liberiùs eis liceret in hanc rem exire: Meridie, puerulorum gratiâ, qui etiam tunc temporis parati ſunt ad collectionem. Ad Minchah, lenum gratiâ. Sic Gemariſtæ *Hieroſ.* & Gloſſatores in *Bab.*

Hæ erant ordinariæ populi *Judaici* Eleemoſynæ: in quibus præſtandis cùm de tuba nihil ſoni apud ſcriptores ſuos adhuc compertum habeam, ego aut *Salvatorem* hìc Metaphoricè loquutum autumo, aut, ſi tuba adhibita, adhibitam ad Eleemoſynas peculiares atque extraordinarias.

Summè approbârunt *Judæi* Eleemoſynas ſecretò præſtitas; hinc לשכת השאי *Gazophylacium ſilentum* nobilis memoriæ in Templo, quò *Eleemoſynas ſuas contulerunt religioſiſſimi quidam ſilenter & clanculùm, unde nutriebantur pueri pauperes virorum bonorum.* Aruch in חש. Atque hinc adagium illud גדול העושה צדקה בסתר יותר ממשה רבינו ὁ ποιῶν ἐλεημοσύνην ἐν κρυπτῷ *major eſt ipſo Moſe, magiſtro noſtro. Bab. Bava Bathra*, fol. 9. 2. Et tamen tali pruritu laborabant ad publicandas Eleemoſynas ſuas, nè non conſpicerentur ab hominibus; ut eas non ſine tuba, aut, quæ tubæ inſtar erat, faſtuoſâ earum patefactione, præſtarent; quò magìs digito monſtrarentur ipſi, & de iis diceretur, Hi ſunt.

VERS. 3. Μὴ γνώτω ἡ ἀριστερά σε τί ποιεῖ ἡ δεξιά σου.

Loqui videtur ad morem in rebus quibuſdam aliis uſitatum. In actionibus enim nonnullis, quæ religionem ſpectârunt, non admiſerunt concurſum ſiniſtræ cum dextra. *Poculum vini, ad ſanctificandum ingreſſum Sabbati adhibitum, dextrâ manu ſumendum erat, auxilio ſiniſtræ non admiſſo. Maimon.* in *Shabb.* cap. 29, &c. *Nè quis ſanguinem ſacrificii recipiat in vaſculum, adducat ad Altare, vel ſpargat manu ſiniſtrâ. Bab. Joma*, fol. 49. 1. ibidémq; fol. 77. 2. refertur de *Shammæo*, quòd noluit ſe cibare niſi manu unâ.

VERS. 5. Φιλοῦσιν ἐν ταῖς συναγωγαῖς καὶ ἐν ταῖς γωνίαις τῶν πλατειῶν ἑστῶτες προσεύχεσθαι.

I. *Orabant ſtantes.*] *Luc.* xviii. 11, 13. *Marc.* xi. 25. *Bab. Beracoth*, fol. 26. 2. *Scriptum eſt, Et ſurrexit Abraham multo mane ad locum, ubi ſteterat coram Domino.* ואין עמידה אלא תפלה *At Stare nihil aliud fuit, quàm Orare: ſicut dicitur* ויעמד פנחס ויפלל Et ſtetit Phinehas & judicavit.

Hieroſ. fol. 20. 1. *Ingreditur quis in Synagogam* ומצאן עומדין לתפלה *invenítque illos ſtantes in oratione.*

Maimon.

Maimon. in *Deah*, cap. 5. *Discipulus Sapientum deorsum spectet* כשהוא עומד להתפלל *cùm stat orans.* Et, nè plura, idem *Maimonides* in *Tephillah*, cap. 5. in oratione hæc requiri asserit, nempe ut *stet* orans, ut faciem *Hierosolymas* versùs convertat, ut caput operiat, atque ut oculos figat deorsum.

II. *Amabant orare in Synagogis.*] *Tanchum*, fol. 35. 1. *Pergit ad Synagogam ad orandum.*

Hieros. Beracoth, fol. 2. 1. *Quare recitant Phylacteria in Synagoga, cùm ad hoc non teneantur? Dicit R. Iosi, Non ea recitant in Synagoga, eo fine, ut sic præstetur totum officium de Phylacteriis, sed ut perstetur in oratione. Nam repetenda erat hæc recitatio, cùm deventum esset domum. Piske* in *Berac.* cap. 1. artic. 6.

Rabbenu Asher in *Beracoth*, fol. 69 3. *Cùm quis vespere ab agro se domum confert, nè dicat, Ibo in domum meam, sed primò se conferat ad Synagogam: &, si habilis sit ad lectionem, legat quid; si ad recitandas traditiones, recitet; & deinde recitet Phylacteria, & precetur.*

At, nè nimii simus, vel ex hac ipsa opinione, ad Synagogas oraturi se conferre sunt soliti, quòd persuasum iis esset, preces Synagogæ certè esse auditas.

III. *Orabant in plateis.*] *Maimon.* in *Tephillah*, cap. 11. *Orabant in plateis in festis & publicis jejuniis.*

Taanith, cap. 2. halac. 1, & 2. *Quisnam ritus jejuniorum? Arcam produxerunt in plateas urbis, cinerémque sparserunt in Arcam, & in caput præfecti Synhedrii & vice-præfecti, atque imposuit unusquisque cineres in caput suum. Aliquis è senioribus sic hortatur, Non dicitur, ô fratres, de Ninivitis, quòd videret Deus saccum eorum, aut jejunia eorum, sed quòd videret opera eorum*, &c. *Stant orantes, ac seniorem aliquem idoneum statuunt coram Arca, atque orat ille coram iis viginti & quatuor orationes.* Vide etiam *Maimonidem* in *Taanith*, cap. 3.

At num omnes in Synagoga orationes damnat *Salvator*? Absit. Nam & ipse in & cum Synagoga oravit: nec publicas illas in plateis preces, à toto cætu in summis istis solennitatibus fusas, nudè reprehendit, sed preces utrobique & in Synagogis, & in plateis, privatè fusas, at tamen publicè etiam, & in conspectu omnium, ut indè nomen & famam aliquam aucuparetur orans à videntibus.

I. Dum preces publicæ in Synagoga funderentur, uſitatum etiam fuit vanam gloriam venantibus preces privatas & à Synagoga diſcretas muſſitare, quò intentiùs in precantem oculi omnium converterentur.

Hieroſ. in *Beracoth*, fol. 8. 3. *Non cavit quis orationes matutinas? Ingreſſus Synagogam reperit illos orantes orationem addititiam? Si pro certo habeat ſe incepturum ac deſiturum, ità ut poſt Angelum Eccleſiæ reſpondeat Amen, Oret.*

II. Orabant etiam ſingulatim in plateis. *Hieroſ.* ubi anté, *Dixit R. Jochanan, Vidi ego R. Jannai ſtantem atque orantem in plateis Tſipporis, & progredientem ad quatuor cubitos, atque orantem orationem additiam.*

Duæ res præcipuè hypocriſin eorum hìc arguunt. 1. Quòd de recitandis Phylacteriis precibúsque adjunctis adeò cautum eſt [intra juſtum tempus id fieri] ut ubicunque quis eſſet poſitus, cùm adveniret præfinitum tempus, ad orationes ſe recipiat protinus; *architectus vel in culmine arboris, inſidens aſino illico deſcendat, & recitet*, &c. Hæc ipſiſſima ſunt Canoniſtarum exempla, quæ cum pluribus vide in *Beracoth*, capp. 1, 2, 3, 4. Anſam ergò hinc nacti ſunt flatuoſi iſti hypocritæ ſe oſtentandi: adveniente enim orationum Phylactericarum horâ, curæ atque induſtriæ iis fuit, ut in plateis deprehenderentur: quò magìs, tempore Canonico eos ad preces illìc cogente, ab omnibus conſpicerentur, & zelum ac religionem eorum miraretur vulgus applauderétque. Cui hypocritico faſtui & hunc etiam non raro adjiciebant, ut longiſſimâ pauſatione uterentur, & ante inceptas orationes, & poſt finitas, ità ut per tres horas continuas uſitatiſſimè conſpicerentur in habitu poſiti & ſtatu precatorio. Vide *Bab. Beracoth*, fol. 30. 2. & 32. 2. Ità ut non ſine ratione inſaniverint Canoniſtæ, cùm ab ortu auroræ ad horam diei uſque tertiam ſpatium indulſerint precibus Phylactericis, quoniam vix intra minus ſpatium eas abſolverint trihorarii iſti precatores, per horam totam pauſantes ante preces inceptas, tantum temporis poſt finitas. 2. Ad ejaculationes, preces, & benedictiones ſeſe addixerunt, ex occurſu cujuslibet ferè rei, vel in plateis, vel in via obviàm euntis. *Cùm videret quis locum, in quo editum eſt aliquod miraculum pro Iſraele; locum, à quo eradicata eſt Idololatria; aut locum, in quo jam aderat idolum: oratiunculâ eſt utendum. Cùm videret quis Æthiopem, nanum, curvum, mancum*, &c. *Benedi-*

nedicendum. Arborem videns pulchram, aut faciem formoſam benedicat, Benedictus ſit ille, qui creavit creaturæ formoſitatem, &c. *Beracoth*, cap. 9.

VERS. 7. Μὴ βατ]ολογήσητε ὥσπερ οἱ ἐθνικοί.

Vide Battologiam *Ethnicorum* ſupplicantium civilem, apud *Lampridium* in *Commodo. Parricida trahatur. Rogamus, Auguſte, parricida trahatur. Hoc rogamus, parricida trahatur. Exaudi Cæſar, Delatores ad leonem. Exaudi Cæſar, Delatores ad leonem. Exaudi Cæſar,* &c, Vide & eundem in *Severo.*

Gallican. in *Avidio Caſſio. Antonine pie, Dii te ſervent. Antonine clemens, Dii te ſervent. Antonine clemens, Dii te ſervent.*

Vide & *Capitolinum* in *Maximinis.*

Battologiam in orationibus ſapiunt illa, I *Reg.* xviii. 26. *Baalitæ nomen Baal invocârunt, à mane ad meridiem, dicentes, Audi nos, ô Baal.*

Eodem ferè modò, quo *Ethnici* Βατ]ολογίας miſcuerunt in precibus ſuis, *Judæi* in ſuis Συνωνυμίας: non eadem quidem repetentes, ut illi, iiſdem verbis, at idē proferentes variatis Phraſibus, quod ſatis patet Liturgias eorum, tam vetuſtiores, quàm recentiores; perlegenti. Et certè æquè peccari potuit in Synonymia, ac in Battologia, ſi modò in utraque eadem adeſſet vafrities ac hypocriſis; in multiplicatis tantùm verbis, at abſente corde. Atque in hac re quidem peccavit *Judæus* parùm minùs, quàm *Ethnicus*; nam hoc apud eos axioma כל המרבה בתפלה נענה *Omnis multiplicans orationem auditur. Hieroſ. Taanith*, fol. 67. 3. Non tam damnat ergò *Chriſtus* nudam earundem petitionum reiterationem, ſive in iiſdem terminis, ſive in Synonymis, [nam & ipſe ter eadem protulit, cùm oraret in horto] quàm vafram opinionem, quaſi aliquid virtutis, aut zeli, aut pietatis eſſet in iſtiuſmodi battologiis; citiúsque audiri, & apud Deum valere tales repetitiones. *Ethnicos* feriens ferit & *Judæos*, qui & eâdem veſaniâ laborabant; aſt *Ethnicorum* ſolùm mentio, partim quòd *Ethnicam* cœcitatem hoc ſaperet potiùs, quàm veræ religionis profeſſionem, quam jactârunt *Judæi*; partim præſertímque, nè preces publicas *Judæorum* ſine cauſa damnaret, in quibus non ex Synonymia peccatum eſt omnino, ſi ex pio & ſincero corde adhiberetur iſta Synonymia.

VERS. 9. Οὕτως οὖν προσεύχεσθε ὑμεῖς, ΠΑΤΕΡ ἡμῶν, &c.

Quædam, quæ difficiliora circa divinam hanc orationis formulam videntur, in molliorem forsan cognitionem liquescent, si observentur nonnulla, apud Ecclesiam gentémque *Judaicam* usitatissima, ad quæ non respicere non potuerunt Apostoli, cùm summam hìc cum iis conformitatem perspicuè recognoscerent. Nam quòd consuetum *Salvatori*, cum Ecclesia gentéque in religiosis, civilibúsque, modò licitis, ut plurimùm conformem se præbere, id in hac orationis formula compingenda clarissimè etiam elucet.

Hæc ergò observentur.

I. Statas *Judæorum* orationes quotidiéque recitandas jam tum, cùm *Christus* hanc suis præscriberet, fuisse numero octodecim, aut massâ certè æquipollente. De numero hoc precum suarum copiosè agunt Gemaristæ utrique, *Hieros. Taanith*, fol. 65. 3. *Bab. Beracoth*, fol. 28. 2. quos vide.

An ad præcisum numerum octodenarium, ordine quo postea redactæ fuerint, dum ageret *Christus* in terris, scrupuli nonnihil oritur è quibusdam, quæ dicuntur à *Babylonicis* loco allegato; at certè tanti numeri cumulo & massæ quàm parùm aut certè nihil prorsus defuisse, planè argui posset pluribus, si esset opus. תנו רבנן שמעון הפקולי הסדיר י"ח ברכות לפני רג' וגו' *Tradunt Rabbini*, inquiunt, *Simeonem Pekolæum in ordinem redegisse octodecim orationes seriatim, coram Rabban Gamaliele, in Iafne. Dixit Rabban Gamaliel Sapientibus, Num quis est, qui novit orationem instituere in Sadducæos: prostitit Samuel parvus atq; instituit*, &c. Rabban iste *Gamaliel*, de quo hìc agitur, fuit *Pauli* magister: nam tametsi *Rabban Gamaliel* [qui *Iafnensis* vulgò vocatus est] fuerit nepos *Gamalielis* præceptoris *Pauli*, atque hæc res memoretur acta in *Iafne*, *Pauli* tamen magister in *Iafne* etiam egit, atque hunc eum esse, de quo est historia quæ sub manibus, satis ex hoc patet, quòd res ei sit cum *Samuele parvo*, qui certè obiit ante excidium urbis.

Sub *Gamaliele* ergò seniore primùm in istum ordinem redactæ sunt preces quotidianæ, quo receptæ sunt à seculis sequentibus. Quod, utcunque post mortem *Salvatoris* factum, quoad reductionem in ordinem, totidem tamen numero in usu erant quotidiano tunc temporis, cùm ille versaretur in terris. Non damnavit autem

ille

ille preces istas omnino, nec nihili fecit; imò è contra, se publicæ Liturgiæ in Synagogis atque in Templo associavit: cúmque hanc formulam suis tradit, alias formulas non extinguit.

II. Cùm omnibus in promptu non esset numerosas istas preces memoriter recitare, in summulam compendiosam reductæ sunt, in qua omnium istarum medulla compacta esset, & memoriæ ità consultum, ut brevis istarum precum Epitome iis adesset, quibus prolixiorem orationem recitare eíque vacare vel memoriæ tenuitas negavit, vel negotiorum quandoque non evitanda necessitas. Hanc summulam vocârunt מעין. *Dicit Rabban Gamaliel, Unoquoque die oret unusquisque octodecim orationes. R. Josua dicit* יתפלל מעין יח׳ *Oret summulam istarum octodecim. At R. Akiba dicit* אם תפלתו שגורה בפיו מתפלל יח׳ ואם לוא מעין יח׳ *Si expedita sit oratio in ore ejus, oret octodecim; sin minùs, oret summulam istarum octodecim. Bab. Beracoth*, ubi suprà. Ut *Salvator* orationum omnium summam in hac formula compegerit, *Christianis* omnibus est notum: atque in confesso ea est hujusce formulæ perfectio, ut omnium petendorum sit Epitome, prout agendorum omnium Epitome est Decalogus.

III. Doctoribus *Judæorum* usitatissimum fuit. 1. Orationcularum formulas sibi ipsis struere, discipulísque suis tradere [quod de *Joanne* etiam asseritur, *Luc.* xi. 1.] quarum exempla aliqua comperies, eâque non pauca, in *Gemara Babylonica*, in tractatu *Beracoth*, alibíque. Non, quòd per istas formulas orationes gentis, statas & consuetas, abdicarent, aut profligarent; sed quòd suas illis superadderent, ac rebus propriis ac peculiaribus adaptarent. 2. Precibus statis, aliísve à seipsis formatis, precatiuncula aliquam superaddere usitatissimum fuit, quam meritò voces *conclusivam*. Exempla harum hæc habe, ex *Bab. Berac.* fol. 16. 2. ר׳ א׳ בהר דמסיים צלותיה אמר הכי *R. Eliezar, cùm orationes suas finiisset, sic dicere est solitus, Sit beneplacitum tuum, Domine, ut habitet in sorte nostra amor & fraternitas*, &c. *R. Jochanan, cùm finiisset orationes suas, sic dicere est solitus, Sit beneplacitum tuum Domine, ut observes contumeliam nostram, & respicias miserias nostras*, &c. Plura illìc occurrunt. Pari modo, 1. *Salvator*, dum formulam hanc suis tradit, non preces Ecclesiæ statas enervat; nec, nè privatis utantur, suis interdicit: sed hanc tradit, omnium orationum summulam

mulam exactiſſimam, orationibus noſtris ſuperaddendam, perfectiſſimam imperfectiſſimis. 2. Apoſtoli, moribus gentis ſatis ſueti, non aliter potuerunt de hac formula judicare. In interpretandis phraſibus, & hiſtoriis quamplurimis Novi Teſtamenti, non tam valet, quid nos de iis ſentiamus, ex notionibus noſtris neſcio quo fundamento fictis, quàm quo ſenſu hæc intelligerentur ab auditoribus & ſpectatoribus, ſecundùm morem gentis uſitatum, & vulgarem Dialectum. Quærunt quidam quâ autoritate nos orationem Dominicam noſtris ſubjungimus, aut ſuperaddimus: fingúntque ſuper incudem propriam argumenta in contrarium. At quæro ego, Num poſſibile fuit, ut Apoſtoli & Diſcipuli, qui vel ab incunabulis nôrant & viderant formulas iſtiusmodi inſtitutas in communem uſum, ac precibus ſtatis aliísve ſuperadditas, aliter de hac formula à Domino traditâ judicarent; quæ tantam cum iis, cúmque ritu & conſuetudine gentis receptiſſimâ, tulit conformitatem?

IV. Pro juſto Canone, eóque quidem non illaudabili, habuit iſta Eccleſia לעולם לישתף איניש נפשיה בהרי ציבורא *Orantem oportere ſemper, cùm orat, ſe cum Eccleſia conſociare. Bab. Berac.* fol. 30. 1. Quod non ſtrictè intelligendum eſt ſolùm de præſentia ſua in Synagoga [illud alibi, aliásque multoties præcipitur] Sed ut ubicunque terrarum poſitus, etiam cùm ſummè ſolus, preces ſuas effundat numero plurali: ſic enim explicat Gloſſa, אל יתפלל תק' בלשון יחיד אלא בלשון רבים *Nè oret quis orationem brevem* [id eſt, aliam à precibus ſtatis] *numero ſingulari, ſed plurali.* Quo numero & nos orare in hac formula docuit *Salvator*, ídque meritiſſimè, cùm nos, in quacunque ſolitudine aut diſtantia poſitos, nosmetipſos tamen conjunctos cum Eccleſia recognoſcere oporteat, ejúsque felicitatem pariter ac noſtram apprecari.

ΠΑΤΕΡ ἡμῶν, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

I. Notiſſimum hoc apud *Judæos* Dei Epitheton, atque uſitatiſſimum.

Maimon. in *Tephilloth.* אבינו שבשמים *Pater noſter, qui es in cœlis, ſic nobiſcum agas, ſicut promiſiſti per Prophetas.*

Sotah, cap. 9. hal. 15. Ter hoc recitatur, *Quemnam habemus, cui innitamur?* על אבינו שבשמים *Super Patrem noſtrum, qui eſt in cœlis.*

Ioma,

Ioma, cap. 8. hal. 9. *Benedicti vos, ô Iſraelitæ, quis vos purificat? Pater veſter, qui eſt in cœlis.*

Hieroſ. Maaſeroth, fol. 50. 3. *Patri veſtro, qui eſt in cœlis, non dediſtis, ſed mihi Sacerdoti.*

II. At quonam tandem ſenſu *Patrem ſuum in cœlis* Deum vocârunt *Iudæi*, cùm doctrinam & myſterium adoptionis penitùs ignorârunt, præter eam quòd Deus eos adoptâſſet ſibi in populum peculiarem? *Reſp.* Ob ipſiſſimam iſtam cauſam, à Deo ipſo docti ſunt, eum ità vocare, *Exod.* iiii. 22. *Deut.* xxxii. 6, &c. Nec erat inter eos, cui non modò hoc non licuit, ſed etiam cui non incubuit. Dum Ethnicus Idolo ſuo diceret, *Tu es Pater meus*, [*Ierem.* ii. 27.] Iſraelita dicere tenetur, *Pater noſter, qui es in cœlis* [*Eſai.* lxiii. 16. & lxiiii. 8].

III. Notiſſimam genti Phraſiologiam adhibens *Chriſtus* nonne ſenſu genti noto etiam adhibet? Reſpondeant illi, qui *Orationem Dominicam* à nullis fundendam ac pronuntiandam volunt, niſi à reverâ fidelibus, & qui veram adoptionem ſunt ſortiti. Quonam tandem ſenſu intellectus eſt *Salvator* hæc loquens ab auditoribus? Edocti fuerant illi ab incunabulis, Deum vocare *Patrem in cœlis*: *Chriſtum* nec Phraſiologiam immutantem audiunt, nec quicquam à latitudine ſenſûs noti ac uſitati decurtantem. Dicant itaque mihi, Nonne *Petrus*, *Ioannes*, reliquíque Apoſtoli univerſis *Chriſtianis* æquè licere exiſtimabant Deo dicere, *Pater noſter, qui es in cœlis*, ac licuit univerſis *Iudeis*? Illi Deum *Patrem* vocârunt, quòd eos in profeſſionem ſui vocâſſet, quòd eos curaret ac inſtrueret, &c. Et quidnam, quæſo, impedit, quò minùs univerſi *Chriſtiani*, eadem privilegia adepti, eâdem compellatione Deum honorent? Non eſt in verbis *Chriſti*, quod prohibeat; & eſt in ipſa Phraſiologia, quod permittat.

Ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σε.

VERS. 10. Ἐλθέτω ἡ βασιλεία σε.

In ſcholis *Iudaicis* hoc obtinuit pro Axiomate: כל ברכה שאין בה מלכות אינה ברכה *Iſta oratio, in qua non eſt memoria regni Dei, non eſt oratio. Bab. Berac.* fol. 40. 2. ubi hæc etiam adduntur. *Dicit Abai, Huic par cenſendum eſt illud* τῶ *Rabh: quod traditur* לא עברתי ממצותיך ולא שכחתי *Non tranſ-*

greſſus ſum præcepta tua, nec ſum oblitus. [Verba ſunt primitias offerentis, *Deut.* xxvi. 13.] *Non tranſgreſſus ſum, id eſt, non agendo gratias: Et non oblitus ſum, id eſt, non oblitus ſum memorare nomen tuum. At à R. Jochanane ſic traditur, Et non oblitus ſum memorare nomen tuum, & regnum tuum.*

Γενηθήτω τὸ θέλημά σου, ὡς ἐν οὐρανῷ, &c.

Quanam eſt oratio brevis? R. Eliezer dicit, עשה רצונך בשמים *Voluntatem tuam fac in cœlis, & dato quietem ſpiritûs timentibus te infrà,* vel *in terris. Bab. Berac.* fol. 29. 2.

VERS. 11. Τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον, &c.

Id eſt, *Panem craſtinum* provide, & da nobis hodie, nè ſoliciti ſimus de craſtino, ut verſu triceſimo quarto. Ἐπιούσιος ab ἐπιών, ἔπειμι, &c. non ἐπούσιος ab οὐσία.

Bab. Berac. ubi ſuprà. *Neceſſitates populi tui Iſraelis ſunt multæ, & cognitio eorum tenuis* [*ità ut non nôrint neceſſitates ſuas patefacere*] *ſit beneplacitum tuum, ut des unicuique* כרי פרנסתו *quod ſufficit in alimentum,* &c.

VERS. 13. Ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ.

Rabbi [Judah] *precari ſic fuit ſolitus, Sit beneplacitum tuum, ut liberes nos ab impudentibus & impudentia, ab homine malo, & ab occurſu malo, ab affectu malo, à ſocio malo, à vicino malo, à Satana deſtructore, à judicio duro, & ab adverſario duro,* &c. *Berac.* fol. 16. 2.

Ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία, &c.

I. In Liturgia Publica in Templo, commemoratio regni Dei fuit pro *Antiphono*, quo vice *Amen* reſpondebatur à populo, orationibus finitis Sacerdotum. Nam תני לא היו עונין אמן בבית המקדש *Traditio eſt, non reſponſum fuiſſe Amen in domo Sanctuarii. Quid ergò dixerunt?* ברוך שם כבוד מלכותו לעולם ועד *Benedictum ſit nomen gloriæ regni ejus, in ſempiternum. Hieroſ. Berac.* fol. 13. 3. Hinc in tractatu *Joma* [ubi habetur Rubrica diei Expiationis] poſt recitatas varias oratiunculas, quas eo die fudit ſummus Pontifex; additur, *Et reſpondit populus, Benedictum ſit nomen gloriæ regni ejus in ſempiternum.* Vide *Bab. Joma*, fol. 39. 1.

39. 1. & 41. 2. præſertim verò fol. 66. 1. ubi memoratâ precatiunculâ ſummi Sacerdotis, in qua ab eo ſic eſt concluſum, *Coram Jehovah mundemini*, hæc adduntur, *Sacerdotes autem, populúsq; in atrio ſtantes, cùm audirent* שם המפורש *nomen Jehovah ſyllabis ſuis prolatum, adorantes, pronéque in faciem proſtrati dixerunt,* בשב"מלו *Benedictum ſit nomen gloriæ regni ejus in ſecula ſeculorum.* Vide *Bab. Taanith*, fol. 16. 2. ubi hujus doxologiæ redditur ratio in Gloſſa.

II. Hanc etiam tacitè & leni ſuſurro protulerunt inter recitanda Phylacteria. Dicitur in *Bab. Peſachin*, fol. 56. 1. de hominibus *Jerichuntis*, quòd כורכין את שמע *complicarent* שמע. Diſputatur quid ſibi hoc velit, *Et R. Iuda dicit, quòd pauſam aliquantulam haberent, poſt recitatam hanc pericopen, Audi Iſrael, Dominus Deus noſter, Jehovah unus: at non dixerunt, Benedictum ſit nomen gloriæ regni ejus in ſecula ſeculorum. At quâ ratione nos ità dicimus? Myſterium explicat R. Simeon ben Levi, qui dicit, Vocavit pater noſter Jacobus filios ſuos, & dixit, Congregamini, & declarabo vobis. In animo ejus fuit, revelare iis finem dierum, & receſſit ab eo Spiritus ſanctus; dixit ergò, Fortè in lecto meo eſt profanum quid* [*quod* μὴ γένοιτο:] *ſicut Abrahamo, è quo prodîit Iſmael, & Iſaaco, è quo prodîit Eſavus. Dixerunt ei filii ejus, Audi Iſrael, Jehovah Deus noſter eſt Jehovah unus: ſicut in corde tuo, non eſt niſi unus; ità in cordibus noſtris, non eſt niſi unus. Eo tempore incepit Iacobus pater noſter, & dixit,* בשב"מלו *Benedictum ſit nomen gloriæ regni ejus in ſecula ſeculorum. Dixerunt Rabbini, Quid faciemus? Nos hanc doxologiam dicemus? Eam non dixit Moſes magiſter noſter. Eam non dicemus? Eam dixit Iacobus pater noſter. Inſtitutum eſt igitur, ut eam dicerent tacitè*, &c.

Vides ut maximè publicus fuerit doxologiæ hujus uſus, & maximè privatus. Antiphonon omnium clarâ voce in Templo pronuntiabatur; ejaculatio ſingulorum, in orationibus Phylactericis, voce ſubmiſiſſimâ: vidésq; quantam conſonantiam habeat cum Coronide *orationis Dominicæ, Quia tuum eſt regnum*, &c.

III. Prout *Amen* non omnino publicis precibus in Templo reſponderunt, ità rarò etiam ſubjunxerunt precibus privatis. In Synagoga quidem à populo reſponſum eſt *Amen* ad preces fuſas à Mi-

niſtro: itémque domi, patrifamiliâs benedicenti aut oranti: at rariùs aut nunquam quidem privatim quis orans hoc ſuis precibus ſubjunxit.

Et jam, ut hæc quæ dicta ſunt ad rem quæ ſub manibus applicentur, adverte ſequentia.

1. Bis à *Servatore* traditam fuiſſe hanc orationem: primò in ſermone hoc in monte, cùm non eſſet rogatus: & poſteà, cùm rogatus, ferè poſt ſeſquiannum, *Luc.* xi.

2. In *Matthæo* adjectam eſſe Coronidem, *Quia tuum eſt regnum*, &c. apud *Lucam* non itâ. Apud *Matthæum*, adjectam eſſe inſuper vocem *Amen:* apud *Lucam* autem deeſſe.

Inferimus ergò ſuper totam materiam.

1. *Chriſtum*, in exhibenda hac orationis formula, ritum & morem fuiſſe ſequutum gentis uſitatiſſimum.

2. Diſcipulos etiam, formulam hanc traditam excipientes, non potuiſſe eam non ſecundùm morem & ſenſum gentis, in iſtiusmodi caſibus uſitatum, recipere: cùm nullam omnino, à generali iſta regula, & conſuetudine, exceptionem ille introduxerit.

3. Vix potuiſſe illum clarioribus ſignis ac indiciis univerſalem ac conſtantem hujus orationis uſum indigitare, quàm quibus eſt uſus. Nam,

1. Abſque aliqua exceptione, aut diſtinctione omnibus præcipit, *Ad hunc modum orate*; &, *Cùm oratis, dicite Pater noſter*, &c.

2. Prout, ſecundùm gentis uſitatiſſimum morem, orationum formulæ à magiſtris diſcipulis ſuis traditæ ab omnibus iis erant indifferenter, atque abſque diſtinctione perſonarum, uſitatæ, atque uſitandæ; ità & ille de hac ſua nec quicquam ſuggerit, vel præter morem vulgarem, vel contra.

3. Characteres ſecum portat ipſa formula & publici uſûs & privati, & conſtantis. Quæri certè meritò poſſet, quare, cùm *Chriſtus* hanc orationem tam diſertis verbis tradiderat in ſermone in monte, hoc inſuper addito præcepto, *Ad hunc modum orate*, oretur iterum, ut doceat eos orare. Quid? numnam illi iſtius orationis illic exhibitæ obliti? Numnam eam pro formula orationis exhibitam, ac uſitandam, ignorârunt? At hoc potiùs videtur in cauſa fuiſſe, cur ſecundò formulam orationis flagitarent, nempe quòd primam iſtam pro *publica* orationis formula reputarent, cùm &

ex

ex adjectione Coronidis Antiphono publico in Templo adeò ſimilis præſertim verò ex adjectione *Amen* non niſi in cœtibus uſitati, hoc facile argueretur: oratur ergò iterum, ut privatim eos orare doceat, & ille eandem repetit formulam, omiſſis verò Coronide & *Amen*, quæ publicum uſum ſapuerunt. Habes ergò in Coronide ſignum publici uſûs, ex conſonantia ejus ad Antiphonum in Templo, & privati, ex conſonantia ejus ad ejaculationem in precibus Phylactericis. Signum publici usûs, in adjectione *Amen*; Signum privati in ejus abſentia; Signum utriuſque in conformitate totius ad conſuetudinem gentis. Docuit *Chriſtus* ſuos orare, ſicut *Joannes* docuerat ſuos, *Luc.* xi. 1. Docuit *Joannes* ſuos, ſicut magiſtri inter *Judæos* ſuos; formulam exhibendo ab omnibus ſuis, aſſiduè, verbatim, & in terminis adhibendam.

VERS. 16. Ἀφανίζουσι τὰ πρόσωπα αὐτῶν.

Liverunt ſcilicet facies ſuas cineribus, ſicut ille olim alia de cauſa I *Reg.* xx. 38. *Taanith.* cap.2. *In publicis jejuniis accipit unuſquiſque cineres, ac imponit capiti ſuo.*

Juchaſin, fol. 59. *De R. Joſhua ben Ananiæ dicunt, Quòd omnibus diebus vitæ ſuæ* הושחרו פניו מפני תעניות *Nigra fuit facies ejus præ jejuniis. Bab. Sotah*, fol.12.1. *Quare vocatur nomen ejus Aſhur?* [I *Paral.* iiii.5.] שהושחרו פניו *Quia nigra fuit facies ejus præ jejuniis.*

Interſeratur hìc illud *Senecæ*, epiſt. 5. *Hoc contra naturam eſt, faciles odiſſe munditias, & ſquallorem appetere.*

VERS. 17. Σὺ δὲ νηστεύων ἄλειψαι σου τὴν κεφαλήν, &c.

Nam jejunantes nec ſe unxerunt, nec laverunt.

Joma, cap. 8. halac. 1. *Die Expiationis prohibitum eſt edere, bibere, lavare, ungere ſe, induere ſandalia, & coire cum uxore. At Rex & ſponſa lavent facies ſuas, atque obſtetrix induat ſandalia.* Vide hìc *Gemaram Babylonicam*, fol. 77. 2. Vide etiam de jejuniis aliis ac privatorum hominum, *Bab. Taanith*, fol. 12. 2. & 13. 2.

Corpora & Capita ungere ſoliti ſunt, triplici ratione,

1. לתענוג *In decorem delicatiorem Hieroſ.* in *Maaſar Shem.* fol. 53. 2. & *Sabb.* fol. 12. 1. *Unctio Sabbato permittitur, ſive*

ſit in decorem, ſive non in decorem. Die Expiationis, utraque prohibetur. Nono menſis Ab, ac in jejuniis publicis, unctio in decorem prohibetur, non in decorem permittitur.

2. סיכה שלא לתענוג Unxerunt ſe non rarò, non in luxum, decorem, aut delicias, ſed in morbi alicujus medelam, aut corporis ſanitatem.

חושש ארס ראשו או שעלו בו חטטין סך שמן *Qui capite dolet, aut cui oritur ſcabies, ungat ſe oleo. Hieroſ.* ubi anté.

Bab. Ioma, fol. 77. 2. *Traditio Rabbinorum, Prohibitum eſt* [in jejuniis] *lavare partem corporis, æquè ac totum corpus: ſi verò ſit luto aut ſtercore fœdatus, lavet pro more, & nè ſit ſolicitus. Prohibitum etiam eſt ungere partem corporis, æquè ac totum corpus: at verò ſi ægrotet, aut ſi capite exoriatur ſcabies, ungat pro more*, &c.

Hinc, cùm dicuntur Apoſtoli *oleo unxiſſe ægrotos ac ſanâſſe, Mar.* vi. 13. ordinariâ medicinâ uſi, extraordinario ac non errante effectu ſunt potiti.

Hinc illud *Iacobi*, cap. 5. 14. *Ægrotus advocet Preſbyteros Eccleſiæ, & precentur pro eo, ungentes eum oleo, in nomine Domini*, id eſt, Ordinariæ iſti medicinæ, unctioni ſcilicet in ſanitatem, adjungantur preces Miniſtrorum Eccleſiæ.

3. Uſi ſunt unctione capitis aliquando ſuperſtitiosâ, ac nihil à magica diſtante. זה שהוא לוחש נותן שמן על גבי ראשו ולוחש *Ille qui muſſitat, det oleum ſuper caput, & muſſitet. Hieroſ.* in *Maaſar Sheni*, ubi ſuprà, & in *Schabb.* fol. 14. 3. Muſſitatio hæc intelligenda eſt, de modo incantationis ſupra vulnus, aut locum aliquem corporis dolore affectum, לוחש על המכה de qua mentio etiam *Sanhedr.* cap. 10. halac. 1. Memoratur etiam loco in *Schabb.* allegato col. 4. quòd muſſitatione hâc incantativâ uſi fuerint quidam, in nomine *Ieſu. Ægrotante quodam, acceſſit quidam, atque ei immuſſitavit in nomine Ieſu Pandiræ, & ſanatus eſt.* Et paulò póſt, *R. Eliezer ben Damah morſus eſt à ſerpente. Acceſſit Iacobus Capharſamæus, ſanaturus eum, in nomine Ieſu: at R. Iſmael eum non permiſit*, &c. Vide *Actor.* xix. 13.

Si verba *Iacobi* priùs allegata cum execrabili hoc more conferantur, in hunc ſenſum bene ſonare poſſunt, Uſitatum eſt *Iudæis* incredulis,

credulis, unctionem ægrotorum adhibere cum magica atque incantativa muſſitatione conjunctam. At quàm infinitis gradibus præſtat unctioni ægrotorum adjungere preces pias Presbyterorum Eccleſiæ!

VERS. 22. Ἐὰν ὁ ὀφθαλμός σε ἁπλῆς ᾖ.

VERS. 23. Ἐὰν ὁ ὀφθαλμός σε πονηρὸς ᾖ.

Peculiariter hìc agi de animo avaro, aut non avaro, colligi poteſt, 1. Ex contextu utrinque: nam verſibus 20 & 21, agitur de theſauris, aut terrenis, aut cœleſtibus; & verſu 24. de ſerviendo, aut Deo, aut Mammonæ.

2. Ex uſitatiſſima gentis Phraſiologia. Nam *oculus bonus Judæis* idem eſt ac *animus benignus*; atque *oculus malus* idem ac *animus avarus*. *Trumoth*, cap. 4. halac. 3. *Hæc eſt menſura Trumæ* [vel *oblationis Sacerdotibus conceſſæ.*] עין יפה א' מארבעים *Oculus bonus concedit unam ex quadraginta*: id eſt, partem quadrageſimam. *Schola Shammæana dicit, unam ex triginta. Oculus medius unam ex quinquaginta.* והרעה א' משׁשים *Et oculus malus unam ex ſexaginta. Hieroſ. Bava Bathra*, fol. 14. 4. נותן מתנה נותן בעין יפה *Qui dat donum, det oculo bono, & qui quicquam dedicat, dedicet oculo bono.* Vide *Matth.* xx. 15. Hinc avaritia vocatur ἐπιθυμία τοῦ ὀφθαλμοῦ, 1 *Joann.* ii. 16. Oſtendit ergò hìc *Salvator*, quantis tenebris animum obnubilet atque obfuſcet avaritia, ac ſollicitudo nimia de mundanis.

VERS. 26. Πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ ὅτι οὐ σπείρουσιν, &c.

Kidduſhin, cap. ult. halac. ult. *Vidiſtine unquam bruta aut volatilia, quibus eſſet aliqua opificina? & tamen illi nutriuntur abſque anxietate*, &c. Vide etiam *Midr. Tillin*, fol. 15. 1.

VERS. 30. Ὀλιγόπιστοι.

קטני אמונה: *Talmudicis* frequentiſſimè. *Bab. Berac.* fol. 24. 2. המשמיע קולו בתפלתו הרי זה מקטני אמונה *Qui voce ſonorâ precatur, numerandus eſt inter* ὀλιγοπίστους. Idem *Erachin*, fol. 15. 1. *Iſraelitæ in eremo fuerunt* מקטני אמונה ὀλιγόπιστοι. *R. Abuhabh* in præfatione ad *Menorath hammaor*. *R. Eliezer dicit, Quicunque vel offulam habet in caniſtro ſuo, & dicit, Quid*

eſt

eſt quod cras comedam, ecce, ille eſt reputandus inter קטני אמונה ὀλιγοπίστους.

VERS. 34. Ἀρκετὸν τῇ ἡμέρᾳ ἡ κακία αὐτῆς.
רבה לצרה בשעתה *Bab. Berac.* fol. 9. 2.

CAP. VII.

VERS. 2. Ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, &c.

Vulgatiſſimum hoc apud *Judæos* Adagium. במרה שארם מורד בה מודדין לו : *Bab. Sanhedr.* fol. 100. 1. prope finem. Vide *Tanchum*, fol. 56. 4. Vide etiam *Sotah*, cap. 1. halac. 7, 8, 9. ubi variis exemplis illuſtratur.

VERS. 4. Ἐκβάλω τὸ κάρφος ἀπὸ τοῦ ὀφθαλμοῦ σου, &c.

Ethoc etiam notum inter eos Adagium.

Bab. Bava Bathra, fol. 15. 2. *Scriptum eſt, In diebus cùm judicarent Judices, id eſt, In generatione quæ judicavit judices ſuos* אומר לו טול קיסם מבין עיניך *Cùm diceret quis* [judex] *alicui, Ejice feſtucam ex oculo tuo.* אומר לו טול קורה מבין עיניך *Reſpondit ille, Ejice & tu trabem ex oculo tuo*, &c.

Idem *Erachin*, fol. 16. 2. *Dixit R. Tarphon, Miror ego an ſit in hoc ſeculo, qui recipere velit correptionem: Quin, ſi dicat quis alteri, Ejice feſtucam ex oculo tuo; reſponſurus ille eſt, Ejice trabem ex oculo tuo.* Ubi ſic Gloſſa, קיסם *Feſtucam, id eſt, parvum peccatum, quod in manu tua eſt, ejice: poteſt ille reſpondere, Aſt ejice tu magnum peccatum quod in tua. Ità ut non poſſent corripere; quia omnes erant peccatores.* Vide etiam *Aruch* in voce קסם.

VERS. 9. Μὴ λίθον ἐπιδώσει αὐτῷ ;

Subit hìc illud apud *Senecam, De beneficiis*, lib. 2. cap. 7. *Verrucoſus beneficium ab homine duro aſperè datum panem lapidoſum vocabat*, &c.

VERS.

VERS. 12. Πάντα ὅσα ἂν θέλητε ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν οἱ ἄνθρωποι, &c.

Bab. Schabb. fol. 31. 1. *Gentilis quidam adiit Shammæum, dixítque, Proſelytum me fac, ut diſcam totam Legem, uno ſtans pede: retudit eum Shammæus baculo qui in manu ſua. Adiit Hillelem, & ille eum Proſelytum fecit, dixítq;,* דעלך סני לחברך לא תעביד *Quod tibi ipſi odioſum eſt, proximo nè feceris; nam hæc eſt tota Lex.*

VERS. 13. Εὐρύχωρος ἡ ὁδός.

In his verbis de ſpatioſa & arcta via, alludi videtur à *Salvatore* ad regulas apud Juridicos *Judæorum* de viis publicis & privatis. Apud quos *via privata erat cubitorum quatuor latitudine; publica, cubitorum ſedecim.* Vide Gloſſam in *Peah*, cap. 2. hal. 1.

VERS. 14. Πύλη.

Sub hac Phraſiologia exprimuntur plurima in religione, apud Scripturam ſacram. *Gen.* xxviii. 17. *Pſal.* cxviii. 19, 20, *Matth.* xvi. 18. &c. atque etiam apud ſcriptores *Judaicos. Porta pœnitentiæ* memoratur à *Chaldæo Paraphraſta* in *Ier.* xxxiii. 6. *& porta precum & porta lachrymarum. Bab. Beracoth*, fol. 32. 2. *Ex quo exciſum eſt Templum, occluſa ſunt januæ orationis, at non occluſa januæ lachrymarum.* Στενὴ πύλη Græcè reddere videtur vocem פשפש *Talmudicis* uſitatiſſimam. *Tamid.* cap. 1. halac. 3. פתח ארץ הפשפש *Clavi aperit oſtiolum, atque è Beth mokad* [loco foci] *ingreditur in atrium.* פשפש, inquit *Aruch, eſt porta parva in medio portæ magnæ.*

VERS. 15. Ἐν ἐνδύμασι προβάτων.

Non tam in veſtibus laneis, quàm in ipſis ovium velleribus; ità ut extrinſecùs viderentur oves: at *intùs lupi rapaces.* De rapacitate luporum inter *Judæos* præter alia hæc duo ſume exempla.

Taanith, cap. 3. hal. 7. *Jejunium indixerunt Seniores in civitatibus ſuis ob hoc, quòd, lupi duos puerulos devorâſſent ultra Iordanem.*

Hieroſ. Iom tobh, fol. 60. 1. *Laceratæ à lupis ſunt plures quàm trecentæ oves filiorum Judæ ben Shamoti.*

VERS. 16. Ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς.

Non diſſimile eſt adagium, *Bab. Beracoth*, fol. 48. 1. בוצין בוצין מקטפיר ירוע *Cucurbita, Cucurbita, ex germine cognoſcitur.*

VERS. 29. Ὡς ἐξουσίαν ἔχων, καὶ οὐχ ὡς οἱ γραμματεῖς.

Meritò dictum eſt, commate præcedente, *quòd percelleretur turba ſuper Chriſti doctrina:* nam præter divinam ejus veritatem, profunditatem, & vim convictricem, non audîerant antea quemquam eâ ἀυθεντίᾳ, quâ ille, diſſertantem. Fidem doctrinæ ſuæ mutuati ſunt Scribæ à Traditionibus, ac earum Patribus: nec abſque תנו רבנין, aut חכמים אומרים, aut aliquo iſtiusmodi oraculo traditionali, autoritatem habuit Scribæ alicujus concio, aut pretium. *Hieroſ. Peſachin*, fol. 33. 1. Verè & prout traditio erat de re quadam docuit *Hillel* magnus, *At, quamvis per totum diem de re iſta diſſertaret,* לא קבלו ממנו *doctrinam ejus non receperunt, donec tandem diceret, Sic audivi à Shemaia, atque Abtalione.*

CAP. VIII.

VERS. 2. Δύνασαί με καθαρίσαι.

DOctrinam de peccato optimè pingit doctrina apud Legem de lepra.

I. Nullam creaturam æquè impuram, quoad contactum, docet ac hominem. Imò, meritò quæri poteſt, an aliqua creatura, dum viveret, contactui impura eſſet, præter hominem. Sæpe iteratur illud apud *Talmudicos, Eum, qui manibus vermem tenet, non poſſe omnes aquas Iordani abluere ab immunditia,* [id eſt, dum vermis adhuc eſt in manu; vel, abjecto verme, non uſque dum excurrat tempus purificationi iſtiusmodi præſtitutum.] At num de vivo an mortuo verme intelligendum ſit, non immeritò ambigitur, cùm Lex de hac re agens de morticinis eorum ſolùm loquatur. Vide *Levit.* ii. ver. 31. *Quicunque ea mortua*

tua tetigerit, &c. & versu 32. *In quodcunque inciderint ea mortua*, &c. Ast, sive de vivo loquatur, sive de mortuo, ex ejus contactu secuta est immunditia in istum diem tantùm, nam *immundus erit* [inquit Lex] *usque ad vesperam:* at, tacto cadavere humano, secuta est immunditia hebdomadalis. Vide *Num.* xix.

II. Inter omnes immunditias hominum summa fuit lepra, quippe quòd aliæ immundum separarent, aut immundum redderent, in diem, aut hebdomadam, aut mensem; at lepra forsan in perpetuum.

III. Purificato leproso, non sanata est lepra: sed evaporato jam veneno morbi, & periculo contagionis præterlapso, redditus est leprosus cœtui publico. *Gehazi* servus *Elizæi* sempiternæ lepræ est adjudicatus, & tamen mundatus versatur cum Rege, II *Reg.* viii. 5. Mundatus, non sanatus. Sic sub justificatione & sanctificatione remanent tamen semina & sordes peccati.

IIII. Is, qui leprâ plenus erat, mundus pronuntiatus est; is, qui aliter, non, *Levit.* xiii. 12. *Si lepra totum corpus à capite ad pedem invaserit, mundum eum pronuntiabis*, &c. Lex certè miranda. Non mundus ille ante totum corpus leprâ infectum & coopertum? Nec tu mundaberis, ô peccator, absque pari conditione. Aut te agnosce totum leprosum, aut non mundaberis.

VERS. 3. Ἥψατο αὐτοῦ ὁ Ἰησοῦς.

Mirum certè fuit, quòd, cùm serpentis contagionis esset lepra, Sacerdos de ea dijudicans contagione non læderetur. Præteriri sine observatione non potest, *Aaronem*, eodem reatu cum *Miriame* ligatum, non eandem pœnam tulisse; leprâ enim tacta ea fuit, non ille, *Num.* xii. Itémque *Uzziam* nullo alio modo de intrusione sua in Sacerdotium fuisse confutatum, quàm plagâ leprosâ. Magnificare in illo voluit Deus Sacerdotium, de lepra judicaturum; & hunc non Sacerdotem ostendere ex lepræ tactu. Negari vix potest quidem, Sacerdotes aliquando istâ plagâ tangi potuisse: at certè non irrepsit in eos contagio, dum officium suum præstarent de ea judicando. Nobilis est hæc doctrina de summo nostro Sacerdote lepræ nostræ Judice & Medico, ipso ab ea omnino intactili. Quantum ille miraculum illud Sacerdotii Levitici excedit! Illi, ex contactu leprosi, contagione non tacti; ipse, ex contactu, læso medetur.

VERS. 4. Ὅπαγε, σεαυτὸν δεῖξον τῷ ἱερεῖ, &c.

I. Non ipſi Sacerdoti patefactum voluit *Servator* modum, quo is ſanatus, extraordinarium; ut ordinarium ille perſolveret mundationis ſuæ debitum. Et perpenſionem certè non tenuem meretur, quòd eum remittat ad Sacerdotem. Utcunque jam degener nimis Sacerdotium eſſet, & ab inſtitutione ſua, & ab officio, privilegia tamen ejus reſervari ei vult, dum reſervari vult Sacerdotium. Corruptio inſtitutionem divinam fœdat quidem, ſed non extinguit.

II. Iſta, quæ in mundatione leproſi peragenda tunc temporis erant, ſecundum Rubricam hæc erant. *Afferat tria pecora; ſacrificium ſcilicet pro peccato* [חטאת] *& ſacrificium pro tranſgreſſione* [אשם] *& holocauſtum. Pauper autem attulit ſacrificium pro peccato è volucribus, & holocauſtum è volucribus. Aſtat juxta ſacrificium pro tranſgreſſione, atque ambas ei manus imponit, atque mactat: duóq; Sacerdotes ſanguinem excipiunt, unus in vaſculo, alter in manu. Ille, qui ſanguinem excepit in manu, ad leproſum accedit in conclavi leproſorum,* [erat hoc in angulo atrii mulierum occaſum æſtivum ſpectante:] *eum ſiſtit in porta Nicanoris,* [portâ Orientali atrii *Iſraelis*] *caput ejus extendit intra atrium, & ſanguinem dat ſuper infimum auris ejus; manum etiam intra atrium extendit, & ſanguinem dat ille ſuper ejus pollicem; pedémque, & ſanguinem dat ille etiam ſuper iſtius pollicem, &c. Et alter ibidem loci iiſdem membris addit oleum,* &c. Rationem, cur exſerto collo caput & aures ſic protruſerit in atrium, diſcas à Gloſſatore. *Porta Nicanoris,* inquit ille, *fuit inter atrium mulierum, & atrium Iſraelis: jam verò in atrium Iſraelis non licuit cuiquam ingredi, pro quo non perfecta eſſet expiatio; atque è contrà non licuit extra iſtud atrium proferre ſanguinem ſacrificii pro tranſgreſſione.* Hinc inventum illud, ut ſtaret leproſus mundandus extra atrium, & tamen aures & pollices, quibus applicandus eſſet ſanguis, eſſent intra atrium. Plura omittimus, ſatis eſt hæc protuliſſe; unde obſervetur ad quænam peragenda remiſerit *Salvator* hunc ſanatum.

Præſtita eſt ſanatio in *Galilæa*, & indè amandatur ille *Hieroſolymas*. Præſcribuntur ei ſilentium & ſacrificium: Ὅρα μηδενὶ εἴπῃς, &c. καὶ προσένεγκε τὸ δῶρον, &c. Eccur hæc omnia? 1. Experimentum

tum facit *Chriſtus* obedientiæ ſanati, & gratitudinis, ſumptus ſacrificii imponendo & laborem itineris. 2. Reſtituendum eum vult communioni Eccleſiaſticæ [à qua ſeparaverat eum lepra ſua] more ſolito, atque inſtituto. Cavet ſibi à ſcandalo, atque ſanato à ſchiſmate: atque utcunque eum in *Chriſto* credidiſſe ſatìs arguunt & verba & geſtus, eum tamen nullo modo vult retrahere *Chriſtus* à communione Eccleſiæ, ſed reſtituere. Hinc ejus injunctio, *Vide nè ulli dicas, ſed offer donum in teſtimonium illis:* id eſt, Nè jacta extraordinarium ſanationis tuæ modum, non ob eum te liberatum puta à vinculo Legis, in caſu leproſi, nec te intrudas in communionem Eccleſiæ, ante præſtitos ritè admiſſionis ritus, ſed, utcunq; nihil tibi rei fuerit cum Sacerdote in purificatione & mundatione tua, adi Sacerdotem nihilò minùs, atque quod debitum eſt munus offer, in teſtimonium iis te reſtitutum iterum in communionem. Eodem ſpectat hæc *Servatoris* cautio, quò ea, *Matth.* xvii. 27. *Nè offendiculo ſimus eis,* &c.

VERS. 6. Βίβληται.

מוטל. Sic מת מוטל *Mortuus projectus*, ut efferatur. Vis & dominium morbi ſic exprimitur. Infirmus adeò jacet, ut ab aliis ſolùm moveatur, ipſe ſe movere nequeat; ſed eſt quaſi tantùm non elatus. Sic verſu decimo quarto de ſocru *Petri*, ἦν βεβλημένη καὶ πυρέσσουσα.

VERS. 12. Ἐκβληθήτονται εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον.

Audi, *Judæe*, de ſempiterna tua cæcitate & perditione triſtiſſimum, at certè juſtiſſimum, judicium. Quodcunque enim ſignificat Τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον, ſive tenebras Ethnicorum [nam *Judæis* Ethnici erant οἱ ἔξω], ſive tenebras iſtas ulteriores, *Eſai.* ix. 1. ſive utraſque: *Judæos* illuc abdicandos clarè innuit *Salvator*, revocandos non innuit uſquam, ſi modò per υἱοὺς βασιλείας illi ſint intelligendi; quod quis negat?

VERS. 16. Ὀψίας δὲ γενομένης.

Addit *Marcus*, Ὅτε ἔδυ ὁ ἥλιος. *Cùm Sol jam occidiſſet*; exîiſſétq; jam Sabbatum.

1. Concluſum eſt à *Judæis* Sabbatum cœnâ vel convivio. In quo candelam adhibuerunt (qualem & ad ingreſſum Sabbati), & vinum, & aromata; & formulam benedictionis ſuper poculum vini,

& dein ſuper candelam, & deinde ſuper aromata. *Exit Sabbatum, cùm ille jam in medio eſt convivii ſui? Finem imponit comeſtioni, manus lavat, & ſuper poculum vini gratias agit pro victu, & poſtea ſuper poculum illud formulâ orationis utitur in ſeparationem Sabbati à die communi. Si ſit ille jam bibens, cùm exit Sabbatum, ceſſat à bibendo, & formulam ſeparationis recitat, & dein redit ad potum ſuum. Maimon. Schab.* cap. 29.

II. Proprii limites Sabbati erant à Sole occidente ad Solem occidentem. Hoc à *Marco* ſatis innuitur, cùm dicit, quòd, ὅτε ἔδυ ὁ ἥλιος, attulerunt ægrotos ſanandos; quod, dum laberetur & adeſſet Sabbatum, duxerunt illicitum.

Cavent canones *Talmudici* de operibus quibuſdam, nè inchoentur die Sabbatum antecedente; ſi perfici & finiri non poſſunt מבעוד יום *Dum adhuc eſt dies:* id eſt, (ut ipſi explicant,) עם השמש Dum adhuc non occidit Sol. *Schabb.* cap. 1. המדליק צריך להדליק מבעוד יום קודם שקיעת החמה *Qui accendit lucernam* [Sabbaticam] *accendat, dum adhuc dies eſt, ante occaſum Solis. Maim.* in *Schabb.* cap. 5, &c. *Veſpere Sabbati permittitur operæ incumbere, uſque dum Sol occidat. Hieroſ. Shevuith,* fol. 33. 1. Ingreſſus Sabbati ad occaſum Solis, ità & exitus.

III. Poſt occaſum Solis, ſpatium aliquod vocatum eſt בין השמשות de quo hæc diſputantur, *Hieroſ. Beracoth,* fol. 2. 2. *Quid eſt* בין השמשות? *Dicit R. Tanchuma, Eſt inſtar guttæ ſanguinis datæ in ipſam aciem gladii, quæ ſe partitur utrinque. Quid eſt* בין השמשות? *Eſt ab eo tempore, quo occidit Sol, uſque dum ambulet quis ad dimidium miliaris. R. Joſi dicit,* בין השמשות *Eſt ſicut ictus oculi,* &c. בין השמשות propriè ſignificat, *Inter Soles:* deductáq; indè videtur Phraſiologia, quòd duo dicantur eſſe שקיעות *occaſus ſolis;* de quibus Gloſſator in *Maimon.* in *Shabb.* cap. 5. ubi ſicetiam ipſe *Maimonides. Ab eo tempore, quo occidit Sol, uſq; dum appareant tres ſtellæ mediana, vocatur* בין שמשות *Inter Soles: & dubium eſt num tempus illud ſit de die, an de nocte. Utcunq; de eo ubiq; judicant* להחמיר *ad gravandum officium. Intra illud tempus ergò non accendunt lucernam Sabbaticam: & quicunque ſervile aliquod opus fecerit veſperâ Sabbati, aut exitu Sabbati, tenetur ad ſacrificium pro peccato.* Ità etiam *Hieroſolymitani* loco noviſſimè

visſimè citato. *Apparet ſtella una? Certè adhuc dies eſt. Duæ? Dubitatur an dies ſit. Tres? Nox eſt abſque dubio.* Et, lineâ interjectâ; *Veſperâ Sabbati, ſi quis opus facit poſt viſam ſtellam unam, abſolvitur: ſi poſt duas, tenetur ad ſacrificium pro tranſgreſſione dubia: ſi poſt tres, tenetur ad ſacrificium pro peccato. Itémq; in exitu Sabbati, ſi opus aliquod facit poſt viſam ſtellam unam, tenetur ad ſacrificium pro peccato: ſi poſt duas ad ſacrificium pro tranſgreſſione dubia: ſi poſt tres, abſolvitur.*

Hinc videas quoto tempore ſanandos ad *Chriſtum* hìc apportarent, in exitu Sabbati, ſi modò horæ gentis Canonicæ iis fuerint curæ, quod non dubitandum.

VERS. 17. Αὐτὸς τὰς ἀσθενείας ἡμῶν ἔλαβε.

Bab. Sanhedr. fol. 98. 2. Adducuntur varia nomina *Meſſiæ.* Inter alia חיורתא רבי רבי שמו *Rabbini dicunt, Nomen ejus eſt, Leproſus è domo Rabbi: ſicut dicitur, Certè infirmitates noſtras ille tulit,* &c. Et paulò póſt. *Rabh dicit, Si Meſſias ſit è vivis, Rabbenu Haccadoſh ille eſt.* Gloſſa, *Si Meſſias ſit ex iis, qui jam vivunt, certè Rabbi noſter Sanctus ille eſt, quippe qui portet infirmitates,* &c. *Rabbi Iuda,* quem *Sanctum* vocârunt, plurimas ſubîit ægritudines, [de quo & quibus hiſtoriam habes in *Hieroſ. Kilaim,* fol. 32. 1. *Tredecim annos laboravit Rabbi dolore dentium,* &c.] ob quas erant, quibus eum pro *Meſſia* habere complaceret, eò quòd ſecundùm Prophetas *Meſſias* futurus erat *vir ærumnarum:* & tamen pompâ incedentem eum exſpectant.

Incongrua aliquantò videri poſſit hæc allegatio *Matthæi,* & à ſenſu Prophetæ aliena: nam loquitur *Eſaias* de *Meſsia,* in ſe portante hominum infirmitates; at *Matthæus* de eo eas ſanante in aliis: *Eſaias* de morbis animæ, (vide I *Pet.* ii. 24.) *Matthæus* de morbis corporis. At in hoc ſenſu optimè convenit utrique, quòd *Chriſtus* cum infirmitatibus & ærumnis noſtris negotium habuit, & ipſe potuit negotium iſtud tranſigere: ejus erat eas portare & ferre, atque in eo erat potentia & vis eas portandi & ferendi. Hoc ergò ſenſu intelligendus *Matthæus*; Sanavit dæmoniacos, omnéſque morboſos verbo ſuo, ut impleretur iſtud *Eſaiæ,* Iſte eſt, qui ærumnas atque ægritudines noſtras ferre & portare poteſt: & ſic an ad morbos animæ applices, an corporis, æquâ facilitate exſurgit ſenſus planus. Ulteriùs quidem porrigitur ſenſus *Eſaiæ:*

nempe

nempe quòd *Meſsias* erit ipſe vir ærumnarum, &c. at non excluſo eo, quem memoravimus, quem cauſæ ſuæ optimè quadrantem retinet *Matthæus* quàm aptiſſimé.

VERS. 28. Εἰς τὴν χώραν τῶν Γεργεσηνῶν.

Marco & *Lucæ* eſt τῶν Γαδαρηνῶν, utrumque appoſitiſſimé: nam erat urbs *Gadara*, unde regioni nomen, erat etiam urbs vel oppidum *Gergaſa*, intra iſtam regionem; quæ an ab antiqua ſtirpe *Canaanitica Gergaſæorum* nomen tulerit, an à voce גרגשא quæ *argillam*, vel *lutum*, ſignificat, doctioribus diſcutiendum relinquimus. Iſtiusmodi nomenclaturæ *Lutetia* poni poteſt pro exemplo.

VERS. 28. Δύο δαιμονιζόμενοι ἐκ τῶν μνημείων ἐξερχόμενοι, &c.

In *Hieroſ. Trumoth*, fol. 40. 2. *Hæc ſunt ſigna* שוטה. *Exit nocte & pernoctat inter ſepulchra, & veſtes ſuas lacerat, & quodcunque ei datur peſſundat. Dicit Rabbi Houna, At num ille ſolùm, in quibus hæc omnia? Ego dico quòd non. Qui exit nocte,* קניטריבוס *Chondriacus eſt. Qui pernoctat inter ſepulchreta,* מקטר לשרים *ſuffitum facit dæmonibus. Qui veſtes ſuas lacerat* כוליקוס *Melancholicus. Et qui peſſundat quodcunque ei datur,* קורדיקוס *Cardiacus.* Et paulò póſt, פעמים שוטה פעמים חלום *Aliquando furit, aliquando eſt ſanus: dum furit habendus eſt pro furente ad omnia ſua: dum ſanus eſt, habendus eſt pro compote ſui ad omnia.* Vide quæ dicimus ad capitis decimi ſeptimi verſum decimum quintum.

VERS. 30. Ἀγέλη χοίρων πολλῶν βοσκομένη.

Num *Iudæi* hi *Gadareni*, an *Ethnici*?

I. Res infamiæ erat *Iudæo*, porcos alere.

Hieroſ. Shekalim, fol. 47. 3. *R. Jonah erat rubentis admodùm faciei, quam videns mulier quædam ſic dixit,* סבא סבא *Signior, Signior, aut tu es* οἰνοπότης, *aut fœnerator, aut altor porcorum.*

II. Canone prohibitum eſt.

Maimon. in *Nizke Mammon.* cap. 5. *Prohibuerunt Sapientes*

nllibi

ullibi nutrire porcos, & canem nisi catenâ ligatum. Porcos, duplici ratione; 1. Ob nocumenta & detrimenta alienis agris à porcis illata. Generaliter *prohibita est nutritio pecorum minutiorum in terra Israelitica* [inter quæ non immeritò porcos numeres vel primo loco] *Bava Kama*, cap. 7. hal. 7. ratióque redditur à Gemaristis, *Nè scilicet irrumpant in agros alienos.* 2. Singulariùs prohibetur nutritio porcorum, ob eorum immunditiam. אסור לעשות מחורה בכל רבריס טמאים *Nam prohibetur vel mercaturam facere rei cujusvis immundæ:* Glossa in *Kama*, ubi suprà.

III. Imò, sub maledictione prohibitum est.

Maimon. ubi anté. *Dicunt Sapientes, Maledictus sit, qui alit canes & porcos, eò quòd ex iis sunt nocumenta multa.*

Bab. Kama, fol. 82. 2. *Nè alant porcos alicubi. Tradunt Rabbini, Cùm bellaret inter se familia Asmonæa, Hyrcanus erat intra Hierosolymas obsessus atque Aristobulus erat extrà. Obsessi indies in arcula funè demissâ nummos demiserunt, atque ii, qui extrà erant, sacrificia quotidiana indè coemerunt, quæ sursum ab iis intùs sunt retracta. Erat inter obsidentes quidam, doctrinâ Græcâ instructus, qui dixit, Quamdiu illi Liturgiam Templi sic præstant, in manus vestras non tradentur. Postero ergò die isti nummos demiserunt, atque hi porcum iis remiserunt. Cùm à porco jam sursum tracto perventum esset ad medium muri, ungulas muro infixit, & quassata est terra Israelitica,* &c. *Eo tempore dixerunt, Maledictus sit, qui alit porcos, & maledictus sit, qui filium suum docet sapientiam Græcorum.* Recitatur hæc historia in *Menachoth*, fol. 64. 2.

Mireris ergò non sine causa illud, quod memoratur in *Bab. Taanith*, fol. 21. 2. *Dixerunt aliquando Rabb. Judæ, Pestis est inter porcos. Ille ergò indixit jejunium.* Quid? *Judæum* de peste porcorum esse solicitum? Sed subditur ratio, *Nam putavit Rabb Judah plagam, in unam pecorum speciem inflictam, invasuram etiam omnes.*

Non incongruè ergò opineris porcos hosce non *Judæorum* fuisse, sed *Ethnicorum* inter *Judæos Gadarenos* habitantium: nam istiusmodi commixtio usitatissima erat in civitatibus ac regionibus terræ *Israelitica*? Quod de *Susitha* vel *Hippo* oppido, à *Gadara* parùm remoto, observamus alibi.

Aut, si des *Judæorum* fuisse, horum mores tuæ opinioni fidem fa-

cient, quippe quibus crumena & lucrum ſolet eſſe ſuprema lex. Cùm tanti eſſet apud *Romanos* aliósq; *Ethnicos* caro aprugna & ſuilla, non eſt cur tam arctis vinculis à Canonibus ſuis conſtrictum credas *Judæum*, ut eos commodo ſuo poſthaberet, cùm ſperatur lucrum.

CAP. IX.

VERS. 9. Εἶδεν ἄνθρωπον καθήμενον ἐπὶ τὸ τελώνιον, Ματθαῖον λεγόμενον.

MEmorantur à *Talmudicis* quinque diſcipuli *Chriſti*, inter quos videtur nominari *Matthæus*. *Bab. Sanhedr.* fol. 43. 1. *Tradunt Rabbini, Quinque fuerunt Diſcipuli Ieſu.* מתאי נקאי נצר ובוני ותודה *Mathai, Nakai, Nezer*, & *Boni*, & *Thodah*. Hos ad occiſionem adductos referunt. Vide locum. Fortè quinque tantùm ab iis nominantur, quòd quinque è diſcipulis præcipuè rem habuerunt cum *Judæis* in *Judæa*: *Matthæus* ſcilicet, qui Evangelium illìc conſcripſit, *Petrus*, *Iacobus*, *Ioannes*, & *Judas*.

Videtur *Matthæus* in telonio *Capernaumi* ſediſſe juxta mare, ad colligendum tributum aut penſum aliquod à transfretantibus. Conſule *Marcum*, cap. ii. 13, 14.

Schabb. cap. 8. halac. 2. *Qui producit* [Sabbato] *papyrum, in qua ſcribitur notula Publicani, & qui producit notulam Publicani, reus eſt.* Gloſſa, *Cùm quis tributum ſolvit domino fluvii, aut ab eo remittitur ei tributum, notulâ*, vel ſymbolo quodam, *Publicano certum facit ſe tributum remiſiſſe: conſuetúmque eſt in ea duas literas ſcribere noſtris majores.* Vide etiam *Gemaram* ibidem.

VERS. 14. Ἡμεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι νηστεύομεν πολλά.

De jejùniis *Phariſaicis* referuntur monſtra potiùs quàm hiſtoriæ.

I. Omnibus notum eſt ex *Luc.* xviii. 12. ſolitos eos jejunare bis unaquâque ſeptimanâ. Originem iſtius conſuetudinis petas ex hac traditione. *Bab. Bava Kama*, fol. 82. 1. *Ezra decrevit decreta decem. Inſtituit publicam Legis lectionem diebus Hebdomadis ſecundo & quinto: iterùmque Sabbato ad Mincha. Inſtituit ſeſſionem*

onem Judicum in civitatibus, diebus Hebdomadis ſecundo & quinto, &c. De hac re etiam agitur, *Hieroſ.* in *Megillah,* fol. 75. 1. *Rationem, quare de die ſecundo & quinto decretum eſt, ſi quæras, reſpondendum eſt ex eo* [inquit Gloſſa] *quod dicitur in Midras de Moſe: quòd ſcilicet aſcendit in montem ad tabulas ſecundas recipiendas die Hebdomadis quinto, deſcenditque, pacato jam Deo, die Hebdomadis ſecundo. Cùm ergò tempus gratiæ eſſet aſcenſio iſta, ac deſcenſio, de diebus ſecundo & quinto ſic ſtatuerunt. Ideóque etiam die ſecundo & quinto jejunare ſunt ſoliti.*

II. Indixerunt ſibiipſis non rarò jejunia eo fine, ut felicia adipiſcerentur inſomnia: vel ut inſomnii alicujus aſſequerentur interpretationem, vel ut malum inſomnii omen averterent. Hinc Phraſiologia iſta uſitatiſſima תַּעֲנִית חֲלוֹם *Jejunium pro inſomnio:* & vulgare iſtud Adagium יֹפִי תַּעֲנִית לְחֲלוֹם כְּאֵשׁ לִנְעוֹרֶת *Par eſt jejunium ad inſomnium, ac ignis ad ſtupam.* Permiſſum eſt hac de cauſa jejunare Sabbato, quod aliàs prohibitum. Vide *Bab: Schabb.* fol. 11. 1. ubi etiam occurrit hiſtoria de *R. Joſhua bar Rabh Idai,* qui Sabbato lautè acceptus à *R. Iſhai* comedere noluit, eò quòd eſſet בְּתַעֲנִית חֲלוֹם *ſub jejunio pro inſomnio.*

III. Jejunârunt ſæpe eo fine, ut deſideria ſua aſſequerentur. *Hieroſ. Kilaim,* fol. 32. 2. *R. Joſi jejunavit octoginta jejunia, & R. Simeon ben Lachiſh trecenta, eo fine ut viderent R. Chaijah Rubbah.* Sæpe etiam, ut mala intentata propellerent: de qualibus jejuniis fuſè agit tractatus *Taanith.* Exemplum unum ſat eſto pro multis: ídque eſt *R. Zadoki,* qui per quadraginta annos, à tempore ſcilicet, quo ſponte ſuâ apertæ ſunt portæ Templi [quod indicium venturi excidii] adeò ſe jejuniis maceravit, ut חַלְשָׁא vulgò vocaretur, id eſt *Infirmus;* cúmque, jam exciſâ urbe, fruſtrà jejunâſſe ſe videret, medicis *Titi* uſus eſt ad reſtaurandam ſanitatem, quæ præ nimia inedia deperierat.

VERS. 15. Οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος.

בְּנֵי חוּפָּה Eorum hilaritatem tempore nuptiarum non opus eſt referre; referam illud tantùm quod ſatis eſt, quod dicitur à Gloſſatore in *Bab. Beracoth,* fol. 31. 1. נוֹהֲגִין לִשְׁבֹּר זְכוּכִית בִּנִישׂוּאִין *Soliti ſunt frangere vaſa vitrea in nuptiis.* Eâ ſcilicet

ratione, ut modum & frænum hâc actione inderent hilaritati, nè luxuriarentur nimis. Hiſtoriam unam & alteram producit illîc Gemara. *Mar filius Rabbena fecit convivia nuptialia filio ſuo; atq; invitavit Rabbinos: cúmque videret quòd profuſiùs exhilararentur* אייתי כסא רמוקרא *adduxit poculum vitreum valens quadringentos Zuzæos, atque illud coram iis confregit, unde contriſtabantur.* Similis hiſtoria etiam refertur de *Rabh Iſhai:* redditúrque actionis hujus ratio, שאסור לארם שימלא שחוק פיו בעוה"ז *quia prohibetur homini, os ſuum riſu implere in hoc mundo.* Tantum aberant à jejunando filii thalami.

חופה, vel dies thalami, *filiis thalami*, hoc eſt amicis & familiaribus, fuerunt ſeptem; hinc frequens memoria *ſeptem dierum convivii nuptialis:* at verò ſponſæ dies thalami fuerunt triginta. In *Ioma*, cap. 1. halac. 1. prohibetur edere, bibere, ſe lavare aut ungere in die Expiationis: והמלך וכלה ירחצו פניהם *At regi & ſponſæ permiſſum eſt lavare facies ſuas. Nam ſponſa venuſtanda eſt*, inquit Gloſſa in locum, *ut amabilis ſit marito* וכל יום לחופתה היא קרויה כלה *Atque omnibus triginta diebus thalami ſui vocatur ea Sponſa.*

Meditatione dignum eſt Diſcipulos, præſente *Chriſto*, nullam omnino perſecutionem paſſos, abſente omnimodam.

VERS. 18. Ἰδοὺ, ἄρχων.

In *Ioma*, cap. 7. halac. 1. diſtinguitur inter חזן הכנסת & ראש הכנסת. Nam, dum ibi agitur de ſummo Pontifice, legente portionem quandam Legis die Expiationis diei congruentem, ſic dicitur חזן הכנסת נוטל ספר תורה ונותנו לראש הכנסת *Epiſcopus Synagogæ accipit librum Legis, & dat* Ἀρχισυναγώγῳ. Ubi ſic Gloſſa, בית הכנסת *Synagoga erat in monte Templi, propinqua atrio* [quod dignum notatu] חזן הכנסת שמש *Chazan Synagogæ eſt miniſter: atque Archiſynagogus ille eſt, cujus juſſu decernuntur res Synagogæ, nempe quis leget Prophetam, quis recitabit Phylacteria, quis tranſibit coram Arca.*

Hujus ordinis & muneris fuit *Iairus*, in Synagoga *Capernaumi:* ità ut vox ἄρχων minus obſcuritatis admittat, etiamſi non adſit vel

εἷς vel τὶς, in hunc ſenſum intellecta. Hæc eo loquente, *Ecce, præfectus Synagogæ iſtius,* &c.

VERS. 20. Ἁιμοῤῥοοῦσα.

זבה Commentarius hìc poteſt eſſe tractatus *Talmudicus* זבין.

Acta ſunt hæc in plateis *Capernaumi*; nam illìc habitavit *Matthæus*, ibidémque *Iairus* : ínque tranſitu ab illius ad hujus domum occurrit hæc Hæmorrhoꝰſa. Perpende ſeriò hiſtoriam, ac facilè dijudices quid ſentiendum de hiſtoria iſta, de ſtatuis hujus mulieris & Chriſti *Paneade* erectis, vel *Cæſareæ Philippi*; de quibus *Euſebius, Eccleſ. hiſt.* lib. 7. cap. 14.

VERS. 23. Ἰδὼν τοὺς αὐλητάς.

Dion Caſſius, lib. 56. de funere *Auguſti*. Ὁ δὲ δὴ Τιβέριος καὶ ὁ Δρούσος, ὁ υἱὸς αὐτοῦ, φαιὰν τὸν ἀγοραῖον τρόπον πεποιημένην εἶχον. Καὶ τοὺς μὲν λιβανωτοῦ καὶ αὐτοὶ ἔθυσαν· τῷ δὲ αὐλητῇ οὐκ ἐχρήσαντο.

Chetubboth, cap. 4. halac. 6. אפילו עני שבישרא' לא יפחות לה משני חלילים ומקוננת *Etiam pauperrimus inter Iſraelitas* [uxore mortuâ] *præbebit ei non minus, quàm duas tibias, & unam lamentatricem.*

Bava Mezia, cap. 6. halac. 1. חלילים לכלה או למת *Qui conducit mercede Aſinarium, aut aurigam, ut afferat tibias, aut pro ſponſa, aut pro mortuo:* id eſt, aut ad nuptias, aut ad funus.

Maimon. in אישות cap. 14. *Mortuam uxorem tenetur maritus ſepelire, & lamenta & luctus ei facere, ſecundùm morem omnium regionum. Atque etiam pauperrimus inter Iſraelitas præbebit ei non minus, quàm duas tibias, & lamentatricem : ſi autem dives ſit, fiant omnia ſecundùm ejus dignitatem.*

Shabb. cap. 13. hal. 4. *Si Idololatra tibias afferat Sabbato* [ad domum ubi aliquis eſt mortuus] *ad tibias iſtas non lugebit Iſraelita.*

Convenerat hæc turba ſubitó : vicini officii ergô, tibicines forſan lucri ergô; utrique hâc re, ut conjectari licet, eò officioſiores, quò dignioris gradûs eſſent parentes defunctæ. Obîit ea, cùm jam *Chriſtus* cum *Jairo* ad domum pergeret (*Marc.* v. 35.) & tamen, ecce, quàm ſolenniter conventum eſt, & concurſum in ejus luctu. Duo erant, quæ in iſtiusmodi caſibus occaſionem turbæ præbuerunt

ad domum luctûs ſeſe congregandi. 1. Quidam, ut probabile admodùm eſt, ſe illuc receperunt, ut ederent & biberent: nam adhibitæ ſunt tunc temporis quædam epulæ. *Hieroſ. Beracoth*, fol. 6. 1. *Traditio. Decem pocula ebibunt in domo luctûs: ante cibum duo, quinque dum comedunt, & à cibo tria.* Et paulò póſt, *Cùm moreretur Rabban Simeon ben Gamaliel, tria inſuper addiderunt: at, cùm videret Synhedrium, quòd hinc inebriarentur, contra hoc decreverunt.* 2. Alii, ut munus ſuum charitatis & vicinitatis præſtarent: nam ſummi officii eſſe arbitrabantur, mortuos plangere, ſepulchralia ei parare, curare funus, feretro ſubire, aliáque in iſtam ſolennitatem requiſita omni ſedulitate conferre. Hinc נמילות חסדים *Retributionem* (vel exhibitionem) *miſericordiarum* ad hoc munus, peculiari ſenſu præ omnibus aliis charitatis demonſtrationibus, appropriârunt. *Hieroſ. Sanhedr.* fol. 23. 3. מית חד מנון ולא אתנמל חסד *Mortuus eſt quidam è diſcipulis Sapientum, & non exhibita eſt ei miſericordia:* id eſt, non curatum eſt de ejus funere. *At mortuus eſt quidam Publicanus* ובטילת כל מדינתא מינמלינית חסד *Et ab operibus ſuis ceſſavit tota urbs, ut exhiberent ei miſericordiam.*

Luctus pro mortuis diſtinguitur à ſcholis *Judaicis* in אנינות & אבלות. אנינות erat in diem funeris tantùm, vel uſque dum efferretur funus, & exinde cœpit אבלות, in dies triginta. De his hæc pauca: מי שמתו מוטל לפניו ואין עליו לקוברו אינו נוהג אנינות *Is, qui habet mortuum ſuum ante ſe projectum, atq; eum penès non eſt ſepelire eum, non adhibet* אנינות. *Exempli gratiâ: Si moriatur quis in carcere & ſepulturam ejus non permittet magiſtratus,* vel loci præfectus, *non tenetur cognatione ei propinquus ad luctum iſtum, qui vocatur* אנינות, &c. Hæc habes in *Bab. Berac.* fol. 18, 1. ratióque redditur paulò anté, Quia nempe ille, qui habet mortuum ſuum ante ſe projectum, vel cui incumbit ejus ſepultura, prohibetur carnem edere, vinum bibere, cum aliis edere, in eadem domo edere, [ſub qua prohibitione tu jam es, ô *Iaire,*] & liber erat à recitatione Phylacteriorum, & ab oratione, & ab omnibus iſtiusmodi præceptis Legis. מיד חל עליו אבלות משיצא מפתח ביתו *Aſt cùm effertur funus ex oſtio domûs,*

tunc

tunc illico incipit luctus אבלות. Liber ille exinde à præcedentibus prohibitionibus, alias jam incurrit. Indè 1. כפיית המטה *Inclinatio lectorum*, de qua plurima *Talmudici*. *A quonam tempore*, inquiunt, *inclinantur lecti? Ex quo mortuus effertur ex porta atrii domûs; aut, ut R. Ioſua, Ex quo obturatur* גולל, *lapis ſepulchralis.* [Sic enim vulgò redditur, at Gloſſa alicubi, *tegumentum*, aut *aſſer ſupremus, feretri.*] Quid ſibi voluerit hæc lectorum inclinatio, obſerves ex iis, quæ dicuntur *Hieroſ. Berac.* fol. 6. 1. *Unde lectorum inclinatio? R. Criſpa, Nomine R. Iochananis dicit, Ex hoc, quòd dicitur* וישבו אתו לארץ Et conſiderunt cum illo ad terram [*Iob.* ii. 13]. Super terram *non dicitur, ſed* לארץ ad terram: *rem denotat propè à terra. Hinc eſt quòd incubuerunt lectulis inclinatis.* 2. אבל כל ל׳׳ ימים אסור לעשו מלאכה *Lugens per omnes triginta dies prohibetur opus ſuum facere, ſic & filii ejus, & filiæ, & ſervi, & famulæ, & jumenta*, &c. *Maſſecheth Semachoth*, cap. 5.

Hæc eum ſpectârunt, cujus erat mortuus. Partes ſuas etiam egerunt amici & vicini, & in planctu, & in cura funeris, officiosâ ſedulitate rei iſti incumbentes, ex officio & amicitia. כל הרואה את מתו ואינו מלוהו *Quicunque mortuum videt*, inquiunt illi, *atque eum ad funus non accommodat* [vel *comitatur*] *reus eſt de hoc, quod dicitur*, Deridens pauperem convitiatur ejus Creatori; &c. *Jam verò*, inquiunt, *non eſt aquè quis pauper, ac mortuus*, &c. *Bab. Berac.* ubi ſuprà.

VERS. 24. Οὐκ ἀπέθανε τὸ κοράσιον, ἀλλὰ καθεύδει.

Vulgatiſſimum apud eos erat mortem cujusvis voce רמך exprimere, quæ propriè *dormire* ſignificat. כד רמך *Cùm dormiret* N. id eſt, cùm moreretur, occurrit apud *Talmudicos* ſexcenties: & tota hæc turba jam diceret רמכת בת יאיר *Dormit filia Jairi*, id eſt, mortua eſt. Perpenſione ergò dignum eſt, quânam loquendi formulâ *Chriſtus* hìc uſus. *Syrus* habet לא מיתת אלא רמכא

VERS.

VERS. 33. Οὐδέποτε ἐφάνη οὕτως ἐν τῷ Ἰσραήλ.

Non ad peculiare illud miraculum tunc editum tantùm referri hæc videntur: ſed ad omnia. Perpende quot uno iſto die, imò tempore pomeridiano. Prandet *Chriſtus Capernaumi* apud *Matthæum*; pranſum avocat impetratio *Jairi*, cum eo proficiſcenti occurrit *Hæmorrhoïſſa* in plateis & ſanatur. Accedens ad domum *Jairi* ſuſcitat mortuam ejus filiam; redeunti ad domum ſuam [nam ei habitatio *Capernaumi*] occurrunt duo cœci in plateis, *Meſſiam* clamant, eum domum ſequuntur & ſanantur. Ipſis egredientibus domo, ingreditur mutus dæmoniacus & ſanatur. Meritiſſimè ergò à turba non acclamari non potuit, *Nunquam apparuit tale quippiam in Iſraele.*

VERS. 34. Ἐν τῷ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων, &c.

Vide quæ notantur ad cap. xii. 24.

CAP. X.

VERS. 1. Καὶ προσκαλεσάμενος τοὺς δώδεκα μαθητὰς.

DE numero duodenario, tribubus *Iſraeliticis* ſymphono, vide *Luc.* xxii. 30. *Apoc.* xxi. 12, 14. Vocati ſunt hi duodecim *Apoſtoli*, שלוחי, vel שליחי, quo titulo inſigniti ſunt *Moſes* & *Aaron* à Chaldæo Paraph. *Hierem.* ii. 1. Non nudè *Nuntium* ſonat, ſed *nuntium vices mittentis gerentem.* Nam שלוחו של אדם כמותו *Apoſtolus cujuſvis eſt ſicut ipſe, à quo deputatur. Bab. Beracoth*, fol. 34. 2. Vide verſum hujus capitis quadrageſimum. Si tractatum *Maimonidis* hìc perlegeris, cui titulus שלוחין ושותפין oleum forſan & operam non omnino perdes.

In hos fines electi ſunt hi duodecim, referentibus Evangeliſtis. I. Ut cum ipſo eſſent operum ejus oculati teſtes, & doctrinæ ſtudioſi. Nam non illico à primo ſuo Diſcipulatu, imò nec illico ab electione ſua ad prædicandum ſe contulerunt; ſed diu ad pedes Magiſtri aſſidentes doctrinam iſtam ab ore ejus imbiberunt, quam erant prædicaturi. II. Ut Prophetæ ejus forent, & ad prædicandum,

dum, & ad miracula edenda. Indè fit, ut iis jam reſtituatur donum miraculorum, quod diu evanuerat.

Septem Paſtores atque octo Primates, Mich. v. 5. apud *Kimchium* ſunt Diſcipuli *Meſſiæ*.

Ἐξουσίαν πνευμάτων ἀκαθάρτων.

Id eſt, *in malos ſpiritus*, qui idcirco רוחות טומאה *ſpiritus immundi* dicuntur, ut clariore Antitheſi opponerentur רוח הקדש *Spiritui ſancto*, ſpiritui puritatis.

Singulariùs רוח הטומאה *Zech.* xiii. 2. Et Πνεύματα ἀκάθαρτα, *Apoc.* xvi. 13, 14. ſunt ſpiritus Diabolici in Pſeudo-prophetis decipientes Pythones.

Singulariori porrò nomenclaturâ, de hac re Talmudici, *Bab. Sanhedr.* fol. 65. 2. *Non erit apud te* דורש אל המתים *Necromantes.* [Deut. xviii. 11.] דורש אל המתים, *Necromantes ille eſt, qui inediâ ſe macerat, atque it & pernoctat inter ſepulchreta eo fine, ut habitet ſuper eum* רוח טומאה *ſpiritus immundus. Cùm verſiculũ iſtum legeret R. Akibah flevit. Num jejunanti, inquit, eo fine ut ei ſuperveniat ſpiritus immundus, ſupervenit ſpiritus immundus? multò magis jejunanti eo fine, ut ſuperveniat ſpiritus ſanctus, ſuperveniret ſpiritus ſanctus. Aſt ego quid faciã? cùm peccata noſtra id nobis effecerint, quod dicitur, Peccata veſtra ſeparant inter vos & Deum veſtrum.* Ibi ſic Gloſſa, שתשרה רוח טומאה עליו *Ut habitet ſuper eum ſpiritus immundus: id eſt, ut dæmon ſepulchreti eum amet atque adjuvet in incantationibus ſuis.*

Cùm innumerum Dæmoniacorum numerum, quem memorant Evangeliſtæ, mecum revolvo, cui parem non exhibet aliqua hiſtoria, vetúſque Teſtamentum vix unum exemplum profert & alterum: duo hæc præcipuè non poſſum non pro hujus rei cauſa ſuſpicari. 1. Quòd populus *Judaicus*, ad ſummum impietatis apicem jam pertingens, ad ſummum etiam maledictionum iſtarum apicem jam pertigerit, quæ recitantur *Levit.* xxvi. & *Deut.* xxviii. 2. Quòd gens, præter modum artibus magicis dedita, etiam dæmona ambierit, invitaverítque ut inhabitaret.

VERS. 2. Σίμων.

סימון Nomen *Talmudicis* uſitatiſſimum pro שמעון, quo nomine etiam noſter appellatur *Act.* xv. 14.

Obſerventur hæc, ex *Hieroſ. Schabb.* fol. 11. 2. ר׳ אי׳ בעא מר׳ סימון *Rabbi Eliezer quæſivit de re quadam à R. Simone, at ille non ei reſpondit. Quæſivit à R. Joſhua ben Levi, atque ille reſpondit. Indignatus eſt R. Eliezer, quòd* ר׳ שמעון *R. Simeon non reſponderet.*

Πέτρος.

Tribus, interioris ſuæ familiaritatis, Diſcipulis *Chriſtus* immutavit nomina; *Simoni, Jacobo, & Joanni. Simon* ab eo vocatus eſt *Petrus*, vel *Petroſus*: id eſt, referens ad Petram, eò quòd Eccleſiæ in Petra ædificandæ non ſolùm plurimum opis contulerit, ſed & opis primum, cùm, clavibus ſibi commiſſis, oſtium fidei *Cornelio* aperiens Evangelium primus ad Gentes intromiſit: de qua re poſtea.

Ἀνδρέας.

Nomen hoc etiam *Talmudicis* non alienum. אנדריי בר חיננא *Andreas Bar-Chinna. Hieroſ. Megil.* cap. 4.

VERS. 3. Βαρθολομαῖος.

Computa ordinem, quo vocati ſunt Diſcipuli *Joan.* i. cum ordine quo ut plurimùm recenſentur, & *Bartholomæum* in eundem locum cum *Nathaniele* coincidentem comperies; ità ut eundem cum eo eſſe opineris: *Nathanielem* nomine proprio dictum, & *Bartholomæum* paterno. בר תלמי id eſt, *Filium Talmai*. Nam *Græci* interpretes *Talmai* reddunt Θολμί, II *Sam.* xiii. 37. Atq; occurrit Θολομαῖος apud *Joſephum Antiq.* lib. 20. cap. 1.

Ἀλφαίε.

Apud *Talmudicos* etiam occurrit nomen חלפי: flexile in duplicem pronuntiationem, nempe ut vel *Alphai* ſonet, vel *Cleophi*. Hinc *Alphæus* iſte, quatuor Apoſtolorum pater, vocatur etiam *Cleopas*, Luc. xxiiii. quod & ex hoc ſatis liquet, quòd ea, quæ vocatur *Maria*

Maria mater Jacobi minoris & Josis, Marc. xv. 40. à *Joanne* vocetur. *Maria uxor Cleopæ*, Joan. xix. 25.

Λεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος.

תראי Nomen quoque notum *Talmudicis*, ר׳ יוסי תראי *R. Josi filius Thaddæi*, *Massech. Derech areths*, cap. 1. אלעזר בן תראי *Eliezer ben Thaddæi*, *Hieros. Kilaim*, fol. 27. 2. & *Schabb.* fol. 5. 4. vide *Iuchasin*, fol. 105. 2. Deflexio est nominis *Judæ*, ut rectiùs hic distingueretur ab *Iscariota*. *Lebbæum* eum dictum ego arbitror ab oppido *Lebba*, *Galileæ* maritimo: de quo Plinius, *Promontorium Carmelum, & in monte oppidum eodem nomine, quondam Ecbatana dictum. Iuxta Getta Lebba*, &c. lib. 5. cap. 19.

Vers. 4. Σίμων ὁ Καναναῖος.

Lucæ Ζηλωτής. Vide quinam vocentur Ζηλῶται apud *Josephum*: è quorum secta si hunc *Simonem* fuisse dixeris ante conversionem suam, ei fortè nihil magìs injurius fueris, quàm *Matthæo* fratri ejus fueris, cùm eum dixeris *Publicanum*.

Ἰσκαριώτης.

Quæri potest, an vivo ei inditum fuerit hoc nomen, an non nisi post mortem. Si vivo, non incongruè à סקורטיא deduxeris, quod & אסקורטיא scribitur, *Bab. Nedarim*, fol. 55. 2. ubi dum de homine agitur, vovente se hâc vel illâ non usurum veste, hæc docentur; *Qui voto se obligat de non utendis vestibus, uti sacco ei licet, cortinâ, cilicio*, &c. *aft uti non licet* פונרא ופסקיא ואסקורטיא וגו׳. De quibus sic Glossa, *Hæc sunt indumenta, quædam coriacea, quædam de genere vestium.* Quærit *Gemara*, *Quid est* אסקורטיא? *Respondit Bar bar Channah* כיתונא רצלא *Indumentum Coriarii.* Glossa, *Cinctorium coriaceum indutum à Coriariis supra vestes suas.* Ità ut *Judas Iscariotes* idem fortè significet quod *Judas cum cinctorio*, Anglicè, **Judas with the Apron**. Jam verò in istiusmodi cinctoriis consutas habuerunt crumenas, in quibus nummos suos circumgestare solebant, prout videre est in *Aruch*, in vocibus תרמיל & אפונדרא, quod & observabimus illico. Atque hinc fortè titulum istum sortitus est *Judas* portitor glossocomi, ut vocaretur

retur *Judas cum cinctorio*. Aut quid ſi artem Coriarii exerceret, antequam cooptatus eſſet in Diſcipulatum? *Simonem* certè quendam legimus Coriarium, *Act.* ix. 43. Atque hunc *Judam* filium *Simonis*, *Joan.* vi. 14. Quòd ſi non niſi poſt mortem tituli hujus ſtigma inuſtum ei fuit, ab אסכרא ego deductum reor; quæ vox quid ſibi velit effentur *Gemarici*, *Bab. Beracoth*, fol. 8. 1. *Nongenta & tria genera mortis creata ſunt in mundo, ſicut dicitur*, ולמות תוצאות [*Et exitus mortis*, Pſal. lxviii. 20.] *vox* תוצאות *Arithmeticè eò numeri aſſurgit. Aſperrima mors inter omnia genera eſt* אסכרא; *facilima eſt* נשיקה. Ubi Gloſſa, אסכרא אסטראנגולמנט בלועז. *Iſcara vernaculè eſt Strangulament.* A doctis redditur plerunque *Angina*. *Gemara* aſperitatem ejus illuſtrat hoc ſimili, אסכרא רמיא כחיורא אגבנא רעמרא דלאחורי נשרא: *Eſt ſimilis ramis ſpinarum in vellere lanæ, quos ſi quis violenter à tergo vibret, impoſſibile eſt lanam ab iis non convelli. Schabb.* fol. 33. 1. in Gloſſa ſic definitur אסכרא מתחיל במעים וגומר בגרון: *Iſcara incipit in viſceribus, & deſinit in gutture.* Vide *Gemaram* ibi.

Cùm ergò *Judas* miſerrimâ ſtrangulatione periret, quippe quòd à Diabolo ſtrangularetur [quod obſervamus ſuo loco] non mirum, ſi nomini ejus inureretur hæc mortis infamia, ut vulgò diceretur *Judas Iſcariotes*, aut *Judas ille, qui perîit* מאסכרא *à ſtrangulatione.*

Ὁ καὶ παραδοὺς αὐτόν.

Obſervetur illud *Maimonidæ* in חובל ומזיק, cap. 8. *Prohibitum eſt, Iſraelitam in manus Ethnicorum prodere, vel quoad perſonam ſuam, vel quoad bona ſua*, &c. *Et quicunque Iſraelitam ità proderit, partem nullam habiturus eſt in mundo futuro.* Cum ſententia gentis locutus eſt *Petrus*, cùm dixit de *Juda*, *Abîit in locum ſuum*, Act. i. 25. Idem & *Baal Turim* de *Bileamo*; *Abîit Bileamus in locum ſuum*, Num. xxiv. 25. *hoc eſt*, inquit ille, ירד לגהנום *Deſcendit in Gehennam.*

VERS. 5. Εἰς πόλιν Σαμαρειτῶν μὴ εἰσέλθητε.

Privilegia ſua *Judæis* ſervata vult *Salvator*, uſque dum ipſi ea perver-

perverſitate ſuâ ac peccatis alienarent perderéntque. Nec gentibus nec *Samaritanis* prædicationem Evangeli indulget, ante oblatam eam genti *Iudaicæ*. Se filios *Iacobi* Patriarchæ jactârunt *Samaritani*, Joan: iiii. 12. (quod quidem non erat prorſus à veritate alienum) legem etiam *Moſaicam* ſunt amplexi, & *Meſsiam* indè edocti exſpectârunt æquè, ac *Iudæi*: eos tamen pro ovibus *Chriſtus* nihilò magìs agnoſcit, quàm ipſos *Ethnicos*.

I. E ſemine *Iacobi* quàm plurimi eorum quidem ſunt orti, profugæ ſcilicet facti, atque Apoſtatæ à gente *Iudaica* ac fide: atque odiis in eos ardentes pluſquàm *Ethnici*, ac pluſquàm in *Ethnicos*. Quod & inter alia in ipſiſſima eorum lingua forſan poſſit animadverti. Perlege enim verſionem *Pentateuchi Samaritici*, atque hoc, ni halluciner, obſervabis, *Samaritas*, cùm non poſſent ob locorum vicinitatem, & cognationem gentium, non uti linguâ *Iudæorum*, eâ tamen deflexione atque immutatione Dialecti uſos, ac ſi eadem cum eis loqui aſpernarentur, atque eandem linguam facerent non eandem.

II. Legem pari modo *Moſaicam* ſunt amplexi, ſed tam variatâ, ut plurimùm, vocabulorum ſcriptione, ut hoc ſibi planè propoſuiſſe videantur, ſe quidem, Legem *Moſaicam* retinentes, eâ quâ fieri potuit differentiâ à textu *Iudæorum Moſaico* habituros, modò ſenſum aliqualiter retinerent. *Dixit R. Eliezer ben R. Simeonis, Dixi ego Scribis Samaritarum, Falſificâſtis vos Legem veſtram, abſque ullo prorſus vobis inde accreſcente commodo. Nam in lege veſtra ſcripſiſtis* אצל אלוני מורה שכם, *Iuxta querceta Moreh, quæ eſt Sichem*, &c. [vox שכם additur] *Hieroſ. Sotah*, fol. 21. 3. & *Bab. Sotah*, fol. 33. 2. Videatur textus *Samariticus* ad *Deut.* xi. 30.

III. Utcunque religioni *Moſaicæ* ſtudere ſe præ ſe tulerunt, reverà parùm aut nihil aberant ab Idololatriâ, cùm neſcirent quid adorarent: quod iis objicit *Salvator*, *Ioan.* iv. 22. aeà vera religione *Moſaica*, non ſolùm Apoſtatæ receſſiſſent, ſed ei ſummo odio adverſarentur. Hinc eos pro *Ethnicis* habuit gens *Iudaica*, aut pro populo ipſis *Ethnicis* magìs execrando. Idololatriæ ipſorum ſic convitiatur *Rabbinus* quidam in *Hieroſ. Avodah Zarah*, fol. 44. 4. *Rabbi Iſmael ben R. Ioſi adìit Neapolin* [id eſt, *Sichem*] *acceſſerunt ad eum Samaritæ: quibus ſic ille, Video ego, quòd vos non*

adoratis hunc montem, ſed Idola quæ ſub eo: nam ſcribitur, Abſcondit Jacobus deos alienos ſub luco, qui juxta Sichem.

Diſputatur in tractatu *Shekalim Hieroſolymitano*, fol. 46. 2. num *Cuthæus* reputandus eſſet pro *Ethnico*? quod aſſeritur à *Rabbi*, negatur à *Simeone*; ſed concluditur quidem ſatis pro affirmativo.

IV. Secundâ Apoſtaſiâ laborabat *Samaritarum* Metropolis, eò adducta dolo & præſtigiis *Simonis Magi*, poſt receptum Evangelium ab ore ipſius *Salvatoris*. Confer *Actorum* capitis octavi verſum nonum cum *Joannis* capitis quarti verſu quadrageſimo primo.

Ex his omnibus & meritò ob rem ipſam, & ut *Judæorum* privilegia ſarta tecta ſervarentur, & nè iſti genti aliàs eſſet offendiculo, paralleli *Ethnicis* ſtatuuntur *Samaritani*, atque æquè diſtantes ab Evangelii participatione.

VERS. 9. Εἰς τὰς ζώνας ὑμῶν, &c.

Hæc, quæ à *Salvatore* Diſcipulis interdicuntur uſitatiſſima erant itinerantium viatica, quibus etiam addebant religioſiores librum Legis.

Jevamoth, cap. 16. halac. ult. *Profecti ſunt Levita quidam Zoarem civitatem palmarum: cúmque ex iis unus in via ægrotaret, adduxerunt eum ad diverſorium. Redeuntes ab hoſpitiſſa quæſiverunt de collega: Mortuus eſt, inquit ea, eúmque ſepelivi.* Et paulò póſt, הוציאה להם מקלו ותרמילו וספר תורה שה'יה בידו: *Ad eos protulit baculum ejus, atque ejus peram, librúmque Legis, qui fuerat in ejus manu.* Sic *Miſhnah Babylonica:* at *Hierolymitana calceos* etiam addit: & pro eo, quod in *Miſhnah* eſt תרמילו, in *Gemara* eſt אפונרתו.

Memoriâ etiam dignum eſt illud in *Beracoth*, cap. 9. halac. 5. לא יכנס להר הבית לא במקלו ולא במנעל ולא באפונרתו ולא באבק שעל רגליו: *Nè ingrediatur quis montem Templi cum baculo ſuo, nec cum calceis ſuis, nec cum crumena ſua, nec pulvere in pedibus ſuis.* Quæ à *Gemara* ſic reddúntur; *Nè ingrediatur quis in montem Templi, nec cum baculo in manu, nec cum calceis in pedibus, nec cum nummo ligato in linteo ſuo, nec cum crumena à tergo pendente.* וכפונרתו מופשלת לאחריו *Bab. Berac.* fol. 62. 2. ubi ſic Gloſſa, פונרתו אזור חלול שנותנין בו מעות פונרא *Eſt cingulum cavum* [vel *zona con-*

concava] *in quo reposuerunt nummos suos.* Vide *Aruch* in אפונרה & פונרד.

VERS. 10. Μὴ πήραν εἰς ὁδόν.

Syriaca versio, ולא תרמלא. Vox תרמיל & תורמל *Talmudicis* frequentissima.

Rambam in *Kelim*, cap. 16. halac. 4. תורמל *est pera coriacea, quam à collo suo appendunt pastores, in qua victualia sua reponunt.*

R. Sol. ibidem idem ferè dicit, nisi quòd pastoribus non appropriat. Idem ferè etiam *Aruch.*

Bab. Schabb. fol. 31. 1. Introducitur Proselytus sic dicens, *Si Israelita sacris appropinquans moriatur; quantò magis advena,* שבא במקלו ותרמילו *qui venit cum baculo suo, & pera sua.*

Μηδὲ δύο χιτῶνας.

Simplex tunica pauperiorem statum indicavit, duplex affluentiorem. Hinc consilium illud *Baptistæ*, Luc. iii. 11. Ὁ ἔχων δύο χιτῶνας μεταδότω τῷ μὴ ἔχοντι. Disputatur à *Babylonicis*, *Taanith*, fol. 29. 2. & *Moed Katon*, fol. 18. 1, quousque liceat vestes lavare בהולו של מועד in diebus festis Hebdomadæ festivæ, & concluditur, *ei licere,* שאין לו אלא חלוק אחד *cui una tantùm fuit tunica, eam lavare.*

Μηδὲ ὑποδήματα.

Calceos hìc intelligi, non *Sandalia*, patet ex *Marco*, capitis sexti versu nono, atque inter hæc discrimen statui satìs patet ex ipsissimis hisce locis. Cujus contrarium non sine admiratione lego apud *Bezam* in locum. *Sed tum ex hoc loco*, inquit ille, *tum etiam ex Actorum capitis duodecimi versu octavo, apparet Evangelistas inter* ὑποδήματα & σανδάλια *nullum posuisse discrimen, ut rectè observavit Erasmus.*

Audiantur de hac re Scholæ *Iudaicæ.*

Jevamoth, cap. 12. halac. 1, *Extractio calcei* [leviri, *Deut.* xxv. 9.] *recta est. Sandalii, si adsit ei calx, recta est; sin minùs, non recta.*

Hieros. ibi, fol. 12. 1. *Dicit R. Josi, Profectus sum Nisibin, vidique illìc seniorem quendam, dixique ei, Num bene nôsti R.*

Judam

Judam ben Betiræ? Ille autem, Nummularius ego ſum in civitate mea, atque adfuit ille ad menſam meam quàm ſæpiſſimè. Dixi ego, Num unquam eum diſcalceantem vidiſti, in quonam ille diſcalceat, Calceo, an Sandalio? Reſpondit ille, Numnam, ô Rabbi, ſunt Sandalia hìc apud nos? Unde ergò, inquam ego, dixit R. Meir אין חולצין במנעל *non diſcalceant calceo. Rabbi Ba. Rabh Iudah dicunt nomine Rabh, Si adveniret Elias, dicerétque, Extrahunt calceum leviri, auſcultent ei: ſi diceret, Extrahunt Sandalium, nè auſcultent ei. Et tamen ut plurimùm uſitatum eſt extrahere Sandalium: et conſuetudo valet contra traditionem.* Vide plura ibi, & *Bab. Ievam.* fol. 102. 1.

Usûs delicatioris fuerunt calcei, durioris atque utilioris ſandalia. מנעל של עור דק *Calceus erat è corio molliori*, סנדל של עץ קשה *Sandalium è duriori*, &c. Gloſſa in *Ievam. Bab.* fol. 101. 1. Erant etiam ſandalia, quorum ſolea, vel pars inferior, è ligno erat, ſuperior è corio, atque hæ clavis compaginatæ. Vide *Bab. Schabb.* fol. 60. 1. in Gloſſa. Erant etiam ſandalia quædam è juncis confecta, aut è cortice palmarum, &c. *Ioma*, fol. 78. 2. Diſcrimen etiam aliud inter calceos & ſandalia notabili hiſtoriâ illuſtratur in tractatu *Schabb.* loco jam citato. *Tempore quodam perſecutionis, cùm abſconderentur quidam in ſpelunca, dixerunt inter ſe; Qui ingredi vult, ingrediatur, nam circumſpiciet ille ante ingreſſum, nè conſpiciant eum inimici: at nè quis exeat; nam propè erunt forſan inimici, quos ille non videt jam exiens, & ſic omnes detegentur. Induit fortè quidam ex iis ſandalia ſua, inverſo modo: nam utrinque aperta fuerunt ſandalia, ità ut pedem ingerere poſſet vel à parte antè, vel à parte póſt: illo autem ſua inverſè induente, veſtigia egredientis viſa ſunt, ac ſi ingredientis, ſic detecta eſt latebra inimicis*, &c.

Interdicta ergò ſunt Diſcipulis à *Chriſto*, Nummus in zona, & viaticum in pera, 1. Ut illi, non ſoliciti de mundanis, curæ *Chriſti* ſe totos commendarent. 2. Ex Evangelio vivere eos oportuit, quod innuit ultimâ verſiculi hujus clauſulâ, *Dignus mercede ſuâ eſt operarius.* Quod ergò antè dixerat, *Gratìs accepiſtis, gratìs date*, prohibuit nè Evangelium lucri ergò prædicarent: non prohibuit victum, veſtitum, aliáque neceſſaria, ob prædicationem Evangelii recipere.

Interdi-

Interdicuntur duæ tunicæ & calcei, nè ſuperbiam mundanúmve faſtum aut morem delicatiorem omnino ſaperent, ſed ut potiùs habitum geſtúmque circumferrent quàm humilimum.

VERS. 11. Τίς ἐν αὐτῇ ἄξιος.

Talmudicè מי זכה

VERS. 14. Ἐκτινάξατε τὸν κονιορτὸν τῶν ποδῶν.

Pulverem terræ *Ethnicæ* ex contactu inquinare docuerunt Scholæ Scribarum.

Toſapht. ad *Kelim*, cap. 1. *Pulvis Syriæ inquinat æquè, ac pulvis aliarum regionum Ethnicarum.*

Bab. Sanhedr. fol. 12. 1. *Traditionalis quidam ait, Non afferunt olera è terra Ethnica in terram Iſraeliticam; at Rabbini noſtri permiſerunt.* מאי בינייהו *Quidnam inter hos diſcrepantiæ? R. Jeremiah dicit* חוששין לנושיהן איכא בינייהו *Cura de pulvere eorum eſt inter eos.* Gloſſa, *Cavent, nè cum oleribus apportetur aliquid de pulvere terræ Ethnicæ, qui inquinat in tentorio, & inquinat puritatem terræ Iſraelicæ.*

Id. *Shabb.* fol. 15. 2. *Ob ſex dubia comburunt Trumam: ob dubium agri in quo olim ſepulchrum; ob dubium pulveris allati è terra Ethnica;* &c. ubi Gloſſa, *Quia de omni pulvere terræ Ethnicæ dubitari poteſt, an non fuerit de ſepulchro mortui.*

Gloſſa in *Sanhedr:* fol. 5. 2. *Rabbi vidit Sacerdotem quendam ſtantem in parte quadam civitatis Aconis, quæ erat extra limites terræ Iſraeliticæ; dixit ei, Nonne iſta eſt terra Ethnica, de qua determinârunt, quòd immunda æquè eſt ac ſepulchretum?* Vide *Piſhe Toſaph.* in *Sanhedr.* cap. 1. artic. 30.

Ritus iſte ergò, excutiendi pulverem à pedibus, Diſcipulis præſcriptus hoc ſonat; Ubicunque vos non exceperit urbs *Iſraelitica*; cùm diſceditis, excutiendo pulverem à pedibus veſtris demonſtrate vos urbem iſtam, utcunque *Iſraeliticam*, pro *Ethnica*, profana, impura, reputare atque abominari.

VERS. 17. Ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν μαστιγώσουσιν ὑμᾶς.

Beza hìc, ut ſæpiſſimè, cùm locum enodare non poteſt, in ſuſpicionem ducit: nam ſic ille. *Cùm neque Synagogas alibi inveniam de judicii domibus dici, ut loquuntur Hebræi, neque in Syna-*

gogis fuiſſe ſumptas civiles pœnas, mihi ſuſpectum eſt hic locus. At ſine cauſa prorſus: nam

1. In unaquaque Synagoga erat triumviratus civilis: tres magiſtratus, qui judicârunt de rebus litigioſis intra Synagogam iſtam emergentibus; quod notavimus anteâ.

2. מכות בשלשה *Flagellatio erat per conſeſſum iſtum triumviralem. Sanhedr.* cap. 1. hal. 2.

Sic quinaria iſta flagellatio *Pauli* (2. *Cor.* xi. 24) fuit in Synagoga, id eſt, בבר' של שלשה Per conceſſum iſtum trium magiſtratuum, qualis erat in unaquaque Synagoga.

Obſcurius aliquantum eſt quod dicitur, Προσέχετε δὲ ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων, *Cavete verò vobis ab hominibus.* A quibuſnam aliis caverent? At videtur fortè vox ἄνθρωποι eo ſenſu occurrere, quo אנשי in his locutionum formulis אנשי כנסת הגדולה & אנשי בית דין &c. ſed non contendimus.

VERS. 23. Οὐ μὴ τελέσητε τὰς πόλεις τοῦ Ἰσραήλ, &c.

Non anteà civitates *Iſraelis* evangelizantes peragraveritis, quàm reveletur filius hominis per reſurrectionem ſuam. *Rom.* i. 4. Confer huc *Act.* iii. 19, 20. *Reſipiſcite igitur & convertite vos, ut deleantur peccata veſtra,* ὅπως ἂν ἔλθωσι, *ut adveniant tempora refrigerii* [nam vos refrigerium & conſolationem exſpectatis ſub *Meſsia*] *Et mittat priùs prædicatum vobis Jeſum Chriſtum,* & verſu 26. *Vobis primùm Deus, ſuſcitans filium ſuum, miſit eum benedicentem vobis,* &c. A reſurrectione *Chriſti* epocha *Meſſiæ.*

VERS. 25. Βεελζεβούλ.

Vide capitis duodecimi verſum viceſimum quartum.

VERS. 27. Ὃ εἰς τὸ ὠς ἀκούετε.

Obſervavimus antè, alludi hìc ad morem Scholarum, ubi doctor è Cathedra inſuſurravit in aurem interpretis, atque ille voce ſonorâ toti Scholæ reddidit quod in aure dictum.

Bab. Sanhedr. fol. 7. 2. *Dixerunt Judæ bar Nachmani* מתורגמניה דריש לקיש קום עליה באמורא *Interpreti Reſh Lachiſh Aſta ei pro expoſitore.* Gloſſa, *Ad enuntiandum expoſitionem*

ſitionem Synagogæ, מה שילחש לך *quam tibi inſuſurraverit.* Non poſſumus hìc non illud repetere, quod adduximus antè, quòd החכם לוחש לו לשון עברית *Doctor inſuſurravit ei in aure Hebraicé.* Et veſtigia aliqua hujus conſuetudinis non poſſumus non ſuſpicari fuiſſe morem iſtum in Eccleſia *Corinthiaca,* quem reprimit Apoſtolus, loquendi in Synagoga in lingua ignota.

Legimus in *Bab. Joma,* fol. 82. 2. de inſuſurratione in aurem facta alio ſenſu, fœminæ ſcilicet cuidam gravidæ, quæ odoratam carnem graviter expetîit. *Dixit ergò Rabbi* זילו לחושו לה *Ite, inſuſurrate ei, quòd eſt dies Expiationis* לחושו לה ואילחישא *Inſuſurrârunt ei, atque inſuſurrata eſt:* id eſt, Sedata, & quievit.

Κηρύξατε ἐπὶ τῶν δωμάτων.

Alluditur fortè ad morem iſtum, de quo *Bab. Shabb.* fol. 35. 2. Sexies tubâ cecinit Miniſter Synagogæ, veſperâ Sabbati, in tecto domûs excelſæ valde, ut indè omnibus innoteſceret de introitu Sabbati. Cantus primus, ut ceſſarent ab operibus ſuis in agris: ſecundus, ut ceſſarent à ſuis in urbe: tertius, ut accenderent lucernam Sabbaticam, &c.

VERS. 34. Μὴ νομίσητε, ὅτι ἦλθον βαλεῖν εἰρήνην, &c.

Quamvìs hæc verè intelligi poſſunt de diſſidiis inter fideles atque infideles propter Evangelium, quod notant interpretes omnes; propriè tamen, & primariò, quaſi digito monſtrant horrendas illas ſtrages, & bella civilia *Judæorum* inter ſe, qualia nec ulla unquam vidit ætas, nec audîit hiſtoria.

Bab. Sanhedr. fol. 99. 1. *R. Eliezar dicit, Dies Meſſiæ ſunt quadraginta anni, ſicut dicitur, Quadraginta annis vexatus ego per hanc generationem.* Et fol. 97. 1. *R. Juda dicit, In generatione iſta cùm filius Davidis advenerit, Scholæ erunt meretrices, Galilæa vaſtabitur, Gablan excidetur, & incolæ terræ* [Gloſſa, *Synhedrium*] *circumvagabuntur ab urbe in urbem, & miſericordiam non aſſequentur, ſapientia Scribarum fœtida erit, & qui peccare timent ſpernentur, erúntque facies generationis iſtius, ſicut facies canum, & deficiet veritas,* &c. Percurre hiſtoriam quadraginta iſtorum annorum à morte *Chriſti* ad exciſas *Hieroſolymas* (ut vul-

gò computantur) & ſtupens obſerves gentem in excidium ſui conjuratam, & mutuis cædibus & rapinis gaudentem, ſupra omne exemplum, atque uſque ad miraculum. Immiſſa certè cœlitùs hæc Phreneſis. Et primò, Meritò inſaniunt, qui ſapientiam Dei ſub pedibus ſuis, quoad potuerunt, conculcârunt. Et ſecundò, Minori vindictâ non potuit expiari ſanguis Prophetarum & *Chriſti*, pacem Evangelizantium. Dicas mihi, ô *Judæe*, unde iſte gentis tuæ in mutuam cædem furor, atque iſta maniæ monſtra, ultra omne exemplar. Num gratis inſanit gens in ruinam ſui? Divinam agnoſce vindictam in amentia ſupra humanam.

Diſſidia, lites, & pugnas gentis enumeranti occurrit, poſt diſſenſionem inter *Phariſæos* & *Sadducæos*, non minor inter *Shammæanos* atque *Hillelianos*: quæ eò uſque crevit, ut ad cædem & ſanguinem ſit perventum.

Hieroſ. in *Schabb.* fol. 3. 3. *Ad cameram Chananiæ ben Ezekiæ ben Garon acceſſerunt Shammæani atque Hilleliani, ut eum viſitarent: dirus fuit iſte dies, inſtar diei, quo factus eſt vitulus aureus. Shammæani aſtiterunt ab infrà, & quoſdam ex Hillelianis trucidârunt. Traditio eſt, ſex ex illis aſcendiſſe, reliquóſque illic aſtitiſſe cum gladiis & haſtis.*

In commune transiit Adagium, *Controverſias inter Diſcipulos Hillelis & Diſcipulos Shammæi dirimere non poſſe vel ipſiſſimum Eliam Thisbiten.* Determinatum de iis ſomniant per vocem cœleſtem, at minimè certè diremptæ diſſenſiones atque acrimoniæ.

Hieroſ. Beracoth, fol. 3. 2. *Priuſquam prodiret Bath Kol*, [in *Jabneh*] *ex æquo amplecti licuit vel decreta Scholæ Hilleliane, vel decreta Scholæ Shammæanæ. Prodîit tandem Bath Kol, & ſic locuta, Et horum & illorum verba ſunt verba Dei viventis, at certa rei determinatio eſt ſecundùm decreta Scholæ Hillelis. Et exinde quicunque tranſgreſſus fuerit decreta Scholæ Hilleliane, reus eſt mortis.*

Sic deciſa eſt controverſia, at non ſic extincta odia, & virulentiæ. Obſervo apud *Gemariſtas Hieroſolymitanos* vocem שמחי adhibitam pro *Shammæano*. [Vide *Trumoth*, fol. 43. 3. *Succah*, 53. 1. *Jom tobh*, fol. 60. 3, &c.] quam ego ferè ſuſpicor ex affinitate vocis שמחא, quæ *Anathema* ſignificat, ab *Hillelianis* efformatam in odium, ignominiam, & ludibrium *Shammæanorum*.

Cúmque

Cùmque ſemel iterúmque periclitantem à latronibus lego *R. Tarphonem*, eò quòd in quibuſdam ſequeretur ritum & morem Scholæ *Shammæanæ*, non ſuſpicari non poſſum, inſidias invicem his illis aſſiduè ſtructas, & molimina hoſtilia, mutuæ injuriæ perpetuò invigilantia.

Bab. Beracoth, cap. 1. halac. 3. *Dicit R. Tarphon, In via itinerans declinavi, ut recitarem Phylacteria ſecundùm ritum Scholæ Shammæanæ, & periclitatus ſum à latronibus. Dixerunt ei, Meritóque, eò quòd tranſgreſſus es verba Scholæ Hilleliana.* Deeſt hoc à *Miſhnah Hieroſolymitana.*

Hieroſ. Sheviith, fol. 35. 2. *R. Tarphon deſcendit comeſtum ficus de ſuo, ſecundùm Scholam Shammæanam: viderunt eum adverſarii, atque in eum calcitrârunt: cùm ſe periclitatum videret, Per vitam veſtram, inquit, nuntiate in domo Tarphonis, ut parata ſint ei indumenta ſepulchralia.*

Sic, quaſi cœlitùs Phreneſi tacti, inſaniunt in ſe invicem Doctores gentis & ab ipſis horum Scholis & cathedris fluunt non tam doctrinæ, quàm animoſitates, jurgia, cædes, & carnificinæ.

His addantur horrendæ iſtæ latronum, ſicariorum, zelotarum furores, rapinæ, cædes, ſtrages, crudelitatésque ſupra omne exemplum inter mortales, ſtupendæ: & ſi hæc iram ac vindictam divinam non ſapiant, quid unquam ſapuit?

CAP. XI.

VERS. 3. Σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἕτερον προσδοκῶμεν;

RAtio legationis *Joannis* ad *Chriſtum* aliquantò eſt obſcurior.

Primò, Non ex ignoratione *Chriſti* fuiſſe, eſt extra omnem controverſiam, cùm cœlitùs de illius perſona fuerat edoctus, cùm ille baptizaretur, cúmque iterúmque iterúmque clariſſimè ei atteſtatus fuiſſet, *Hic eſt agnus Dei*, &c.

Secundò, Nec legatio iſta certè, ut de perſona *Chriſti* ſatisfieret diſcipulis *Joannis:* nam indigniſſimi quidem erant diſcipuli tali magiſtro, ſi ei de illo docenti non crederent abſque ulteriori argumento.

Tertiò, Videtur ergò *Joannes* hac in re propriam incarcerationem reſpexiſſe, eóque reflexiſſe quæſtionem ejus, *Túne ille, qui venturus?* &c. Audierat miracula omnimoda ab eo edita, illuminatos cœcos, ſuſcitatos mortuos, ejecta Dæmonia, &c. Et quare ergò inter omnia non liberatus *Ioannes* è carcere? Hæſit, ut videtur, viro bono hic ſcrupulus, quare omnes à *Chriſto* beneficium ac ſolatium obtinent, me excepto? Eâ fortè laborabat lippitudine, quâ cum tota gente Diſcipuli *Chriſti*, de ejus regno, victoriis & triumphis terrenis: à quibus, heu quantum! hoc abfuit, quòd catenis vinctus jaceret præcurſor ejus, ac præcipuus miniſter. Si tu ille, de quo triumphante tanta prædicant Prophetæ; quare ego tam diu in carcere? Túne ille es? an alius exſpectandus, à quo iſta exſpectanda?

Duplici *Ioannis* quæſtioni duplicem reddit *Chriſtus* ſolutionem. Primò, Me eum eſſe, qui venturus, teſtentur hæc quæ perago. *Cæci viſum recipiunt, claudi ambulant*, &c.

Secundò, Quòd ad cauſam attinet præſentem *Ioannis*, qui aliquem exſpectat venturum, eum à vinculis populúmque à jugo hominum ſoluturum, Acquieſcat, inquit ille, in divina mea diſpenſatione, &, *Beatus eſt quiſque in me non fuerit offenſus*, utcunque ei omnia ex animo non fuerint, quæ in commodum præſens & corporale exſpectavit.

Et videntur verba *Salvatoris* verſu undecimo, correptionem tacitam erroris hujus in *Joanne* aliquam exhibere: *Minor verò in regno cœlorum major eſt eo.* Vocem μικρότερος bene reddit Vulgata verſio *Minor*, non *Minimus:* quaſi dicat, Dum egrederemini ad *Joannem* in deſertum, nec nugas exſpectâſtis, nec pompam terrenam [nec arundinem vento agitatam, nec hominem ſplendidè veſtitum] ſed ſeriò & ſolidè exſpectâſtis Prophetam: optiméque, nam ille Prophetarum, imò mortalium, maximus, quoad officium, ex hoc præ omnibus aliis nobilitatus, quòd Præcurſor ſit *Meſſiæ*. Sunt tamen qui eo quidem, quoad officium, ſunt longè minores in Regno cœlorum, aut Republica *Chriſti*, qui tamen eo majores ſunt, quoad cognitionem ſtatûs ac conditionis hujus regni. Comparatio certè hìc non fit, vel quoad officium, vel quoad dignitatem, vel quoad ſanctitatem, vel quoad æternam ſalutem: nam quiſnam, quæſo, *Baptiſtam* in his omnibus, vel in horum ullis, anteceſſit? ſed quoad cognitionis claritatem

tem [& perſpicuitatem in dijudicanda natura & qualitate Regni cœlorum. Perpendantur auſteritas vitæ *Joannis*, atque indicta Diſcipulis ſuis creberrima jejunia, quæque de utrisque dicat *Salvator*, & faciliùs credes, *Joannem* temporalem etiam redemptionem [ſecundùm univerſalem gentis conceptum] à *Meſſia* exſpectâſſe, non adeò translucidè de natura regni, & redemptione *Chriſti* dijudicantem. Faciliúsque adhuc hæc credes, cùm Diſcipulos ipſos *Chriſti*, diu cum eo verſatos, eodem modo cœcutiſſe hac ipſa in re obſervaveris.

VERS. 12. Ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν βιάζεται.

Et hæc etiam faciunt in Encomia *Joannis*. Nobiliſſimum illum fuiſſe Prophetam, ac miſſionis atque autoritatis non vulgaris fidem hæc faciunt; quòd ab ejus prædicatione & initium ſumpſerit regnum cœlorum, ac confertim ac catervatim adeò ſit eò protruſum ab infinitis cœtibus, ac ſi violenter arreptum regnum illud occuparent. Divinus populi æſtus, catervis tam innumeris ac fervore tam inundante eò ſe conferentis, divinam ſatìs arguit & docentis & doctrinæ dignitatem.

VERS. 14. Εἰ θέλετε δέξασθαι αὐτός ἐστιν Ἠλίας.

תקבלו אין Suſpicionem aliquam verba innuunt, eos hanc doctrinam non recepturos, quod & teſtatur pertinax gentis iſtius exſpectatio, *Eliæ* perſonaliter venturi, in hunc uſque diem. Quo fundamento nonnulli *Chriſtiani* idem ſentiant, ipſi videant. Vide notata ad capitis decimi ſeptimi verſum decimum.

VERS. 21. Ἐν Τύρῳ καὶ Σιδῶνι.

Civitates *Judæorum* confert cum civitatibus *Canaaniticis*, ſtirpis maledictæ. At hæ tamen civitates, execrandi ſeminis ac nominis, ſi virtutum inter vos editarum fuiſſent participes, non eò amentiæ atque perverſitatis, quò vos, obduruiſſent, ſed ab *Ethniciſmo* ſuo, & *Canaaniticiſmo*, reſipuiſſent in agnitionem Evangelii, aut ad pœnitentiam talem ſe recepiſſent, quæ vindictam averteret. Sic pœnitentia *Ninivitarum* utcunque ſalutaris non eſſet, conſervativa tamen erat, & civitatem ab impendente ira & flagello liberavit. Horrendiſſima hìc innuitur *Judæorum* pervicacia, ultra improborum improbiſſimos, ultra maledictorum maledictiſſimos.

VERS.

VERS. 22. Ἡμέρᾳ κρίσεως.

יום דינא. & יום דינא רבא. Formula loquendi *Judæis* uſitatiſſima.

VERS. 29. Τὸν ζυγόν μου.

Sic עול תורה *Jugum Legis.* עול מצוה *Jugum præcepti.* עול מלכות שמים *Jugum regni cœlorum.* Confer jugum grave *Solomonis* & *Roboami.*

CAP. XII.

VERS. 1. Ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ ἐπορεύθη ὁ Ἰησοῦς τοῖς Σαββάτοις διὰ σπορίμων.

DEterminatur tempus à *Luca* his verbis, Ἐν σαββάτῳ δευτερο-πρώτῳ, id eſt, *Sabbato à ſecunda-primo.*

I. Lege divinâ cautum eſt, ut offerretur manipulus primitialis ſecundâ die Hebdomadæ Paſchalis. *Levit.* xxiii. 10, 11. ממחרת שבת יניפנו הכהן *Craſtinâ Sabbati ventilabit* [vel *agitabit*] *eum Sacerdos.* Non craſtinâ Sabbati Hebdomadis ordinarii, ſed craſtinâ poſt diem primum Hebdomadæ *Paſchalis*, qui dies fuit *Sabbaticus. Exod.* xii. 16. *Levit.* xxiii. 7. Hinc LXX Ἐπαύριον τῆς πρώτης. *Chald.* בתר יומא טבא *Poſt diem feſtum. R. R. Sol.* & *Menachemus* ממחרת יום טוב הראשון של פסח *Craſtinâ à primo die feſti Paſchatis:* de quo fuerat mentio verſiculis antecedentibus.

II. Jam verò à die iſto *Paſchalis* ſolennitatis ſecundo, quo offerebatur manipulus, enumerabantur ſeptem ſeptimanæ ad *Pentecoſten.* Nam mutuò atque invicem ſe reſpexerunt dies manipuli & dies *Pentecoſtes.* Die enim hâc *Paſchatis* ſecundâ, oblatio manipuli ſupplicatoria erat & precatoria, benedictionem impetrans frugibus novis, veniámque eas comedendi, & falcem in ſegetes immittendi. Oblatio autem panum primitialium die *Pentecoſtes* [*Levit.* xxiii. 15, 16, 17.] gratiarum actionem ſpectabat, ob feliciter peractam

peractam, & congeſtam meſſem hordeaceam. Hâc ergò relatione concatenatæ erant duæ hæ ſolennitates, ut utraque meſſem reſpiceret; illa ineuntem, hæc finitam; hæc ab illa dependeret, & poſt ſeptem ab ea Hebdomadas numeraretur. Computatio ergò temporis intercedentis non potuit non memoriam diei iſtius ſecundi Hebdomadæ *Paſchalis* ſecum ferre, atque hinc vocatur Pentecoſte *Feſtum Hebdomadum*, Deut. xvi. 10. Nec potuit aliter temporis interlabentis verus calculus retineri quoad Sabbata, quàm ſic numerando, *Hoc eſt* Σαββάτου Δευτερο-πρῶτον, *Sabbatum à ſecunda die Paſchatis primum. Hoc eſt*, Δευτερο-δεύτερον, *A ſecunda iſta die ſecundum:* & ſic de ceteris. In *Hieroſ. Demai*, fol. 24. 1. vox שבת פרטוגמיא *Sabbatum* πραγματείας, eſt compoſitionis non admodùm diſſimilis.

Cùm per dies, & non per ſeptimanas, numerarent, inceptus eſt calculus à die manipuli. *Iuchaſin*, 36. 1. *Mortuus eſt magnus diſcipulorum quorundam numerus inter Paſcha & Pentecoſten, ob non exhibitum inter ſe mutuum officium. Eſt ubi dicatur, obîiſſe illos diebus quindecim ante Pentecoſten, hoc eſt triginta tribus à manipulo.*

Ad finem *Midras Samuelis* qui apud me eſt ſic concluditur, *Finitum eſt hoc opus die triceſimo tertio à manipulo.*

III. Addito ergò à *Luca* hoc vocabulo, Δευτερο-πρώτῳ, oſtenditur, 1. Fuiſſe hoc Sabbatum primum à ſecunda die *Paſchatis:* proindéque, ſecundùm hiſtoriæ Evangelicæ ſeriem, vel iſtud ipſum *Sabbatum*, quo ſanatus eſt Paralyticus ad natatoriam *Bethesdæ*, *Ioan.* v. vel *Sabbatum* ab iſto proximum. 2. Ariſtas haſce à Diſcipulis convulſas fuiſſe hordeaceas: heu quantum ab iſtis dapibus diſtantes, quibus Sabbato luxuriari pro conſuetudine non ſolùm habitum eſt à *Iudæis*, ſed & pro religione! Audi culinarem & patinariam eorum Gloſſam in illud Prophetæ *Eſaiæ*, cap. lviii. 13. *Vocabis Sabbatum oblectamentum: Prohibitum eſt*, inquiunt, *jejunare Sabbato: At verò è contrà tenentur homines cibo & potu ſe oblectare. Nam lautiùs convivandum eſt Sabbato quàm diebus aliis: ſummèque ille eſt laudandus, qui dapes in iſtum diem parat maximè opiparas. Ter Sabbato eſt comedendum, & de hoc monendi ſunt omnes. Et vel ipſi pauperes, qui ex Eleemoſynis victitant, ter comedant Sabbato. Qui enim ter Sabbato convivatur liberabitur à calamitatibus Meſſiæ, à judicio Gehennæ, & à bello Gog & Magog. Maimonid Schabb.* cap. 30. *Kimchi* in *Eſai.* lviii. *Quibus venter Deus*, Philip iii. 19.

IV. At num maturæ ſegetes ad feſtum *Paſchatis?*

Reſpond. 1. Satio hordei fuit illico poſt medium menſis *Marheſhvan*, id eſt, circa ineuntem *Novembrim* noſtrum. *Bab. Berac.* fol. 18. 2. *Audivit ſemen, ad pluviam primam ſatum, grandine perditum: ivit ille & ſeminavit ad pluviam ſecundam*: &c. *cúmq; omnium aliorum ſementum grandine periret, illius ſementum non periit.* In quæ ſic Gloſſa. *Pluvia prima erat decimo ſeptimo die menſis Marheſhvan: ſecunda, die ejusdem menſis viceſimo tertio: & tertia erat in initio menſis Chiſleu. Cùm ergò deſcenderet grando, illud quod ad pluviam primam ſatum eſt aliquantò jam obduruerat, atque ità à grandine eſt fractum; at ſatum ad pluviam ſecundam ob mollitiem ejus non frangebatur*, &c. Satum ergò ineunte jam hyeme hordeum, ac aeris clementiâ per hyemem creſcens, adventante jam *Paſchate*, ad maturitatem pervenerat: ità ut ab iſto tempore [oblato tunc manipulo] initium ſumeret meſſis hordeacea.

2. Quòd ſi, cùm juſtum adventaret tempus *Paſchatis*, hordea non maturuerant, addito ad annum iſtum menſe embolimæo, exſpectatum eſt, uſque dum matureſcerent. *Ob tria enim intercalabant annum, ob æquinoctium, ob fruges recentes, atque ob fructus arborum. Nam computant Seniores Synhedrii obſervántque, ſi futurum eſt æquinoctium vernum, decimo ſexto die menſis Niſan, aut ulteriùs, tunc annum iſtum intercalant, Niſánque iſtum faciunt Adar ſecundum; ità ut occurrere poſſit Paſcha ad tempus frugum recentium: vel ſi obſervant quòd non adſint fruges recentes, quódq; non germinaverint arbores, germinare ſolitæ, tum annum intercalant*, &c. *Maimon.* in *Kiddush Hodeſh.* cap. 4.

Hujus rei exemplum habes, *Hieroſ. Maaſar Sheni*, fol. 56. 3. & *Sanhedr.* fol. 18. 4. & *Bab. Sanhedr.* fol. 11. 2. *Rabban Gamaliel cum Senioribus Synhedrii magni, fratribus noſtris in Judæa & Galilæa, &c. Salutem. Innoteſcat vobis, quòd cùm agni ſint teneri nimis & columbæ implumes, & non adſint fruges recentes, viſum eſt nobis huic anno addere dies triginta*, &c.

Οἱ δὲ μαθηταὶ αὐτῶν ἐπείνασαν.

Jejunos eos adhuc tenuerat gentis conſuetudo, quemvis non paſſa, ſi non ægrotum, quicquam guſtare Sabbato, ante peractas in Synagoga preces matutinas: jámque indè itum eſt ad prandium.

Ac

Ac diebus etiam profeſtis, idque tempore pomeridiano, Canonibus cautum eſt, *Nè quis ab opera ſua domum veſpere rediens, vel edat, vel bibat, vel dormiat, ante fuſas ab eo in Synagoga preces. Piske Toſaph.* in *Berac.* cap. 1. art. 4. & *R. Aſher* ibid.

De viis per ſata publicis aut privatis legat, cui vacat, *Peah* cap. 2.

VERS. 2. Ποιοῦσιν ὃ οὐκ ἔξεστι ποιεῖν ἐν Σαββάτῳ.

De re ipſa non litigant, quia licita, *Deut.* xxiii. 25. ſed de re patrata *Sabbato.* De qua ſic Patres Traditionum. קוצר גרוגורת חייב ותולש תולדות קוצר *Metens Sabbato vel tantillum, reus eſt. Et vellere ſpicas eſt ſpecies meſſionis. Et quicunque aliquid decerpit à germinatione ſua, reus eſt ſub nomine metentis. Maimon. Schabb.* cap. 8. At quonam reatu tenebatur? Dixerat hoc antè, ad initium capitis ſeptimi, his verbis: *Opera, per quæ reus fit homo lapidationis, atque exciſionis, ſi ex præſumptione ea faciat, ſacrificii autem pro peccato ſi ex ignorantia,* מהן אבות ומהן תולדות *ſunt vel primitiva vel derivativa.* Ex primitivis, vel generibus, enumerantur triginta novem, *Talm. Shabb.* cap. 7. Arare, ſerere, metere, manipulos colligare, triturare, cribrare, commolere, pinſere, &c. tondere oves, lanam tingere, &c. תולדות Derivativa, vel ſpecies iſtorum generum, ſunt ea, quæ ejuſdem cum iis ſunt claſſis & ſimilitudinis. Exempli gratiâ, Foſſio eſt ejuſdem generis cum aratione; olerum in fruſtula diſſectio ejuſdem claſſis cum commolitione; & ſpicarum avulſio ejuſdem rationis cum meſſione. Cauſam ergò Diſcipulorum eò ardentiùs agit *Salvator*, quia jam de capite agebatur: ad lapidationem namq; eos ob rem patratam adjudicabant Canones Scribarum, ſi modò ex præſumptione id fieri probaretur. Hinc itaque defenſionem ſuam orditur, hoc ex neceſſitate à Diſcipulis, ſtimulante fame, fieri, non ex legum contemptu.

VERS. 3. Δαβὶδ, καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ.

Comparativè enim intelligenda ſunt verba *Achimelechi*, *Quare tu ſolus, & nemo tecum?* id eſt, comparatè, ad nobilem illam catervam, quibus ſtipatus incedere conſuevisti, & quæ Ἀρχιστράτηγον decet *Iſraelis. Nobam* acceſſit *David* non fugientis more, ſed ora-

culum ſcitaturi de eventu belli, ad quod ex mandato Regis proficiſci præ ſe ferebat. Ad bellum ergò, aut ſtratagema aliquod accelerandum, properare ſe ſimulans ſimulat etiam ſe exercitum ad locum aliquem amandâſſe, ſe autem ipſum eò diverſum, ut Deum adoraret, & de exitu rei ſcitaretur: pauculos tantùm è fideliſſimis miniſtros ſecum adduxiſſe, quibus eſurientibus pauculos panes impetrat.

Ὅτε ἐπείνασαν.

Audi hìc *Kimchium* veterum de hac hiſtoria ſententiam ſic proferentem. *Dicunt Rabbini noſtri, b. m. quòd panes propoſitionis dedit ei, &c. Interpretatio etiam clauſulæ* ואף כי היום יקרש בכלי *hæc eſt. Parùm eſt dicere, licere nobis panes hos à coram Domino amotos comedere, cùm famelici ſimus & eſurientes; nam & hunc ipſum panem, qui jam apponitur, qui etiam in vaſe ſanctificatur* [*nam menſa ſanctificat*] *etiam hunc comedere liceret, cùm tibi non adſit panis alius, quem des nobis, nósque famelici ſimus & eſuriamus.* Et paulò póſt, *Non eſt quod curæ de vita obſtet, præter Idololatriam, Adulterium, & Homicidium.*

Quadrant hæc optimè cum vi argumenti *Salvatoris*, at verò cum genuino clauſulæ iſtius ſenſu, ut videtur, non bene quadrant. Ego aliter bona cum venia reddiderim, hoc tantùm priùs præfatus, Non improbabilis eſt conjecturæ, *Davidem Nobam* acceſſiſſe vel ipſo Sabbato, vel Sabbato jam tantùm elapſo. *Non enim edendi erant panes propoſitionis, niſi in diem unum, & noctem unam, Sabbato ſcilicet & exitu Sabbati. Acceſſit ergò illuc David, in exitu Sabbati. R. Eſaias* in I *Sam.* xxi. Et jam ego *Davidis* verba ſic reddo. *Cohibitæ ſunt à nobis mulieres nudiustertiùs,* [ità ut nulla apud nos ſit immunditia ex contactu menſtruoſæ] *& ſancta fuerunt vaſa adoleſcentum etiam in via communi:* [id eſt, dum more & itinere communi proficiſceremur] *multò ergò magìs ſanctè illis eſt, quoad vaſa, hoc die* [Sabbato]. Atque in hunc ſenſum fortè redit illud דאג נעצר לפני יהוה *Erat autem illìc quidam ex ſervis Sauli die illo detentus coram Domino.* Adduxerat eum reverentia Sabbati adoraturum, & adhuc eum illìc detinuit.

VERS. 5. Οἱ ἱερεῖς ἐν τῷ ἱερῷ, τὸ Σάββατον βεβηλοῦσι, καὶ ἀναίτιοί εἰσι.

עבורה שהיא לשם קדושים אין עבורה: *Opus servile quod fit in sacris non est servile. Hieros. Shabb.* fol. 17. 1.

Eadem opera, quæ in Templo præstita sunt diebus aliis, præstita sunt etiam Sabbato. Et אין שבות במקדש כלל *Non est Sabbatismus in Templo omnino. Maimon.* in *Pesach*, cap. 1.

VERS. 8. Κύριός ἐστι καὶ τοῦ Σαββάτου ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου.

I. Ipsissimum hoc argumentum cavillationibus eorum opponit, coram Synhedrio, *Joann.* v. Cùm in jus vocatur de sanando Paralytico, hoc ipso Sabbato, vel Sabbato proximè antecedente: dominium suum in Sabbatum ex hoc ipso ostendit, quòd eâdem autoritate, potestate, & honore, vestitus & decoratus sit ille *Filius*, quoad Novi Testamenti administrationem, quâ *Pater*, quoad Veteris.

II. Duplici sub lege *Adamo primo* incubuit cultus Sabbati, pro duplici ejus conditione. 1. Ante lapsum sub lege naturali in corde scripta, sub qua Sabbatum coluisset, si permansisset innocuus. Atq; ad hoc, non indignum est observatione, quòd quamvis non advenerit dies septimus ante ejus lapsum, memoretur tamen institutio Sabbati ante historiam lapsûs. 2. Post lapsum, sub lege positiva. Nam, cùm peccâsset ille die sexto, advenirétque septimus, non jam sub nuda lege naturali ad eum celebrandum tenebatur; sed pro mutata *Adami* conditione, mutatâ etiam non parùm conditione Sabbati, superinducebatur ei de celebrando Sabbato lex nova & positiva. Non injucundum erit pauca è magistris *Judæorum* de primo isto Sabbato adduxisse.

Circumcisio, inquit R. Judah, & Sabbatum fuerunt ante Legem. Midr. Tillin, fol. 15. 3. Quantum autem retrò ante Legem? Audi *Baal Turim* in *Exod.* i. *Redempti sunt* [inquit] *Israelitæ ex Ægypto ob observatam illìc circumcisionem, & Sabbatum.* Imò & ulteriùs retrò, *Hæreditas Iacobi promittitur sanctificantibus Sabbatum, quia ipse sanctificavit Sabbatum. R. Sol.* in *Esai.* lviii. 14. Imò & adhuc ulteriùs retrò, usque ad initium mundi. *Canticum in mundo primum fuit, cùm Adamo remitteretur peccatum: cùmque ingrederetur Sabbatum, os suum aperuit atque edidit Psalmum Sabbati. Targ.* in *Cant.* i. Sic etiam *Targum* in titulum *Psalmi* xcii.

Pſalmus, aut Canticum, quod compoſuit Adamus de Sabbato. In quem *Pſalmum* ſic inter alia *Midras Tillin*, *Quidnam creavit Deus die primo? Cœlum & terram. Quid ſecundo? Firmamentum, &c. Quid ſeptimo? Sabbatum: cùmque Sabbatum non in opera ſervilia creârat Deus, in quæ reliquos creaverat dies Hebdomadis, ideo de eo non dicitur, ità ut de diebus aliis, Et fuit veſper & fuit mane dies ſeptimus.* Et paulò póſt, *Creatus fuit Adamus veſpere Sabbati: ingreditur Sabbatum, cùm ille jam peccâſſet, atque advocatum ejus egit apud Deum*, &c.

Bab. Sanhedr. fol. 38. 1. *Adamus creatus eſt veſpere Sabbati, ut illico ſubiret præceptum*, &c.

III. Cùm ergò poſt lapſum inſtitutum ità fuit Sabbatum, legéque & conditione, quæ Chriſtum jam promiſſum, hominíſque lapſum reſpexit, non potuit Sabbatum non ſub poteſtate & dominio filii hominis, id eſt, ſeminis promiſſi ſubjici, ab eo ordinandum & diſponendum, prout ipſi viſum ac proviſum fuerit, in honorem ſuum, atq; hominis emolumentum.

VERS. 10. Ἐι ἔξεστι τοῖς Σάββασι θεραπεύειν;

Non tam quærentium eſt, quàm negantium. Hæ enim fuerunt eorum in iſta cauſa determinationes. *Sani medicinam nè adhibento Sabbato. Lumbis æger nè oleo & aceto locum affectum ungat: aſt oleo licet, modò non roſaceo, &c. Dolens dentibus acetum nè abſorbeat, iterum exſputurus: aſt abſorbere licet, modò deglutiat. Gutture dolens oleo nè gargarizet: aſt oleum deglutire licet, unde ſi ſanetur, bene eſt. Nè maſtichen quis maſticet, aut dentes aromatibus confricet in medelam; ſi verò hoc faciat in ſuaveolentiam oris, permittitur. Vinum oculo dolenti non indunt. Fomentationes, aut olea, loco affecto non applicant*, &c. *Maimon.* in *Schabb.* cap. 21. Quæ omnia, utcunque ſanationi à *Chriſto* peractæ [verbo tantùm] extra metas fuerint, anſam tamen iis cavillandi præbuerunt, qui quidem in iſtiusmodi altercationem jurati fuerunt, hujus inſuper Canonis additâ anſâ, *Hoc certè obtinet, quòd quodcunque poſſibile factu fuit veſpere Sabbati, non pellit Sabbatum. Talm. Shabb.* cap. 19. In quem ſenſum ille, *Luc.* xiii. verſu 14.

Videat Lector, ſi vacat, quoſnam morbos periculoſos judicent, quibúſque adhibenda medicina Sabbato, in *Hieroſ. Avodah Zarah*, fol. 40. 4.

VERS.

VERS. 11. Ἐὰν ἐμπέσῃ πρόβατον τοῖς Σάββασιν εἰς βόθυνον, &c.

Pro Canone fuit חום על נכסיהן של ישראל *Tenerè admodùm curandum eſſe de bonis Iſraelitæ. Hieroſ. Jom tobh*, fol. 62. 1. Hinc,

Si beſtia incidat in foveam, aut in ſtagnum aquarum, alimenta ei in iſthoc loco miniſtret [poſſeſſor] *ſi poſſit: ſin minùs, pannos & ſtramenta afferat, & beſtiam ſuffulciat; unde, ſi poſſit aſcendere, aſcendat*, &c. *Maimon.* in *Schabb.* cap. 25.

Si beſtia atque ejus fœtus incidant in foveam die feſto, R. Lazar dicit, Priorem elevet, eo fine ut occidat, & occidat: alteri autem pabulum miniſtret, in iſto loco nè moriatur. R Joſhua dicit, Elevet priorem, eo fine ut occidat, quamvìs non occidat: elevet etiam alteram, quamvìs in animo non ſit eam occidere. Hieroſ. ubi ſuprà.

VERS. 16. Ἵνα μὴ φανερὸν αὐτὸν ποιήσωσι.

At hoc, non omnino quòd laborantes ſanare refugeret, nec ſolùm quòd plauſum populi fugeret, ſed quòd ſeipſum occultatum vellet ab iis, qui eum nollent cognoſcere. Eodem refert hæc prohibitio, quò & ejus parabolica prædicatio, *Matth.* xiii. 13. *Per parabolas loquor iis, quia videntes non vident.* Noluit ab illis ſciri, qui noluerunt eum ſcire.

VERS. 20. Κάλαμον συντεθλιμμένον οὐ κατεάξει.

Applicanda ſunt hæc verba, ut ex præcedentibus patet, ad ſilentem *Salvatoris* rerum ſuarum tranſactionem, abſque applauſûs venatione, jactantiæ ſtrepitu, aut bombis famæ. Non tantum ſtrepitûs edet, quantum fit ex fractione arundinis jam contritæ & ſemifractæ, aut ex ſibilo lini fumigantis tantùm, injectâ aquâ. Quàm longè diſtat *Meſſias* ſic deſcriptus à *Meſſia* expectationis *Judaicæ*! Et tamen *Eſaiam*, è quo deſumuntur hæc verba, de *Meſſia* loqui ſatìs patet, & fatentur *Judæi*.

Ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν.

Hebr. & LXX apud *Eſaiam*, *Proferet judicium ad veritatem.* Verba utrobique hæc volunt. *Chriſtum* in mundo ſonitum aut ſtrepitum pompæ, plauſûs, aut faſtûs, non editurum ullum; ſed in humili-

humilitate, ſilentio, paupertate & patientia, res ſuas acturum, & dum ipſe eſſet in terris & per Apoſtolos poſt ejus aſcenſionem, contemptu, paupertate & perſecutione laborantes: tandem verò, *prolaturum eum Judicium ad victoriam*, hoc eſt, Judicem, vindicem, victorem prorupturum ac ſe exhibiturum in gentem iſtam *Judæorum* nequiſſimam, à qua talia paſſi ſunt & ipſe & ſui. Ac tunc etiam *Judicium protulit ad veritatem*, & ſe verum *Meſſiam*, filiúmque Dei, coram oculis omnium aſſeruit, veritatémque Evangelii confirmavit, cauſam ſuam ab inimicis ſuis ulciſcendo, modo tam conſpicuo, & tremendo. Atque hinc eſt, quòd prolatio, atque executio iſta Judicii in iſtam gentem in Novo Teſtamento ſemper ferè vocetur *Adventus ejus in gloria*. Cùm nempe tam diu delituiſſet *Chriſtus*, atque ejus regnum, ſub velo humilitatis, & ſub perſecutionis nube: prorupit tandem ultor, & gentem iſtam perſecutricem excidit, victorémque ſe exhibuit præ oculis omnium, & *Judæorum* & *Gentium*. Obſervetur in textu ſub manibus, ut poſt mentionem iſtius Judicii & victoriæ [in *Judæos*] illico ſequatur, *Et in nomine ejus Gentiles ſperabunt*.

VERS. 24. Ἐν τῷ Βεελζεβὰλ ἄρχοντι τῶν Δαιμονίων.

Ad ſenſum horrendæ hujus blaſphemiæ eruendum hæc obſervatione digna,

I. Apud *Judæos* pro religione ferè habitum fuiſſe, Idolis atque Idololatriæ convitiari, atque indere nomina probroſa.

Hieroſ. Avodah Zarah, fol. 43. 3. *R. Akibah dicit, Polluit Idololatria ſicut polluit fœmina menſtruoſa: ſicut dicitur*, Abjicies [Idolum] ſicut quid menſtruatum, dicésque ei, Apage. [*Eſai.* xxx. 22.] *R. Lazar dicit, Dices ei, Apage: Illud quod vocant Faciem Dei*, [Vide *Strabonem*, lib. 16. pag. apud me 874.] *vocent Faciem Canis. Illud quod vocant* עין כוס *Fontem calicis, vocent* עין קוץ *Fontem Tædii* [vel *tribularum*.] *Illud quod vocant* גדייה *Fortunam, vocent* גלייא *Fœtorem, &c. Illud oppidum, quod aliquando dictum eſt Bethel, dictum poſtea eſt Bethaven.* Vide etiam *Shabb.* fol. 11. 4. ubi hæc eadem habentur.

„*Bab. Sanhedr.* fol. 93. 2. כל ליצנותא אסירא חוץ מליצנותא דעו *Omnis irriſio prohibetur præter irriſionem Idololatriæ.* Repetitur hoc etiam in *Megillah*, fol. 25. 2. Ubi hoc additur, *Licet Judæo*

Judæo dicere Cuthæo, "חיו בשין" אנחירה לע"ז שקליה *Accipe Idolum tuum, & repone sub clunibus.*

II. Inter nomina probrosa Idolis indita generale & commune fuit זבול *Stercus*, vel *Stercorarium.*

Hieros. Beracoth, fol. 12. 2. אפילו אותם שפשטו ידיהם בזבול יש להם בטחון *Etiam illis, qui manus suas extenderunt in Stercorario* [id est, in Idoleo, vel Idololatria] *est spes. Illos adducere* [in Ecclesiam] *quia manus suas expanderunt* בזבול *in Stercorario, non potes: atqui eos rejicere non potes, quia egerunt pœnitentiam.* Et paulò pòst, רואה אותם מזבלין לע"ז וגו' *Qui videt eos stercorantes* [id est, sacrificantes] *Idolo, dicat, Sacrificans diis alienis sit Anathema.*

Vocem hanc ergò in *Matthæo* in *Beelzebub* forment ii, quibus est audacia; ego *Pharisæos* vocem *Beelzebul* enuntiâsse, *Matthæúm*que ità scripsisse, ità non dubito, ut vacillare sensum, si aliter scribatur, etiam non dubitem.

III. Occurrunt apud *Talmudicos* nomina plurima malorum spirituum, aut Dæmoniorum, quæ hìc memorare esset inanius. Inter omnia Dæmonia Dæmona istum pessimum, turpissimum, ac ceterorum quasi principem duxerunt, qui dominatus est in Idolis & per quē edita sunt oracula & miracula apud Ethnicos atque Idololatras. dque hac ratione sunt opinati, quòd præ rebus omnibus aliis summè nefariam ac abominandam duxerunt Idololatriam, ac malorum principem ac Coryphæum. Hunc dæmona *Baal Zebul*, בעל זבול non tam proprio nomine, quàm generali & communi appellârunt, id est, *Dominum Idololatriæ*, [Rei pessimæ Dæmonium pessimum] eúmque *Principem Dæmoniorum* indigitârunt, quòd princeps nequitiæ sit Idololatria.

Occurrit historia *Hieros. Peah*, fol. 21. 2. ubi memoratur רבהון דרוחיא: an in hoc sensu videat & judicet Lector. Item apud *Aruch* ex *Rabboth*, שירא אשמרון רבהון דרוחתא *Dæmon Asmodæus princeps spirituum.*

IV. *Talmudici*, à patribus his suis edocti, *Jesum Nazarenum*, Dominum nostrum, horrendâ blasphemiâ Magum prædicant, cultûs alieni ac nefarii inductorem, & per potentiam Diaboli miracula edentem, ut cultui isti fidem ac honorem conciliaret.

Bab. Schabb. fol. 104. 2. *Ben* סטדא *Satdæ exportavit magias ex Ægypto per cæsuras, quas fecerat in carne sua.* Per בן סטדא *Jesum Nazarenum* intelligunt, ut diximus anté; quem eo nomine dedecorant, ut uno vocabulo & halitu ei, & matri ejus simul, convitientur. Nam סטדא *Satda* aut *Stada* idem sonat, quod *uxor adultera*, quod paucis lineis interjectis demonstrat *Gemara*, סטת דא מבעלה *Declinavit ea à marito.* *Jesum* cum *Jesua ben Perachia* in *Ægyptum* commigrâsse, iram & gladium fugiente *Jannæi* regis, comminiscuntur in *Sanhedr.* fol. 107. 2. [quod memoravimus ad caput secundum] atque illinc magicas præstigias secum reportâsse, at sub incisa cute, nè à magis *Ægyptiis* deprehenderetur, qui omnes è terra ista egredientes accurato scrutamine explorârunt, nè quis artem eorum magicam in terram transportaret alienam. Atque ibi hæc horrenda addunt, ישו כשף והסית והריח את ישראל *Jesus magicam exercuit, & decepit, atque ad Idololatriam adegit Israelem:* quod & antè recitatur in eodem tractatu, fol. 43. 1. *Vespere Paschatis*, inquiunt, *suspenderunt Jesum, & mortem ejus præcessit præco per quadraginta dies sic dicens, Egreditur ille lapidandus, eò quòd præstigiis usus est, & decepit, atque ad Idololatriam adegit Israelem.* Latrant catuli isti, sicut à canibus his edocti fuerunt.

Huc ergò recidit *Pharisæorum* hæc blasphemia; ac si dicerent, Ejicit iste quidem Dæmonia, ast hoc, adjuvante Diabolo idolis prædominante, atque inhabitante, Diabolorum omnium pessimo: quem sibi propitium atque auxiliatorem habet, eò quòd populum à cultu Dei vero ad cultum alienum impellere ambit.

VERS. 25. Ἐιδὼς δὲ ὁ Ἰησοῦς τὰς ἐνθυμήσεις αὐτῶν.

En tibi, ô *Pharisæe*, signum veri *Messiæ*, etiam quod optas! Subolet ei improbus.

Bab. Sanhedr. fol. 93. 2. *Scriptum est de Messia, Requiescet super eum spiritus Domini,* "והריחו ביראת ה *& odorare eum faciet in timore Domini. Dixit Rabba, Odorabit & judicabit, sicut dicitur, Non per conspectum oculorum judicabit,* &c. *Ben Cozba regnavit annos duos & dimidium, dixitque Rabbinis, Ego sum Messias: Dixerunt ei, De Messia scribitur, quòd odorabit, & judicabit;* [Glossa, *Subolebit ei de homine, & judicabit, & cognoscet*

ſcet num reus ſit] *videamus nos, num odorare tu poſſis, & judicare.* כיון דחזיית דלא מריח ודאין קטילוה *Cúmque viderent non poſſe eum odorare, ac judicare, interfecerunt eum.*

VERS. 27. Οἱ υἱοὶ ὑμῶν ἐν τίνι ἐκβάλλουσι;

Per *Filios veſtros* videtur *Chriſtus* intelligere Diſcipulos aliquos *Phariſæorum*, hoc eſt, nonnullos è *Judæis*, qui exorciſmis uſi videbantur Dæmonia ejicere; quales illi *Actor.* xix. 13. & tamen à ſuis non audîerunt, *Vos ejicitis Dæmonia per Beelzebul.* Obſervatione dignum eſt, quòd *Chriſtus* illico dicit, *Si verò ego per ſpiritum Dei ejicio Dæmonia, tum pervenit in vos regnum Dei.* Quid enim hoc aliud ſonat, quàm *Chriſtum* primum fuiſſe, qui ejiceret Dæmonia? [quod ſignùm iis indubitatum adveniſſe jam regnum cœlorum.] illud autem, quod ab iis præſtitum per exorciſmos, non tam ejectio Dæmonum erat, quàm deluſio populi, cùm *Satan Satanam* non ejiceret, ſed ex compacto cum ſeipſo & turba ſua ejici videbatur, ut magìs deluderet.

Senſus ergò verborum *Chriſti* huc redit: Quòd Diſcipuli veſtri Dæmonia ejiciunt, vos *Beelzebuli* non attribuitis, imò nec magiæ; ſed opus ab iis præſtitum applauditis: illi ergò poſſunt hac in re judices veſtri eſſe, vos ex virulentia atque animi veneno hæc de actionibus meis pronuntiare.

In *Bab. Ioma*, fol. 57. 1. in Gloſſa occurrit mentio de Dæmone ejecto per *Judæum Ramæ.*

VERS. 32. Οὐκ ἀφεθήσεται αὐτῷ, οὔτε ἐν τούτῳ τῷ αἰῶνι, οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι.

Illi, qui hinc elicere conantur remiſſionem peccatorum nonnullorum poſt mortem, parùm intellexiſſe videntur, quonam reſpexerit *Chriſtus*, cùm hæc diceret. Perpende vulgarem, & notiſſimam hanc Scholarum] *Judaicam* doctrinam, & judica.

Hieroſ. Sanhedr. fol. 37. 3. & *Bab. Ioma*, fol. 86. 1. *Qui præceptum affirmativum tranſgreditur, ſi confeſtim eum pœniteat, non movetur uſque dum ignoſcat ei Dominus: & de iſtiuſmodi dicitur, Convertimini, ô filii averſi, atque ego averſionibus veſtris medebor. Qui præceptum negativum tranſgreditur, & pœnitentiam agit, pœnitentia ejus ſuſpendit judicium, & dies Expiationis expiat; ſicut dicitur, Hodie expiabitur vobis de omnibus immunditiis*

veſtris. Qui tranſgreditur uſque ad exciſionem, [per plagam Dei] *aut ad mortem per Synhedrium, atque pœnitentiam agit, pœnitentia & dies Expiationis ſuſpendunt judicium, & plagæ inflictæ detergunt peccatum; ſicut dicitur, Et viſitabo virgâ tranſgreſſionem eorum, atque eorum iniquitatem plagis. Aſt à quo profanatur* [vel *blaſphematur*] *nomen Dei, ei non valet pœnitentia ad ſuſpendendum judicium, nec dies Expiationis ad expiandum, nec plagæ* [vel *caſtigationes inflictæ*] *ad abſtergendum, ſed omnes ſuſpendunt judicium, & mors abſtergit.* Sic *Gemara Babylonica*; at *Hieroſolymitana* ſic, *Pœnitentia & dies Expiationis expiant quoad tertiam partem: & caſtigationes quoad tertiam: & mors abſtergit, ſicut dicitur, Et non expiabitur vobis de hac iniquitate, uſque dum moriamini.* הא למדנו שמיתה מכפרת *Ecce, diſcimus quòd mors abſtergit.* Nota hoc: cui contrariatur *Chriſtus*, de blaſphemia in Spiritum ſanctum, *Non remittetur*, inquit, *in hoc ſeculo, neque in futuro*; id eſt, neque ante mortem, neque, quod vos ſomniatis, per mortem.

Ἐν τῷ αἰῶνι μέλλονλι.

I. In comunem uſum receptæ ſunt quædam Phraſiologiæ, quibus ex vulgari ſermone contrairetur hæreſi *Sadducæorum*, immortalitatem negantium. Ejus farinæ fuerunt עולם הבא Αἰὼν ὁ μέλλων. גן ערן Παράδεισος. גהנום Γέεννα. &c.

Bab. Beracoth, fol. 54. 1. [quod obſervavimus anté] *Ad finem omnium orationum in Templo dixerunt* עד עולם In ſeculum: *cùm verò irrumperent Hæretici, dicerentque, Non eſſe ſeculum niſi unum, ſtatutum eſt, ut diceretur* מן העולם ועד העולם *A ſeculo in ſeculum.*

Diſtinctionem hanc עולם הזה τοῦ νῦν αἰῶνος, & עולם הבא τοῦ αἰῶνος μέλλοντος, invenias in [illegible] quaque ferè pagina *Rabbinica.*

Targum in *Ruth*, cap. 2. 15. *Retribuat tibi Dominus retributionem bonam pro opere hoc tuo bono* בעלמא הדין *in hoc mundo, & ſit præmium tuum perfectum* בעלמא האתי *In mundo futuro.*

Baal Turim & *Tanch.* in *Gen.* i. 1. *Ideo incipit* [hiſtoria Creationis,

ationis, & Biblica] ב [in בראשית] *quòd duo mundi crearentur, Hic Mundus, & Mundus futurus.*

II. עולם הבא duo præcipuè innuit, (de quibus vide *Rambam* in *Sanhedr.* cap. *chelek.*) 1. *Tempora Meſſiæ. Beracoth,* cap. 1. halac. ult. *Memor eſto diei, quo exîiſti ex Ægypto, omnibus diebus vitæ tuæ. Dicunt Sapientes,* Diebus vitæ tuæ *innuitur Hic mundus,* Omnibus diebus vitæ tuæ *ſuperinducuntur Dies Meſſiæ.* Hoc ſenſu Apoſtolus loqui videtur, *Hebr.* ii. 5. & vi. 5. 2. Statum poſt mortem. *Tanchum,* fol. 52. עה"ב לאחר שיצא האדם מע"ה *Mundus futurus eſt, cùm jam exîit homo ex hoc mundo.*

VERS. 39. Γενεὰ πονηρὰ καὶ μοιχαλὶς σημεῖον ἐπιζητεῖ, &c.

I. Faſſæ ſunt etiam ipſorum Scholæ, non exſpectanda eſſe ſigna, & miracula, niſi à generatione idonea.

Hieroſ. Sotah, fol. 24. 2. *Congregatis aliquando Senioribus Jerichunte, prodîit Bath Kol, & dixit, Eſt inter vos quidam, qui idoneus eſt, in quem habitet Spiritus ſanctus* אלא שאין הדור כדיי *niſi quòd generatio* [hæc] *non eſt idonea. Oculos fixerunt in Hillelem ſenem. Rurſus congregatis Senioribus in* [illegible] *in Jabneh, prodîit Bath Kol, dixîtque, Eſt inter vos quidam, qui idoneus eſt, in quem habitet Spiritus ſanctus* אלא שאין הדור כדיי *Niſi quòd generatio non eſt idonea. Oculos conjecerunt in Samuelem parvum.*

II. Generatio iſta, à qua & in qua crucifixus eſt *Dominus vitæ,* de nequitia ſua infanda meritò malè audit, præ omnibus aliis ab initio mundi in iſtum uſque diem. Unde illud Prophetæ, *Generationem ejus quis effabitur?* Eſai. liii. 8. id eſt, eò impietatis ac nequitiæ proceſſura eſt ejus generatio [id eſt, ea, in qua ille victurus] ut omnem ſermonem atque hiſtoriam ſit exceſſura.

Obſervavimus antè, vel ipſos *Talmudicos* fatentes generationem iſtam, in qua venturus *Meſſias,* nequitiis omnimodis ſtupendisque, ſupra omnia alia ſecula, horreſcentem.

III. *Adultera* vocari potuit iſta gens & generatio, etiam ſecundùm literam; nam quidnam aliud, quæſo, fuit, quàm perpetuum adulterium, nefanda eorum Polygamia, atque, pro ſtolido aut im-

probo cujusvis arbitrio, vulgaris uxorum dimiſſio non minùs nefanda?

VERS. 39. Εἰ μὴ τὸ σημεῖον Ἰωνᾶ τοῦ Προφήτου.

Hìc, alibíque, dum ſignum *Jonæ* præbet iis, non nudè de miraculo ei præſtito loquitur, in filio hominis æquiparando; ſed tacito etiam ſtimulo eos pungit: hoc edocens, convertendas ab eo gentes, poſt ſuum è viſceribus terræ reditum, prout converſa erat *Nineveh* Ethnica, poſt reſtitutum *Jonam* è ventre ceti. Quâ doctrinâ vix quicquam gentem iſtam acriùs momordit.

VERS. 40. Ἔσται ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας.

I. Memorabilem illam, orante *Joſuâ*, Solis immoti ſtationem *Judaici* Scriptores ad horas triginta ſex extendunt. Sic enim *Kimchius* in iſtum locum, *Secundùm accuratiorem interpretationem ſteterunt Sol & Luna, per horas triginta ſex: nam, cùm eſſet pugna iſta veſpere Sabbati, metuit Joſua, nè violarent Iſraelitæ Sabbatum. Extendit igitur manus ſuas, ut ſtaret Sol die ſexto ſecundùm menſuram diei Sabbati, & Luna ſecundùm menſuram noctis Sabbati, & exitûs Sabbati, quæ aſſurgunt ad horas triginta ſex.*

II. Si horas numeres ab exſpiratione *Salvatoris* in cruce ad ejus reſurrectionem excurrentes, iſtius numeri paritatem ferè reperies; quod tamen ſpatium ab eo vocatur *Tres dies & tres noctes*, cùm duæ tantùm noctes interceſſerint, & dies completus tantùm unus. Nec conſenſu tamen caret hæc loquens & Scholarum, & computationis *Judæorum*. Perpende bene illud, quod diſputatur in *Schabb.* cap. 9, halac. 3. de immunditia fœminæ in triduum, ob concubitum ſeminis: ubi diſcutiuntur multa à *Gemariſtis* de computatione hujus tridui. Inter alia hæc occurrunt, *R. Iſmael dicit* פעמים שהן עונות ר׳ *Aliquando continet quatuor* עונות, *aliquando quinq;, aliquando ſex. Bab.* fol. 86. 1. *At quantum eſt ſpatium* עונה? *Dicit R. Iochanan, Vel dies, vel nox. Bab. Avod. Zar.* fol. 75. 1. Sic etiam *Hieroſ. Schab.* fol. 12. 1. *R. Akiba ſtatuit diem pro* עונה *& noctem pro* עונה. *At traditio eſt, R. Eliazarum ben Azaria dixiſſe*, יום ולילה עונה ומקצת עונה ככולה. *Dies & Nox conſtituunt* עונה, *& pars* עונה *eſt ſicut totum.* Et paulò anté:

anté: ר׳ ישמעאל עבר מקצת עונה ככולה *R. Iſmael computavit partem* τῆς עונה *pro toto.* Non promptum eſt vocem עונה aptâ Latinitate donare: nam quibuſdam idem ſonuit quod medietas diei naturalis, quibuſdam idem quod νυχθήμερον, totus dies naturalis. Secundùm primum ſenſum obſervare licet ex verbis *R. Iſmaelis*, nonnunquam quatuor עונות, vel medietates diei naturalis, haberi poſſe pro triduo: eásque ità etiam numeratas, ut pars una & altera iſtarum medietatum computari poſſet pro tota. Poſteriorem ſenſum confer cum verbis *Salvatoris* ſub manibus. *Dies & nox* [inquit Traditio] *conſtituunt* עונה, *& pars* עונה *eſt ſicut totum. Chriſtus* ergò verè dici poteſt fuiſſe in ſepulchro per tres עונות vel per τρὶς νυχθήμερον [cùm tamen defuerit maxima pars diei primi, atque nox omnino, ac longè maxima pars etiam diei tertii] ídque ſuffragante Scholarum conſenſu, & dialecto gentis. Nam *quantulacunque pars* τῆς עונה *concludit totum*: ità ut ſecundùm hoc Idioma particula iſta minutula diei tertii, quo *Chriſtus* reſurrexit, pro toto die & nocte eum ſequente ſit computanda.

VERS. 45. Οὕτως ἔσται καὶ τῇ γενεᾷ ταύτῃ τῇ πονηρᾷ.

Horrendam in gente & generatione iſta Apoſtaſiam hæc prædicunt.

I. Omnia in præcedenti parabola ità aptare, ut quadrent inter ſe, eſt difficilius. 1. De ſpiritibus immundis à *Chriſto* ex hominibus expulſis eam vix intelligas, cùm, per totam hiſtoriam Evangelicam, nè vel gry quidem ſit probabilitatis, ejectum ab eo aliquod Dæmonium in eum redîiſſe, à quo fuerat ejectum. 2. Alludi ergò videtur à *Salvatore* ad expulſionem Dæmonum per exorciſmos, quam artem prout optimè calluerunt *Judæi*, ità in ea tractanda figmentis concinnis opus fuit & colluſionibus. 3. Credibile enim vix eſt reipſâ Diabolum in locis aridis minùs requiem invenire, quàm in locis irriguis: at credibile eſt artifices iſtos Diabolicos iſtiusmodi figmenta inveniſſe in artis ſuæ honorem & famam. Nam, 4. ridiculum eſſet opinari, potuiſſe eos per exorciſmos ſuos Dæmonium ex homine ejicere, in quem immiſſum fuerat à Deo. Poterant quidem, ex compacto Diaboli cum Diabolo, lucida intervalla aliqua obſeſſo inducere, ità ut inhabitans Dæmon in tempus aliquod miteſcerer,

nec

nec hominem turbaret: at redîerunt tandem æſtus dæmoniaci, & ad priſtinos furores eſt reverſum. Hìc ergò figmentis aptè compoſitis opus erat, ut famæ artis exorciſticæ conſuleretur: Dæmona in loca arida & eremoſa amandatum requiem illìc invenire non poſſe ullam; non poſſe non velle hinc illinc ſemper circumvagari ſolitarium ac irrequietum, redîiſſe ergò in priſtinam ſuam manſionem, quam aptam ſibi ac paratam jam olim fuerat expertus, &c. Hæc ergò dicta à *Servatore* videntur magìs ſecundùm captum, aut deceptionem potiùs vulgi, quàm ſecundùm rei ipſius realitatem & veritatem, à re vulgò credita & recepta parabolam ſumente, ut notiùs & familiariùs rem exprimeret ſibi propoſitam.

II. Utcunque autem ſe res habuerit, veráne iſta fuerint reipſâ, an ità tantùm credita & concepta, aptiſſimâ apertiſſimâque comparatione demonſtratur, ejectum primò è gente *Judaica* Diabolum per Evangelium, intérque Gentes ſedem & requiem ſibi quærentem, ac non invenientem, exagitante eum undique Evangelio, in gentem *Judaicam* redîiſſe, ſedem fixiſſe, multóque magìs eam poſſediſſe quàm anteâ. Patet hujus rei veritas in horrenda iſta Apoſtaſia infinitæ multitudinis *Judæorum*, qui Evangelium amplexi ab eo nequiſſimè ſunt relapſi, de qua in infinitis ferè locis loquitur Novum Teſtamentum.

CAP. XIII.

VERS. 2. Ὥστε αὐτὸν καθῆσθαι, καὶ πᾶς ὁ ὄχλος εἰστήκει.

SIc mos gentis, ut Magiſtri ſedentes prælegerent, Diſcipulis ſtantibus. Qui mos honorarius, ad mortem *Gamalielis ſenioris* continuatus, tunc eouſque perſit, ut ſederent etiam Diſcipuli, ſedente Magiſtro. Hinc illud *Sotah*, cap. 9. halac. 15. *Ex quo obîit Rabban Gamaliel ſenex, Perîit honor Legis, & mortua eſt puritas, & Phariſaiſmus:* ubi Gloſſa ex *Megillah*, *Ante ejus mortem fuit ſanitas in mundo, & non didicerunt Legem niſi ſtantes; aſt, eo defuncto, deſcendit ægritudo in mundum, & coacti ſunt diſcere Legem ſedendo.*

VERS.

VERS. 3. Ἐν παραβολαῖς.

I. Oratoriæ *Judaicæ* nullum Schema familiariùs, quàm Paraboliſmus: qui forſan inter *Ethnicos* indè irrepens in fabulas evaſit. Dicitur loco *Talmudico* jam citato, משמת רמ"י ביטלו משלים משלים *Ex quo obiit R. Meir, ceſſârunt parabolizantes:* non, quòd exinde deperiret à gente color iſte Rhetoricus, ſed quòd ille præ omnibus in his floſculis antecelleret, prout illìc Gloſſa ex *Sanhedr.* תלתא שמעתא ותלתא אגרתא ותלתא מתלי *Tertia pars* [orationum, vel concionum ejus] *erat Traditio, tertia pars Allegoria, & tertia pars Paraboliſmus.* Scatent ubique his Schematibus paginæ *Judaicæ*, naturali quodam genio in hujuſmodi Rhetoricam inclinante gente. Parabolicam non immeritò dixeris eorum religionem, ceremoniarum involucris complicatam: & par illi in ſermonibus ſuis Oratoria. At mirum certè, eos parabolis ità deditos & gaudentes, in iiſque enucleandis tam dexteros, in cortice ceremoniarum hæſiſſe, & parabolicum ac ſpiritualem earum ſenſum non expiſcatos fuiſſe, nec potuiſſe expiſcari.

II. Eodem loquendi genere utitur *Salvator* [cum vulgo ſemper ac ubique loquens] eodémque frequentiſſimè exordio, quo & illi in Parabolis ſuis. לכן הרבר רומרי Τίνι ὡμοιώσω, &c. At in eo ſic loquente & divinam agnoſcas juſtitiam, qui caliginoſè loquitur lucem ſpernentibus, ac divinam pariter ejus ſapientiam, qui videntibus & tamen non videntibus ſic loquitur, ut corticem videant, nucleum non videant.

VERS. 4. Ἃ μὲν ἔπεσε παρὰ τὴν ὁδὸν, &c.

De agricultura *Judæorum*, atque eorum ſatione, varia occurrunt in tractatibus *Peah, Demai, Kilaim, Sheviith*: nos ea tantùm attingemus, quæ in memoriam promptè revocant verba textûs qui ſub manibus.

Viæ & ſemitæ erant per agros ſatos, tam communes, quàm privatiores: vide cap. xii. 1. Hinc in tractatu *Peah*, cap. 2. ubi diſcutiunt, quænam ſint, quæ agrum partiuntur, ità ut duplicem angulum pauperibus debeat, ſic determinatur, *Hæc partiuntur, Fluviis, aquæ-ductus, via privata, via communis, ſemita com-*

munis, & ſemita privata, &c. Vide locum & Gloſſam.

VERS. 5. Ἄλλα ἃ ἔπεσεν ἐπὶ τὰ πετρώδη.

In *Hieroſ. Kilaim*, fol. 27. 1. agitur de legibus quibuſdam *Kilaim* [vel *ſeminum Heterogeneorum*], atque anni ſeptimi: ubi inter alia hæc occurunt. *R. Simeon ben Lachiſh dicit eum* [à legibus iſtis] *eſſe ſolutum, qui ſeminat juxta mare,* עני פטרה עני *ſupra petras, ſcopulos, & ſaxoſa.* Dicuntur hæc pro ratione & natura terræ *Iſraeliticæ*, quæ ſaxoſa admodùm, & tamen iſta loca non omnino culturæ inidonea.

VERS. 7. Ἄλλα ἃ ἔπεσεν ἐπὶ τὰς ἀκάνθας.

Subit hìc diſtinctio שדה לבן *Agri albi*, id eſt, qui totus ſeritur, & שדה אילן *Agri arborei*, id eſt, in quo naſcuntur hìc illìc arbores aut fruticeta: de quibus vide *Sheviith*, cap. 2. Sic memoria apud *Talmudicos* frequentiſſima מלבנות *Areolarum* in agris & vineis, *Peah*, cap. 2. ערוגות, quod idem ſonat *Kilaim*, cap. 3. & קרחה בשדה *Calvitiei in agro:* id eſt, cùm relinquuntur loca quædam non ſata, & quædam interjacentia ſeruntur. *Kilaim*, cap. 4.

VERS. 8. Ἃ δὲ ἔδωκε καρπὸν, ὃ μὲν ἑκατὸν, &c.

Dicuntur hæc pro ratione fertilitatis terræ *Iſraeliticæ*, de qua quamplurima *Talmudici*, eáque ſatìs hyperbolica, quam tamen in miſeram ſterilitatem olim immutatam fatentur, aſt ad cauſam ejus veram cœcutientes.

In *Hieroſ. Peah*, fol. 20. 1, 2. de hac re agitur, & variæ adducuntur hiſtoriæ, quas vide, nos has duas tantùm memorabimus.

Dixit R. Jochanan, Fructus viliſſimus, quem comedimus in juventute noſtra, præſtitit optimo, quem nunc comedimus in ſenectute: nam in diebus ejus immutatus fuit mundus.

R. Chaiia bar Ba dixit, סאה ארבלית *Modius Arbelitanus exhibuit olim modium ſimilæ, modium farinæ, modium furfuris, & modium furfuris craſſioris, & adhuc modium furfuris craſſioris, & modium etiam furfuris craſſiſſimi: at nunc vix unus modius ex uno modio conſtat.*

VERS.

VERS. 13. Βλέποντες οὐ βλέπουσι, &c.

Obſerves hìc traditum hunc populum in mentem reprobam, & ſpiritum ſoporis, jam diu ante mortem *Chriſti*. Quo obſervato, facilior exſurgit ſenſus Apoſtoli, *Rom.* xi. ubi ipſiſſima hæc verba repetuntur. Ritè ſi illìc ſtatuas de populi rejectione, clariùs Apoſtolum intelliges de eorum vocatione illìc tractata. In cœcitatem, ſtupiditatem, & duritiem cordis, jam olim illos rejecerant *Phariſaiſmus* & deliria Traditionum, ídque per aliquot ſecula ante natum *Chriſtum*: aſt, adventante Evangelio, ſpicilegia inter eos habuit ſua Dominus, fuerúntque qui crederent, & quibus participatio promiſſionum conceſſa eſt; de illis Apoſtolus in iſto capite: vide verſum quintum, Ἐν τῷ νῦν καιρῷ λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν, &c. quod obſervavimus antè ad capitis tertii verſum ſeptimum.

VERS. 25. Ζιζάνια.

Talmudicè זונין, *Kilaim*, cap. 1. hal. 1. החטים והזונין אינן כלאים זרע בזרע *Triticum* & זונין *non ſunt ſemina Heterogenea.* Ubi Gloſſa, זונין *eſt ſpecies quædam tritici, quæ in terra mutatur, & quoad formam & quoad naturam.* A Lexicographis optimis *Latinè* redditur *Zizania.*

Ità ut ager iſte, in hac parabola, ſereretur à Domino tritico bono, ab inimico tritico ignobili & degenere, at totus tritico, hoc vel illo. Hæc non tam nudè homines bonos & malos volunt, quàm bonos & malos *Chriſtianos*; utrosque ab aliis hominibus diſtinctos, [ab *Ethnicis* ſcilicet] prout diſtinguitur triticum ab aliis ſeminibus: at diſtinctos etiam inter ſe, prout diſtinguitur inter nobile triticum & ſordidum. Sic cap. xxv. omnes decem iſtæ fœminæ, ſponſum exſpectantes, ſunt virgines; at diſtinctæ in ſapientes & fatuas.

VERS. 32. Ὃ μικρότερον μέν ἐστι πάντων τῶν σπερμάτων, &c.

Hinc in Adagium vulgare abiit כזרע חרדל *Pro quantitate grani ſinapis*, & כטיפת חרדל *Pro quantitate guttulæ ſinapis*, frequentiſſimè apud *Rabbinos* rem vel quantitatem minutiſſimam innuentes.

Μεῖζον τῶν λαχάνων ἐστί.

Hieroſ. Peah, fol. 20. 2. *Caulis erat ſinapis in Sichin, è quo*

enati ſunt rami tres: è quibus unus decerptus cooperuit tentoriolum figuli, produxítque tres cabos ſinapis. R. Simeon ben Chalaphta dixit, Caulis ſinapis erat mihi in agro meo, in quam egoſcandere ſolitus ſum, ità ut ſcandere ſolent in ficum.

VERS. 33. Εἰς ἀλεύρου σάτα τρία.

Id eſt, *in Epham farinæ.* Exod. xvi. 36. *Jam verò Omer eſt decima pars Ephæ.* Chald. חד מן עסרא בתלת סאין *Decima pars trium ſatorum.* LXX. Δέκατον τῆς τριῶν μέτρων. Et *Ruth* ii. 17. *Fuit quaſi Ephah hordei.* Targ. כתלת סאין סעורין *Quaſi tria ſata hordei.*

Seah continet duplum Hin, ſex Cabos, viginti quatuor Login, centum quadraginta quatuor Ova. Alphej. in *Peſach.* cap. 5. *Kimchi* in *Miclol.*

VERS. 52. Ἐκβάλλει ἐκ τοῦ θησαυροῦ αὐτοῦ καινὰ καὶ παλαιά.

Dicuntur hæc ſecundùm Dialectum Scholarum, ubi non infrequenter exagitatum eſt, quonam vino, quibusnam frugibus aut fructibus utendum in ſacris, & ritibus quibuſdam, recentibus, an veterioribus, anni ſcilicet præſentis, an præteritorum, [חרש אי ישן] Jam verò homo frugi, & rebus ſuis bene providens, & his & illis inſtructus erat, ad utrumlibet paratus, quod requiretetur. Sic Scribam Evangelicum decet in promptu omnia habere, quæ proferat, pro rei, loci, ac auditorum conditione, & natura. Intelligitísne hæc omnia, inquit *Chriſtus*, & quæ dixi, & quare hæc dixi? Sic Scribam Evangelicum oportet proferre, &c.

CAP. XIV.

VERS. 2. Οὗτός ἐστιν Ἰωάννης, &c.

NOnne *Herodes* fuit fidei *Sadducæa?* Quod enim à *Matthæo* profertur, *Cavete vobis à fermento Phariſæorum & Sadducæorum*, cap. xvi. 6. à *Marco* redditur, *Cavete vobis à fermento Phariſæorum, atque à fermento Herodis*, cap. viii. 15. id eſt, à doctrina eorum.

Si

Si ergò *Herodes* doctrinam *Sadducæorum* amplexus est, videntur ejus verba, *Hic est Joannes Baptista, ipse suscitatus est à mortuis*, extorta fuisse è conscientia, horroris & reatûs aculeo stimulatâ, ac si versaretur sub ejus oculis imago & umbra *Baptistæ*, recèns ab eo trucidati; ità ut horreat animus, & *Sadduceismi* sui oblitus, resurrectionem mortui, nolens volens, gemens tremens, agnoscat.

Vel, detur eum resurrectionem mortuorum cum *Pharisæis* agnovisse; insolitum certè tamen erat iis, qui eam fassi sunt, resurrectionem jam recèns mortui somniare: exspectabant resurrectionem mortuorum, olim futuram; at hoc, quod dicit, credit, & suspicatur *Herodes*, plurimùm declinat ab isto dogmate, videtúrque quidem à conscientia de cœlo tacta processisse.

VERS. 4. Οὐκ ἔξεστί σοι ἔχειν αὐτήν.

Cherithuth, cap 1. hal. 1, *Triginta sex excisiones sunt in Lege*, [id est, peccatores qui excisionem merentur.] Inter ceteros, הבא על אשת אחיו *Ille, qui coit cum uxore fratris sui.* In vivis jam erat *Philippus*, vixítque ad annum *Tiberii* vigesimum. *Joseph. Antiq.* lib. 18. cap. 6.

VERS. 6. Γενεσίων ἄγοντων τοῦ Ἡρῴδου.

Partem cultûs Idololatrici ducunt Scholæ *Judaicæ* celebrata natalitia: adulantiùs forsan de tuis pronuntiaturæ, ô *Tetrarcha*, quia tua.

Avodah Zarah, cap. 1. hal. 3. Hæc sunt tempora Idololatrarum. קלנדא *Calendæ.* סטרנוריא *Saturnalia.* קרטיסים Καπήτεις, id est, cùm imperium primùm capesserent. וגנוסיא של מלכים *Et* Γενέσια *regni.* ויום הלידה *Et dies nativitatis.* Dum Γενέσια distinguunt à *die nativitatis*, initiationem regni ejus intelligunt: de qua distinctione multa disputant *Gemaristæ.*

Ὠρχήσατο ἡ θυγάτηρ, &c.

Non tam ex levitate, quàm ex more gentis: in demonstrationem scilicet lætitiæ, atque ob celebritatem diei. Soliti sunt *Judæi* in gaudiis exuberantioribus publicis, atque etiam in solennitatibus quibusdam sacris, hilaritatem suam saltatione & tripudiis exprimere. Omissis, quæ in pagina sacra occurrunt, exemplis, refertur à patribus Traditionum, præcipuam partem festivitatis in festo

Scenopegiæ fuiſſe iſtiuſmodi ſaltationes: viris primariis, grandævis, & maximè religioſis in atrio mulierum tripudiantibus, ídque quò vehementiùs, eò laudabilius. *Sotah*, cap. 5. Non ergò *Herodem* tam captavit geſtus, aut motus puellæ ſaltantis, quàm animus ac affectus: quòd ſcilicet ea honorem iſtum erga diem ejus natalem, amorémque ac venerationem erga ipſum ità demonſtraret, lætitiámque de ejus vita & ſalute: à qua talia quidem minimè meruerat *Herodes*, cùm patrem puellæ *Philippum* conjuge ſuâ orbâſſet, matrémque illegitimo thoro, inceſtúque continuo, polluëret.

VERS. 7. Μεθ' ὅρκου ὡμολόγησεν αὐτῇ, &c.

Vocatur hoc juramenti genus à *Talmudicis* שבועת בטוי: de quo vide *Maimon.* in שבועות cap. 1. & tractatum *Talmudicum* ejuſdem tituli. Si forma juramenti fuerit, per *Caput ſuum*, [quod uſitatiſſimum. *Sanhedr.* cap. 3. hal. 2.] aptiſſimè, prout iniquiſſimè, reſpondit petitio puellæ ſponſioni Regis; quaſi dicat, Voviſti per *caput tuum*, te mihi daturum quicquid petîero, Da mihi *caput Joannis Baptiſtæ*.

VERS. 10. Ἀπεκεφάλισε τὸν Ἰωάννην.

Refert *Joſephus Joannem* ab *Herode* incarceratum fuiſſe *Macherunte*, Ὑποφίᾳ τῇ Ἡρῴδου λύσιν εἰς τὸν Μαχαιροῦντα πεμφθείς. *Antiq.* lib. 18. cap. 7. Erat autem *Macharus* extremus *Peræa* limes, verſus Auſtrum. Id. *De bell.* lib. 3. cap. 4. Erátque *Peræa* intra ditionem *Herodis*. Id. *De bell.* lib. 2. cap. 9. Jam verò ſi vinctus illìc jaceret *Joannes*, cùm de capite ejus deceruëretur, longiſſimo itinere opus fuit carnifici, & quod vix intra biduum confici poſſet à *Tiberiade*, ubi regia tyranni, ad crudele illud mandatum exſequendum. Ità ut non niſi poſt dies aliquot, à celebratis natalitiis, puellæ præſen aretur, horrendum iſtud ferculum, caput venerandum Prophetæ.

Tempus decollationis ejus elicimus ex verbis iſtis *Joannis Evangeliſtæ*, cap. vi. 4. *Aderat jam autem Paſcha*, hâc ratiocinatione. Abſque controverſia concludi poteſt, Diſcipulos, quamprimùm de morte Magiſtri audientes, eúmque ſepelientes, ad *Chriſtum* ſe contuliſſe, cædem Magiſtri narrantes, eíque cautionem iſto exemplo præbentes ut ſibi conſuleret de ſalute ſua. Is, re auditâ, tranſiit in deſertum *Bethſaidæ*, atque illìc quinque hominum millia paſcit

ſcit miraculoſè, cùm adeſſet jam *Paſcha*, ut refert *Joannes* hiſtoriam iſtam recognoſcens cum reliquis Evangeliſtis. Decapitationem ergò *Baptiſtæ* arbitramur fuiſſe paulò ante *Paſcha*, cùm carcerem jam paſſus fuerat per ſeſquiannum, prout per ſeſquiannum liberè prædicâſſet ante incarcerationem.

VERS. 13. Ἀνεχώρησεν ἐκεῖθεν ἐν πλοίῳ εἰς ἔρημον τόπον, &c.

A *Capernaumo* ſcilicet in deſertum *Bethſaidæ*. Luc. ix. 10. quod à *Joanne* redditur, Ἀπῆλθεν πέραν τῆς θαλάσσης, *Joan.* vi. 1. quod propriè intelligendum eſt: à *Galilæa* ſcilicet, in *Peræam*. Tabulæ chorographicæ *Bethſaidam* diſpoſuerunt in *Galilæa*, in eodem littore, quo & *Capernaumum*: ſic & commentatores ſinum maris tantùm interjacentem ſibi fingunt inter duas iſtas urbes: quod & nos aliquando ſumus cum iis opinati; at docti ſumus tandem à *Joſepho*, *Bethſaidam* fuiſſe ἐν τῇ ἄνω Γαυλανίτιδι, *In inferiori Gaulanitide* [quod obſervamus alibi] ab ora maris *Genneſaritici* Orientali, in *Peræa*.

Ἠκολούθησαν αὐτῷ πεζῇ.

Hinc arguitur ab interpretibus, *Capernaumum* & *Bethſaidam* non in diverſis maris littoribus fuiſſe, ſed in eodem: nam quomodo aliter, inquiunt, potuit turba eum pedibus ſequi? Optimè, inquam ego; tranſito *Jordane* prope *Tiberiada*, cujus ſitum demonſtravimus alibi ad effluxum *Jordanis* è mari *Galilææ*. Secuti ſunt eum pedibus ἀπὸ τῶν πόλεων, inquit Evangeliſta noſter. Civitates autem, alicujus nominis, *Capernaumo* viciniſſimæ erant, hinc *Tarichææ*, illinc *Tiberias*. Detur, turbam ex his urbibus iter poſt *Chriſtum* carpſiſſe: via, per quam itinere pedeſtri perrectum eſt, erat ad pontem *Jordanis* in *Chammath*: diſtabat locus iſte à *Tiberiade* milliari, aut minùs; à *Capernaumo* milliaribus tribus aut circiter. Tranſito *Jordane* perrectum eſt per agrum *Magdalenſem*, & poſt eum per *Hipponenſem*: diſtabat autem *Magdala* à *Jordane* milliari uno, *Hippo* duobus: & poſt *Hippon* erat *Bethſaida*, ad littus maris Orientale; & poſt *Bethſaidam* ſinus maris aliquantùm ſe in terram protrudens, atque exinde *deſertum Bethſaidæ*. Cùm igitur indè reverſum foret, Diſcipulis in navim coactis imperat, ut *Bethſaidam* pergant, dum ipſe turbam dimiſerit, quò eos tandem ipſe

ipſe ſecuturus eſſet pedes, atque indè cum iis navigaturus *Capernaumum*.

VERS. 17. Δύο ἰχθύας.

Quales, non decernimus. Allatos eos huc fuiſſe à puerulo, ut venderentur, unà cum quinque panibus, colligere eſt ex *Joan.* cap. vi. 9. *Talmudici* plurima de מליח piſcibus ſalſis diſcutiunt: vocem reddo de *piſcibus ſalſis* fide *Aruchi:* citans ille traditionem hanc è *Beracoth*, cap. vi. חביאו לפניו מליח *Apponunt ei ſalſum primò, & cum eo buccellam? benedicit ille ſuper ſalſum, & omittit* [benedictionem] *in buccellam, quia buccella eſt ei tanquam appendix.* מליח *ſalſum*, inquit, *intelligendum eſt de piſcibus, ſicut Traditio docet, quòd qui vovet* abſtinentiam *à ſalſis, non reſtringitur niſi à piſcibus ſalſis.* An hi piſces ſalſi fuerint, ridiculum foret determinationem aggredi: at ſi modò forent, collatione dignus eſt modus benedictionis, quo uſus eſt *Chriſtus* cum eo, quem præcipit Traditio allegata.

VERS. 20. Καὶ ἔφαγον πάντες, καὶ ἐχορτάσθησαν.

Sic definitur à *Talmudicis* סעודה *Comeſtio* vel refectio à cibo, cùm ſcilicet editur ad ſatietatem. In *Bab. Beracoth*, fol. 44. 1. *Rabh dicit* : כל סעודה שאין בה מלח אינה סעודה *Omnis comeſtio, ad quam non adeſt ſal, non eſt comeſtio. Aruch* hæc citans pro מלח *ſal* legit מליח *ſalſum*, additque, *Non eſt comeſtio, quia non ſaturantur.*

VERS. 22. Καὶ εὐθέως ἠνάγκασε τοὺς μαθητὰς, &c.

Ratio coactionis redditur à *Joanne*, cap. vi. 15. quia ſcilicet populus, viſo miraculo, ambîit eum Regem facere: fortè nè Diſcipuli etiam in idem conſpirarent, temporale & terrenum *Meſſiæ* regnum nimium adhuc ſomniantes.

VERS. 23. Ὀψίας δὲ γενομένης.

Sic verſu decimo quinto: aſt alio ſenſu. Illud enim ſerum diei denotat: hoc ſerum noctis. Sic *Talmudicis* ערב non ſolùm partem diei declinantem ſignificat, ſed & noctem. *Berac.* cap. 1.

hal

hal. r. *A quonam tempore recitant Phylacteria* בערבית *vespere? A tempore, quo ingrediuntur Sacerdotes comestum Trumam suam, usq; ad finem vigiliæ primæ, ut dicit R Eliezar; ast, ut dicunt Sapientes, Ad mediam noctem: imò, ut dicit Rabban Gamaliel, usque ad ortum columnæ auroræ.* Ubi Glossa, בערבית בלילה *vespere, id est, Nocte.*

VERS. 25. Τετάρτῃ δὲ φυλακῇ τῆς νυκτὸς.

Id est, post Gallicinium. *Judæi* tres tantùm vigilias noctis agnoscunt, nam hoc apud eos tritum, אשמורת שליש הא שרי לילה *Vigilia est tertia pars noctis.* Sic Glossa in locum modò citatum: vide etiam commentatores *Hebræos* in *Judic.* vii. 19. Non, quòd non noctem in quatuor partes diviserint, sed quòd quartam partem, aut vigiliam, non tam pro nocturna, quàm pro matutina æstimârint; sic *Marc.* xiii. 35. spatium illud post Gallicinium πρωΐ est: vide etiam *Exod.* xiiii. 24. Erant ergò reverà quatuor noctis vigiliæ, at tres tantùm profundæ noctis. Cùm ergò dicatur *Gedeonem Midianitas* invasisse *vigiliâ noctis mediâ*, Jud. vii. 19. intelligendum est de vigilia ista, quæ erat quidem totius noctis secunda, at profundæ noctis media: à finita scilicet vigilia prima ad mediam noctem.

CAP. XV.

VERS. 2. Παραλάνει τὴν παράδοσιν τῆς πρεσβυτέρων;

Quanto pretio Traditiones suas æstimârint. etiam præ Verbo Divino, satìs patet ex hoc ipso loco, versu sexto. Ex infinitis exemplis, quæ in ipsorum scriptis occurrunt, nos unum tantùm locum proferemus. *Hieros. Beracoth*, fol. 3. 2. חביבים דברי סופרים מדברי תורה *Amabilia sunt verba Scribarum præ verbis Legis: nam verba Legis sunt gravia & levia; at verba Scribarum sunt omnia levia.*

Qui dixerit, Non esse Phylacteria, transgrediens verba Legis, reus non est; at qui dixerit, Quinque esse Totapheth, addens ad verba Scribarum, hic reus est.

חמורים דברי זקנים מדברי נביאים: *Graviora sunt verba* Πρεσβυτέρων, *quàm verba Prophetarum.*

Propheta & Πρεσβύτερος *cui assimulantur? Regi mittenti duos è familiaribus suis in provinciam. De uno sic scribit, Nisi hic vobis ostendat sigillum meum, nè ei credite: de altero sic, Quamvis hic sigillum meum non ostendat, ei tamen credite. Sic de Propheta scribitur, Ostendet tibi signum aut miraculum: at de Senioribus sic, Secundùm Legem, quam te docebunt,* &c. Sed blasphemiarum latis.

Οὐ γὰρ νίπτονται τὰς χεῖρας αὐτῶν, &c.

In *Bab Beracoth*, fol. 46. 2. refertur, vilipensionem lotionis manuum ex iis rebus esse, pro quibus Synhedrium excommunicat: excommunicatúmque ideo ab eo fuisse *R. Eleazarum ben Hazar*, שפקפק בנטילת ידים *quòd vilifaceret lotionem manuum:* cúmque mortuus esset, jubente Synhedrio, lapidem magnum impositum fuisse ejus feretro. *Unde discas*, inquiunt, *Synhedrium lapidare loculum feretralem uniuscujusque excommunicati, qui moritur in excommunicatione sua.*

Justi voluminis est, & non commentarioli, aut calami currentis, mysterium hoc *Pharisaismi* de lotione manuum patefacere, atque in apicibus omnibus suis enucleare. Hæc pauca ex infinitis decerpamus.

I. נטילת ידים וטבילתן מדברי סופרים *Lotio manuum, atque earum immersio, instituta est ex verbis Scribarum, Maimon.* in *Mikvaoth*, cap. 11. ast à quibus, & quando, ambigitur. Ascribunt nonnulli ritûs hujus institutionem *Hilleli & Shammæo*, alii ad secula reducunt altiora. *Hieros. Schabb.* fol. 3. 4. *Hillel & Shammai decreverunt de munditia manuum. R. Josi ben Rabbi Bon nomine R. Levi dicit, Antèà exhibita erat ista Traditio; sed ipsorum excciderat memoriâ: prostant hi secundi, & statuunt secundùm mentem priorum.*

II. *Maimon.* in שמאר אובלין cap. 16. *Quamvis permissum sit edere edulia immunda, & bibere poculenta immunda; reli-*

religiosi tamen antiqui comederunt communem victum suum in mundicia, & caverunt sibi ab immunditia omnibus diebus suis, atq; illi vocabantur Pharisæi. Atque res hæc est summa sanctitatis, & via summæ religionis, ut se scilicet homo segregat & separet à vulgo, utque eos nec tangat, nec cum iis comedat, nec bibat, nam separatio talis inducit in puritatem corporis ab operibus malis. &c. Hinc definitio *Pharisæi*, quam adduximus antea, פרושין אכלין חרלין בטהרה *Pharisæi comedunt victum suum communem in munditia:* & scala cœli *Pharisaica. Hieros.* ubi ante: *Quicunque sedem suam habet in terra Israelitica, & cibum suum communem manducat in munditia, & linguâ loquitur sanctâ, & manè & vespere recitat Phylacteria; confidat ille se vitam adepturum mundi futuri.*

III. Observanda est hìc distinctio inter מאכלות אסורות *Edulia prohibita*, & איכלין טמאין *Edulia immunda* [de utrisq; *Maimonides* scripsit proprium tractatum]. *Edulia prohibita*, qualia erant adeps, sanguis, animalia esui illicita, *Levit.* ii. nullo modo erant manducanda; ast *edulia immunda* in seipsis esui licita quidem erant, ast immunditiam aliquam aliunde contraxerant; edere licuit, & non licuit, aut ut quod res est loquamur, per legem Dei licuit, sed per Canones *Pharisaismi* non licuit.

IV. Observanda etiam est distinctio inter טמא *Immundum* & פסול *Profanum*, vel *pollutum*. Declaret eam *Rambam* in præfatione sua ad *Toharoth*. פסול ענינו שלא יטמא זולתו *Profanum*, vel *pollutum, illud denotat, quòd aliud præter se non polluit. Nam res quævis, in quam invasit immunditia, ita ut ea ipsa sit immunda, aliud autem non reddat immundum, vocatur* פסול. *Atque hinc dicitur de quovis comedente edulia immunda, aut bibente poculenta immunda,* נפסלה גויתו, *quòd corpus ejus pollueritur, ast aliud non polluit.* Nota illud, *Corpus comedentis pollunitur à cibis immundis.* Cui & illud addas quod sequitur in eodem *Maimonide*, loco antea allegato: *Separatio à vulgo, &c. inducit in puritatem corporis ab operibus malis: puritas corporis inducit in sanctitatem animæ ab affectibus malis: sanctitas animæ inducit in similitudinem Dei; sicut dicitur, Et sanctificabimini, & sancti eritis, quia ego Jehovah, sanctificans vos, sum sanctus.* Hinc clarius percipias vim confutationis à *Christo* exhibitæ versibus, 17, 18, 19, 20.

V. Pollui cibum mundum arbitrati ſunt à manibus immundis, polluíque manus à cibis immundis. Mireris hanc Traditionem. *Cibi immundi, & potus immundus, non polluunt hominem, ſi ea non tangat: at verò ſi manibus ea tangat, tunc manus ſiunt immundæ: ſi manibus ambabus contrectet, ambæ manus polluuntur; ſi manu unâ tantùm ea tangat, una tantùm polluitur. Ramb.* ubi anté.

VI. Incubuit ergò cura *Phariſaiſmo*, ut cibi apponerentur, quantum fieri potuit, ab immunditia immunes & remoti: præſertim verò, cùm de hoc ſemper ſecuri eſſe non poſſent, ut ſecuri eſſent, nè à manibus ſuis cibi redderentur immundi. Hinc earum lotiones, non ſolùm cùm immundas eas eſſe ſcirent, ſed etiam cùm non ſcirent.

Rambam in præfatione ad tractatum יָדַיִם: *Si immundæ ſunt manus quâvis immunditiâ, quæ manus reddit immundas: aut ſi hominem lateat, ísque ignoret quòd polluatur, tamen tenetur ad lavandum manus, ad comeſtionem victûs communis*, &c.

VII. Ad rigidiſſimos de hac re Canones addiderunt etiam larvas & terriculamenta.

Bab. Taanith, fol. 20. 2. מילתא רשיבתא הוה *Res Shibtæ fuit.* Ubi Gloſſa, *Shibta ex dæmonibus eſt, qui iis nocent, qui non lævant manus ante cibum.* Aruch, *Shibta eſt ſpiritus malus, qui manibus hominum inſidet noctu: & ſi quis cibum ſuum tangat illotis manibus, cibo iſti inſidet iſte ſpiritus, & ab eo eſt periculum.*

Hæc in tranſcurſu: infinitum eſſet omnia de hoc ritu & ſuperſtitione proſequi. De quantitate aquæ ad hanc lotionem ſufficienti, de manuum lotione, & merſione, de aqua prima & ſecunda, de modo lotionis, de tempore, de ordine cùm numerus accumbentium excederet quinque, vel non excederet, aliísque hujusmodi apicibus, lege, ſi vacat, & ſi per tædium & nauſeam potes, tractatum *Talmudicum* יָדַיִם, *Maimonidem* in מקואות, *Bab. Beracoth*, fol. 46. 2. &c. Et intertexitur quidem hic articulus per totum volumen טהרות.

Finiatur hæc diſſertatio hoc Canone, *Hieroſ. Challah*, fol. 58. 3. *Ad placentam, & ad manûs lotionem, ambulet homo uſque ad quatuor milliaria.*

VERS.

VERS. 5. Δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, &c.

I. Præter legem à *Chriſto* allegatam, *Honora patrem & matrem*, &c. hoc etiam pro jure agnoverunt, בן מאכיל אביו ומשקה מלביש ומכסה מציאו ומכניס ומרחץ פניו ידיו ורגליו *Filius tenetur ad cibandum patrem, ad potandum, veſtiendum, tegendum, inducendum, & educendum, & ad lavandum ejus faciem, manus, & pedes. Toſaphta* in *Kidduſhin*, cap. 1. Imò altius illud eſt, quod aſſeritur, *Hieroſ. Kidduſhin*, fol. 61. 2, 3. *Tenetur filius patrem nutrire, imò pro eo mendicare.* Non mirum eſt ergò, ſi non in Pandecto *Judaico* inveniantur verbatim hæc, quæ dicuntur à *Salvatore*: nam non tam ideo ab eo allegantur, ut oſtendatur, directam eorum fuiſſe machinationem, ut reverentiam ac amorem omnem erga parentes abdicarent, quàm ut demonſtretur, quàm impiæ fuerint eorum Traditiones, ac in quàm nefandas conſequentias ſæpe prolaberentur. Directè parentum alimoniam non negârunt, imò præſcripſerunt, præceperunt, hortati ſunt; at conſequenter per hanc Traditionem omnia iſta fruſtranea fecerunt. Vilipendendum quidem patrem præ Rabbino Legem eos docente palàm docent: *Maimon.* in *Gezelah*, cap. 12. at negligendos parentes nequaquam aſſerunt aperté; aſt apertiſſimè per conſequentiam ex ſtolida atque impia hac Traditione deductam.

II. In clauſulam hanc [Δῶρον, (vel, ut *Marcus*, Κορβᾶν) ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς] promptè commenteris, perlectis tractatibus *Talmudicis Nedarim* & *Nazir*, ubi agitur de votis aut juramentis; votúmque aut jurandi formulam fatur Phraſiologia, quæ ſub manibus.

1. Vota in duas claſſes fuerunt diſtincta, נדרי הקדש, & נדרי איסור *vota conſecrationis* & *vota obligationis*, vel *prohibitionis*. נדרי הקדש *Votum conſecrationis* fuit, cùm aliquid devoveretur in uſus ſacros, altaris ſcilicet, aut Templi: veluti cùm quis voto hoc vel illud dicaret in ſacrificium, vel ad coemendum lignum, ſalem, vinum, &c. pro altari: vel לברק הבירה in reparationem Templi, &c. נדר איסור *Votum obligationis*, vel *prohibitionis*, fuit, cùm ſe quis voto ſtringeret ab hoc vel illo, quod in ſe erat licitum, veluti, ſe hoc vel illud non comeſturum, non induturum, non facturum, &c.

2. Hoc iis pro noto Axiomate, כל כינויי נדרים כנדרים

Omnia Epitheta votorum ſunt ſicut ipſa vota. Nedarim, cap. 1. halac. 1. Formulas quaſdam breves adhibuerunt, quibus votum ſignificârunt, quæque vim voti ſecum reportârunt, ac ſi periphraſi largiori res enuntiaretur. Exempli gratiâ, האומר לחבירו קונם קונה קונם הרי אלו ביניו לקרבן *Si quis proximo ſuo diceret Konem, Konah, Kones, Ecce, hæc ſunt epitheta rei devotæ in uſus ſacros.* Ibid. halac. 2.

Vocem קונם ſic explicat *Rambam* in *Bab. Beracoth*, fol. 51. 1. כהקרש יהא עלי. *Sit ſuper me ſicut res ſacrata.* Sic etiam, *R. Niſſim* in *Nedarim*, cap. 1. קונם קונה הרי לשון הקרש הוא *Konem, Koneh, ſunt vocabula ſacrationis.*

Adduximus anteà, ad capitis quinti verſum trigeſimum tertium, formulas quaſdam juramentorum, quæ aſſertivæ tantùm erant. hæ ſub manibus ſunt etiam votivæ. Loco jam ex *Beracoth* adducto, dicit quidam קונם היין שאני טועם שהיין קשה לבני מעים *Konem ſit vinum, quod ego guſtavero, nam vinum durum eſt viſceribus:* id eſt, Sit vinum, quod ego guſto, ſicut vinum ſacratum: ac ſi dixiſſet, Voveo me non guſtaturum vinum. *Quibus reſponſum eſt ab aliis, Nonne vinum vetus prodeſt viſceribus? Tunc ille tacuit.*

III. At præ omnibus votorum iſtiusmodi formulis planiſſima eſt vox קרבן Κορβᾶν, quæ apertè rem ſacratam atque uſui ſacro dicatam effatur. Obſervabítque tractatuum iſtorum Lector, de quibus mentionem fecimus, frequentiſſimè occurrere has formulas: קונם שאני נהנה לך, & קרבן שאני נהנה לך, quæ ipſiſſimum idem ſonant, niſi ego plurimùm fallar, cum verbis ſub manibus, Κορβᾶν, vel Δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς.

Quæ verba ut clariùs intelligantur, atque ut eruatur planus plenúsque loci ſenſus; hæc animadvertenda.

1. Vocem Δῶρον reddendam potiùs *Donum ſit*, quàm *Donum eſt*: Nam קונם & קרבן ut notavimus, non כהקרש היה *ſicut ſacratum eſt* denotârunt, ſed כהקרש יהא *ſicut ſacratum ſit*. Atque is, de quo anteà mentionem habuimus, qui dixit קונם היין שאני טועם: non hoc ſibi voluit, *ſicut ſacratum eſt vinum quod ego guſtabo*, ſed *ſicut ſacratum ſit vinum quodcunque ego guſtavero:* id eſt, quod ad me attinet ſit omne vinum ſacratum, & non guſtandum.

2. Hæc

2. Hæc loquendi formula קרבן שאני נהנה לך. Δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, nec eum arguit, qui sic locutus est, sua in usus sacros dicâsse, nec eum [secundùm doctrinam Scribarum] ad ea sacranda obligavit, sed ab ista re solùm obligando cohibuit, cui negandæ tali formulâ est usus, id est, ab eum suis facultatibus juvando, cui sic dixit. Aliis prodesse ex opibus suis potuit, isti non potuit.

3. Inducuntur verba, quasi prolata cum indignatione: ac si, cùm à filio alimoniam posceret egenus pater, responderet ille iracundus, & cum contemptu, *Sicut res sacrata sit, quodcunque meum tibi prodesse possit.* Res autem sacratæ non erant in usus communes erogandæ.

4. *Christus*, non solùm legem citat, *Honora patrem & matrem*; sed & hoc quoque addit, ὁ κακολογῶν πατέρα, ἢ μητέρα. Jam verò, nulla erat hic omnino κακολογία, si filius verè, & modestè, & ut res fuit, enuntiavit, nempe sacrata anteà fuisse sua omnia.

5. Quamvis ergò dicta fuerint hæc à filio, irreverenter, indignabundè, atque inhumanè, erga patrem, ea tamen erat doctrinæ Traditionalis, hac in causa, stoliditas simul atque impietas, quæ obligatum adeò per hæc sua verba pronuntiaret filium, ut patri indigenti nequaquam licuerit succurrere. Ad dicanda sua in sacros usus per hæc verba nullatenus tenebatur, ad non juvandum patrem tenebatur inviolabiter. O egregiam doctrinam & charitatem!

6. Verba commatis ergò sic reddi possunt, absque ulla interjecta additione, quam apponunt interpretes plerique. *Quicunque dixerit patri, aut matri, Donum* [sacratum] *sit, quocunque possis à me juvari: tunc nequaquam honoret patrem suum aut matrem suam.*

VERS. 11. Κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον.

Sic reddi videtur vox פוסל idiotismo, ut ità dicam, *Pharisaico*: quia illi homines pollutos pro hominibus communibus aut vulgaribus æstimârunt: è contrà, vir religiosus apud eos est יחיד *vir singularis.* In *Act.* x. 14. κοινὸν ἢ ἀκάθαρτον idem sonare videntur, quod פסול או טמא *Talmudicis.*

VERS.

VERS. 20. Ἀνίπτοις χερσί.

Non dicit *Impuris* manibus, ſed *illotis*: quia, ut diximus antè, ad lavandum tenebantur, quamvis conſcii non forent manus fuiſſe immundas. *Marco* eſt κοιναῖς χερσὶ, *Marc.* vii. 2. quæ quidem *Talmudicis* videntur vocari *impuræ* manus, ob meram abſentiam lotionis. Judica ex illo, quod dicitur in *Challah*, cap. 2. hal. 2. *Ex maſſa, quam depſunt ſucco fructuum, debetur placenta,* ונאכלת בידים מסואבות *& comeditur manibus immundis.*

VERS. 22. Γυνὴ Χαναναία.

Marco Ἑλλὰς Συροφοίνισσα τῷ γένει, cap. vii. 26.

I. Χαναναία.] Obſervatione dignum eſt, ſacram paginam שבע אומות *ſeptem iſtas gentes*, quæ perdendæ erant ab *Iſraelitis*, numerantem *Perizzæos* nominare, qui non omnino recitantur inter filios *Canaanis*, Gen. x. & *Canaanæos* ſpeciatim, cùm omnes ſeptem eſſent quidem *Canaanæa*. vide *Deut.* vii. 1. *Joſ.* ix. 1. & xi. 3. *Judic.* iii. 5, &c.

Ratio poſterioris [quo cum nobis res eſt] indè petenda eſt, quòd *Canaan* ipſe peculiarem partem terræ iſtius [Septentrionalem ſcilicet] habitaverit cum primogenitis ſuis *Sidone* & *Heth*. Atque indè ſpeciali iſti progeniei nomen *Canaanæorum* inditum fuit, ab aliis omnibus filiis ſuis diſtinctum; regióque iſta peculiari nomine *Canaan* vocata, diſtinctivè à reliqua terra *Canaanitide*. Hinc *Jabin rex Hazor* vocatur *rex Canaan*, Judic. iiii. 2. & reges [ni ego fallar] *Tyri* & *Sydonis* vocantur *Reges Hittæorum*, I *Regum* x. 29.

II. Ἑλλὰς Συροφοίνισσα.] Quamvis diutiſſimè ſuccubuerat jam *Judæa*, & totus ferè mundus, ſub jugo *Romanorum*, non adhuc tamen evanuerat memoria regni *Syro-græci*, noménque gentis. Et notatu dignum eſt illud, quod dicitur in *Bab. Avodah Zarah*, fol. 10. 1. בגולה אין מונין אלא למלכי יונים *In captivitate non computant annos niſi à regno Græcorum*. Dixerunt antè, fol. 8. 2. *Romanos, per centum & octoginta annos, Judæis imperâſſe, ante exciſum Templum*; & tamen tempora, ad iſtud excidium, non ſupputant per annos *Romanorum*, ſed per annos *Græcorum*. Penſitent hoc bene ipſi *Judæi*, iíque cum illis *Chriſtiani*, qui *Romanam*

Romanam pro quarta Monarchia habent apud *Danielem*.

Mulier ergò iſta, de qua hìc agitur, ut omnia in compendium compingamus, fuit *Syro-Græca* gente, *Phœniſſa* habitatione, atque indè *Canaanæa* nomenclaturâ.

VERS. 26. Τοῖς κυναρίοις.

Hoc titulo, ex virulentia & contemptu, *Judæi* Gentiles dedecorârunt, quibus nihil priùs, quàm omnes præter ſeipſos odio, ludibrio, maledictioni, habere. *Midr. Till.* fol. 6. 3. אומות עולם נמשלו ככלבים *Nationes mundi* [id eſt, *Ethnici*] *aſſimulantur canibus.*

Ex communi gentis loquela potiùs, quàm ex ſenſu ſuo, Phraſſologiâ hâc utitur *Salvator*, cui *Gentiles* non tam exoſi, & cui in more fuit loqui cum vulgo.

Recidit tandem in propria capita faxum hoc nominis ignominioſi, in *Ethnicos* jactum, ídque dirigente manu, & juſtitiâ divinâ. Nam, quamvìs illi ex ſuperbia & contemptu opprobrium illud *Gentilibus* impegerint, ſummo tamen eorum demerito in ipſos realliſum eſt à Spiritu ſancto. Vide *Pſal.* lix. 6. *Philip.* iii. 2. *Apoc.* xxii. 15, &c.

VERS. 36. Εὐχαριστήσας ἔκλασε.

Vide hìc *Beracoth*, cap. 7. ubi agitur de modo gratiarum actionis, cùm plures conveſcuntur. שלשה שאכלו חייבי לזמן *Tres qui conveſcuntur debent junctim gratias agere*; hoc eſt, unus pro reliquis gratias egit [ut Gloſſa] *numero plurali, dicendo Benedicamus.* Sic cùm decem eſſent, aut centum, aut mille, aut plures, unus pro omnibus gratias egit, atque illi poſt eum reſponderunt *Amen*, aut verba quædam, quæ ipſe recitaverat. Vide halac. 3.

CAP. XVI.

VERS. 3. Διακρίνειν τὸ σημεῖα τῶν καιρῶν οὐ δύνασθε;

CUrioſi admodùm erant *Judæi* in obſervandis tempeſtatibus cœli, & temperamento aeris.

Bab. Joma, fol. 21. 2. *In exitu diei ultimi feſti Tabernaculorum omnes obſervârunt aſcenſum fumi. Si fumus inclinaret Septentrionem verſùs, pauperes gaviſi ſunt, at ditiores dolore ſunt affecti; quia pluviæ anni ſequentis multæ futuræ erant, fructúsque corrumpendi: ſi Auſtrum versùs inclinaret, pauperes contriſtati ſunt, & ditiores lætati; nam tum pluviæ anni futuræ erant rariores, & fructus immarcidi: ſi Orientem verſùs, omnes gaviſi ſunt: ſi Occaſum verſùs, omnes ſunt contriſtati.* Gloſſa, *Hoc obſervârunt die ultimo feſti Tabernaculorum, quia die præcedente conſignatum eſt decretum judicii eorum de pluviis iſtius anni, ſicut traditur, In feſto Tabernaculorum judicatum eſt de iis, quoad pluvias.*

Hieroſ. Taanith, fol. 65. 2. *R. Acha dixit, Si fuiſſet Sapiens quis in Zippore, cùm deſcenderet pluvia prima, ex ipſo pulveris odore prædicere poterat humiditatem anni*, &c.

At cœcutierunt ad ſigna temporum, id eſt, ad ſigna iſta inſignia, quæ plano quaſi digito & viſibili ſatìs indicio demonſtrant, adeſſe jam tempora iſta, prædictionis atque exſpectationis, dies *Meſſiæ*. Ac ſi dixiſſet, Nonne dijudicare poteſtis, inquit, adveniſſe jam tempora *Meſſiæ* ex ſignis iſtis, quæ planè hoc enuntiant? Nonne obſervatis expirantes jam Hebdomadas *Danielis*? Nonne vos ſub jugo, de quo excutiendo, nec ſpes omnino, nec exſpectatio? Nonne dilapſam in omnimodam nequitiam gentem? Nonne edita à me miracula, qualia nec anteà viſa nec audita? Nonne confluentem, ad miraculum uſque, infinitam multitudinem ad profeſſionem Evangelii: atque excitatos omnium animos in præſentem exſpectationem *Meſſiæ*? Stupenda cœcitas, voluntaria pariter ac cœlitùs immiſſa: peccatum ſimul & pœna. Omnia, quæ *Meſſiam* demonſtrare ac judicare poſſunt, vident; at nolunt videre.

VERS.

VERS. 6. Προσέχετε ἀπὸ τῆς ζύμης τῶν Φαρισαίων, &c.

Duo videntur fuiſſe præſertim, quæ Diſcipulos in erroneam horum verborum interpretationem adegerint, ità ut de fermento propriè dicto intellexerint.

I. Quòd rariùs *Fermentum* de doctrina adhibitum audîiſſent. Frequens certè ejus apud eos fuit uſus Metaphoricus, ſenſu malo, de affectibus ſcilicet malis, & cordis pravitate; at rarior, ſi ullus omnino, de prava doctrina.

Bab. Berac. fol. 17. 1. Sic quidam orat: *Domine ſeculorum, Revelatum, & notum coram facie tua eſt, nos voluntatem tuam facere velle; aſt illud quod impedit tu ſubde.* שאור שבעיסה ושעבוד מלכיות *Fermentum ſcilicet, quod eſt in maſſa, & tyrannidem regnorum*, [Ethnicorum.] Ubi Gloſſa, *Fermentum quod in maſſa ſunt pravi affectus, qui in cordibus noſtris nos fermentant.*

Idem *Roſh haſhanah*, fol. 3. 2. כורש החמיץ *Cyrus fermentatus eſt*, id eſt, deterioratus, vel in pejus evaſit. Adhibetur aliquando in meliorem ſenſum, *Dicunt Rabbini, Beatus eſt ille judex, qui fermentat judicium ſuum. Kimch.* in *Eſai.* i. 17. at hoc non de doctrina intelligendum, ſed de deliberatione in judicio.

II. Quòd curioſè admodùm caveretur à Canonibus *Phariſaicis*, quo fermento utendum, quo non; ſparſim occurrunt diſputationes, an utendum fermento *Ethnico?* an *Cuthæo?* &c. Vide *Hieroſ. Schabb.* fol. 3. 3. &c. quâ cautelâ & *Chriſtum* ipſos de fermento *Phariſæorum* inſtruxiſſe arbitrati ſunt Diſcipuli; at tacitam ſimul correptionem ſunt ſuſpicati, de non adductis panibus.

VERS. 13. Τίνα με λέγουσιν οἱ ἄνθρωποι εἶναι, τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου;

I. Phraſiologia iſta, vel titulus, *Filius hominis*, quo ſeipſum frequentiſſimè inſignit *Chriſtus*, nec humanitatem ejus ſolùm denotat, nec humilitatem, [nam vide illud *Joan.* v. 27. Autoritatem ei dedit judicium exſequendi, *quia eſt Filius hominis*,] ſed *ſemen Adamo promiſſum* enuntiat, *Adamum ſecundum*: duplicísque apud *Judæos* ignorantiæ atque erroris confutationem tacitam ſecum portavit. 1. Non nôrunt quid de origine *Meſſiæ* ſtatuerent, & qualiter ille oriundus, an è vivis futurus, ut notavimus antè,

ignoto originis modo, an è mortuis. Nodum hunc ſolvit hæc Phraſis, palámque docet, eum, ſemen homini primo promiſſum, è mulieris ſemine oriundum naſcendúmque. 2. Victorias *Meſſiæ* terreſtres, & ſubjugandas ab eo gentes ſomniabant: at mentes eorum reducit hic titulus *Filius hominis* ad primam promiſſionem, ubi victoria ſeminis promiſſi eſt contritio capitis ſerpentis, non ſubjugatio gentium triumpho aliquo bellico, & terreno.

II. Incertæ & vagæ ergò cùm fuerint *Judæorum* opiniones de perſona *Meſſiæ*, qualisnam ſcilicet is futurus; quærit *Chriſtus*, non tam an *Meſſiam* illum agnoſcerent; quàm, *Meſſiam* agnoſcentes, qualemnam eum conciperent. Agnoverunt eum *Meſſiam* Apoſtoli, aliíque quos congregaverat Diſcipuli, qui quamplurimi: [imò hoc confeſſi fuerant iſti cœci capitis noni verſu viceſimo ſeptimo.] ſupervacua ergò fuiſſet iſta quæſtio quoad iſtos, *Num me putant eſſe Meſſiam?* at neceſſaria iſta, *Quidnam concipiunt de me Meſſia?* Et huc reſpicit reſponſum *Petri*, *Tu es Chriſtus, filius Dei viventis:* quaſi dicat, Sat novimus jam pridem te eſſe *Meſſiam*; at quod ad quæſtionem tuam, *Qualiſnam tu*, dico ego te eſſe *Filium Dei viventis*. Vide quæ notamus ad capitis viceſimi ſeptimi verſum quinquageſimum quartum.

Vox ergò מה non tam de perſona hìc quærit, quàm de qualitate perſonæ: quo ſenſu & vox מי in verbis iſtis, I *Sam.* xvii. 55. בן מי זה Non, *Filius cujus*, ſed *Filius qualis viri*, hic juvenis?

VERS. 14. Ἕτεροι δὲ Ἱερεμίαν.

Rationem cur *Jeremiam* ſolùm ex omnibus Prophetis nominent reddimus ad capitis viceſimi ſeptimi verſum nonum. Obſervas ad memoriam mortuorum hìc recurſum, è quibus oriturum *Meſſiam*, potiùs quàm è vivis, inter alia forſan hæc ratio ſuaſit, quòd minimè tunc dierum exſpectari poſſet ea pietas in aliquo vivente, qualis eluxerat in iſtis mortuis. [Quidam è *Gemariſtis Babylonicis Danielem*, è mortuis reſuſcitatum, *Meſſiam* futurum ſuſpicatur.] Suaſítque hoc forſan ulteriùs, quòd *Regnum Meſſiæ* à reſurrectione exorſurum exiſtimarent: quod opinantibus propinquum erat, ipſum *Meſſiam* nobiliorem aliquem è Sanctis mortuis fuiſſe opinari, ipſúmque reſurgentem reliquos ſecum adducturum.

VERS.

VERS. 17. Σὰρξ καὶ αἷμα.

Infinitâ frequentiâ hanc formulam loquendi adhibent Scriptores *Judaici*, eâque homines Deo opponunt.

Bab. Beracoth, fol. 28. 2. *Si me adducturi eſſent* לפני מלך בשר ודם *Coram Rege carnis & ſanguinis*, &c. *At me adducturi ſunt coram Rege Regum.*

Tanchum, fol. 12. 4. *Rex carnis & ſanguinis format imaginem ſuam in tabula*, &c. *Sanctus Benedictus ſuam*, &c. Occurrit Phraſiologia hæc quinquies in una iſta columna.

Idem fol. 18. 3. לא כמדת הקבה מדת בשר ודם *Deus Sanctus Benedictus non agit, prout agit caro & ſanguis*, &c. *Caro & ſanguis unâ re vulnerant, aliâ ſanant: at Sanctus Benedictus unâ eâdémque re vulnerat, & ſanat. Joſephus venditus propter inſomnia, & promotus eſt propter inſomnia*, &c.

VERS. 18. Σὺ εἶ Πέτρος, &c.

I. Nihil vel in ratione, vel gentis Dialecto, prohibet, quò minùs *Salvatorem* ipſiſſimâ hâc *Græca* dictione uſum arbitremur; cùm iſtiusmodi *Græcizationes* tunc temporis apud Gentem iſtam non fuerint inſolitæ. At eſto [quod magìs abſque controverſia aſſeritur] *Syriacâ* eum voce uſum fuiſſe; nego tamen ipſiſſimâ eâdem כיפא hìc uſum, quâ illico: aſt eam vel, more *Græco*, *Cephas* enuntiâſſe; vel, *Syriacâ* formatione, in adjectivo ſenſu protuliſſe כפאי. Nam quînam, quæſo, à Diſcipulis, vel à *Petro* ipſo intelligi potuit, ſi utrobique dictionem eandem retinuiſſet אנת כיפא *Tu Petra*, ועל כיפא *Et ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam?* Promptè reſpondetur à Pontificiis, *Petrum eſſe Petram.* At dicant tandem cur eâdem voce non uſus *Matthæus Græcè*, ſi eâdem uſus *Salvator Syriacé*. Si ædificandam Eccleſiam ſuper *Petrum* innuiſſet, planius & vulgari idiomati cognatius fuiſſet dixiſſe, Tu es *Petrus*, & ſuper *te* ædificabo Eccleſiam.

II. Verba de Petra, ſuper quam Eccleſia ædificanda, planè deſumuntur ab *Eſaiæ* cap. xxviii. 16. quæ, interprete Novo Teſtamento locis quamplurimis, *Chriſtum* ſonant apertiſſimé. Cùm ergò *Petrus* primus omnium Diſcipulorum [jam ab ipſo prædicationis Evangelicæ initio,] clariſſimè de perſona *Chriſti* pronuntiâſſer,

ſet, myſteriúmque incarnationis fuiſſet elocutus, deitatémque *Chriſti* confeſſus, meritò ad iſta verba *Eſaiæ* revocantur mentes Diſcipulorum, ut agnoſcere diſcant, quiſnam ille lapis poſitus in *Sione* pro fundamento in æternum non concutiendo; & unde iſtius fundamenti inconcuſſio, indè nempe, quòd ille non creatura, ſed ipſe Deus, filius Dei.

III. Cognomen ergò indè ſortitus eſt *Petrus*, non ut Petram illam eum eſſe indè argueretur; ſed quòd ei non minimum negotii eſſet in ædificatione iſta Eccleſiæ ſuper Petram, ſive iſtius è *Judaïs* congregatæ, cujus ille præcipuus Miniſter, ſive iſtius *Gentilitiæ* [de qua præcipuè hic ſermo] ad quam introitum ille primus fecit Evangelio.

VERS. 19. Καὶ δώσω σοι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν.[1]

Id eſt, *Tu primus aperies oſtium fidei Gentibus.* Dixerat ædificaturam ſe Eccleſiam in æternum duraturam, in quam portæ inferorum nunquam prævalituræ, quæ prævaluerant in *Judaïcam*; Tibíq;, inquit, ô *Petre*, dabo claves regni cœlorum, ut oſtium aperias introductioni Evangelii ad iſtam Eccleſiam. Quod à *Petro* præſtitum eſt in memorabili iſta hiſtoria de *Cornelio*, *Actor.* x. Atque ad hæc verba *Chriſti* reſpexiſſe verba iſta *Petri* minimè dubito, *Actor.* xv. 7. Ἀφ' ἡμερῶν ἀρχαίων ὁ Θεὸς ἐν ἡμῖν ἐξελέξατο, διὰ τοῦ στόματός μου ἀκοῦσαι τὰ ἔθνη τὸν λόγον τοῦ Εὐαγγελίου, καὶ πιστεῦσαι.

Καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, &c.
Καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, &c.

I. Claves *Petro* ſoli commiſſas credimus; at poteſtatem ligandi & ſolvendi reliquis etiam Apoſtolis, cap. xviii. 18.

II. *Chriſtum* cum vulgo hìc loqui neceſſe eſt ut arbitremur, aut non intelligi poſſe abſque particulari commentario, qui nullibi adeſt.

III. Jam verò *ligare & ſolvere*, Phraſiologia in Scholis *Judaïcis* uſitatiſſima, de rebus enuntiabatur, non de perſonis; quod & hìc etiam obſervandum in articulis ὃ & ὅσα, cap xviii.

Myriada exemplorum adducere liceret ex ipſorum ſcriptis: nos duplicem *Decada* tantùm in medium proferemus: primam, unde frequens uſus hujusmodi locutionis eluceat; ſecundam unde ſenſus.

1. *Hieroſ. Jom tobh*, fol. 60. 1. *R. Jochanan dixit*, [*Tiberienſibus*

ſibus] *Quare hunc Seniorem ad me adduxiſtis ?* דאנא שרי חזא *Quodcunque ego ſolvo, ille ligat; quod-*
אסר ואסר הזא שרי *cunque ego ligo, ille ſolvit.*

2. Idem ibid. fol. 60. 1. לא תאסור ולא תשרי. *Nec liges, nec ſolvas.*

3. Idem ibid. fol. 63. 1. *Nachum frater R. Illæ quæſivit à R. Jochanane de re quadam.* [*ni ille,* לא תאסור ולא תשרי *Nec liges, nec ſolvas.*

4. *Bab. Megillah,* fol. 26. 7. חד אסר וחד שרי *Hic ligat, at ille ſolvit.*

5. *Hieroſ. Orlah,* fol. 61. 2. *R. Chaiia dixit,* כל מה שאסרתי
לך ממקום אחת התרתי לך כאן *Quodcunque ligavi tibi alibi, ſolvo tibi hic.*

6. Idem *Schab.* fol. 16. 4. & *Bab. Avodah Zarah,* fol. 7. 1.
שאל לחכם ואסר *Quæſivit à Sapiente uno, & ille ligavit:*
לא ישאל לחכם אחר שמא יתיר *nè quærat à Sapiente alio, nè fortè ſolvat.*

7. *Demai,* cap. 6. halac. 11. & *Maimon.* in *Gezelah,* cap. 4.
פרס שאסר הזא פרס שהתיר: *Os quod ligat eſt os quod ſolvit.*

8. *Toſaphta* in *Jevamoth,* cap. 1. אף על פי שאלו אוסרין
ואלו מתירין *Quamvis è Shammæanis ac Hillelianis, hi liga-*
rent, & illi ſolverent, non prohibiti tamen ſunt, quò minùs purifica-
tiones facerent hi ſecundùm illos.

9. Idem ibid. cap. 4. חכם שרן ארס חרין טמא וטיהר
אסר והתיר *Sapiens, qui judicat judicium, pollnit & mundat,*
[id eſt, pollutum declarat, aut mundum] *ſolvit & ligat.* Idem etiam apud *Maimon.* in *Mamrim,* cap. 1.

10. *Bab. Berac.* fol. 23. 1. רבינא שרי רב ארא אסר
Num licet ingredi latrinam cum Phylacteriis ad mingendum tan-
tùm ? *Rabbena ſolvit, Rabh Ada ligat. Hieroſ. Horaioth,* fol. 48. 3.
בעל אגרת שאינו לא אוסר ולא מתיר *Doctor myſticus,*
qui nec ligat, nec ſolvit.

Decas altera Phraſiologiam exhibebit rebus applicatam.

1. *Peſa-*

1. *Peſachin*, cap. 4. hal. 5. *In Judæa opera* [ſervilia] *fecerunt veſpere Paſchatis* [id eſt, die *Paſcha* præcedente] *uſque ad meridiem; at in Galilæa non. At quod ad noctem* " בש" אוסרין ובה" מתירין עד הנץ החמה *Schola Shammæana ligat, Schola Hilleliana ſolvit, uſque ad ortum Solis.*

2. Ibid. cap. 6. hal. 2. *Dies feſtus hoc docere poteſt,* שהתירו בו משום מלאכה *In quo ſolverunt ex notione operis* [ſervilis] mactationem ſcilicet, & coctionem, &c. ut notat Gloſſa, ואסרו בו משום שבות *At in quo ligârunt ex notione Sabbatiſmi*: id eſt, ut eadem Gloſſa, importationem cibi alicujus ab extra limites Sabbaticos.

3. *Hieroſ. Shabb.* fol. 4. 1. *Literas non mittunt per manus Ethnici, veſpere Sabbati, imò nec quinto die ſeptimanæ:* בש" אוסרין אפילו ברביעי ובה" מתירין: *Imò Schola Shammæana illud ligat, etiam quarto die Hebdomadæ, at Schola Hilleliana ſolvit.*

4. Idem ibid. *Navigationem non inchoant in mari magno, veſpere Sabbati, imò nec quinto die Hebdomadæ.* בש" אוסרין אפילו ברביעי ובה" מתירין *Imò Schola Shammæana illud ligat, etiam quarto die Hebdomadæ: at Schola Hilleliana ſolvit.*

5. Idem ibid. fol. 6. 1. *Lavantibus in thermis Sabbato* אסרו להן רחיצה והתירו להן זיעה *ligant lotionem, ſolvunt ſudationem.*

6. Idem ibid. fol. 7. 4. *Speculam inſpicere mulieribus Sabbato non licet, ſi modò parieti affigatur,* רבי מתיר וחכמים אוסרין *ſed Rabbi ſolvit, at Sapientes ligârunt.*

7. Idem ibid. fol. 16. 2. *De motione vaſorum vacuorum* [Sabbato] *de quibus implendis nulla intentio,* בש" אוסרין ובה" מתירין *Schola Shammæana ligat, Schola Hilleliana ſolvit.*

8. Idem *Jom Tobh*, fol. 61. 1. *De colligendis lignis die feſto, per agrum hinc indè ſparſis* בש" אוסרין ובה" מתירין *Schola Shammæana ligat, Schola Hilleliana ſolvit.*

9. *Bab. Sanhedr.* fol. 100. 1. לעולם לא שרו לן עורבא ולא אסרו לן יונה *Nunquam ſolverunt nobis corvum, nec ligârunt nobis columbam.*

10. *Trumah*, cap. 5. hal. 4. *Seah Trumæ immundæ incidit in centum*

centum Seas. Trumæ mundæ? כ"ש אוסרים וב"ה מתירין. *Schola Shammæana ligat, Schola Hilleliana ſolvit.* Infinita ſunt hujusmodi exempla.

Addatur & Decas tertia [nè quid non ſit in hac re dictum] partes Phraſiologiæ ſeparatim & diſtinctè exemplificans.

1. *Maimon. Mamrim*, cap. 2. דברים שלא אסרו אותן כדי לעשות סייג *Res quas non ligârunt, ut facerent ſepem Legi.*

2. Idem in *Hamets* & *Matſah*, cap. 1. סופרים אסרוהו *Scribæ fermentum ligârunt.*

3. Idem ibid. cap. 5. לא קנסו ואסרו אלא ברומן עצמו *Non mulctârunt & ligârunt niſi de fermento ipſo.*

4. Idem ibid. cap. 9. אסרו חכמים לאכל חמץ *Ligârunt Sapientes comeſtionem fermenti, ab initio horæ ſextæ* [diei *Paſchatis*].

5. *Hieroſ. Avod. Zarah*, fol. 39. 2. *Dicit R. Abhu, Quæſivit à me R. Gamaliel ben Rabbi, Quid ſi eatur in forum?* ואסרתי לו *Et ego illud ei ligavi.*

1. *Maim. Mamrim*, cap. 2. בר' שהתיר שני דברים אי יכול להתיר דבר שלישי *Synhedrium, quod ſolvit duas res, nè feſtinet ſolvere tertiam.*

2. *Tanchum*, fol. 1. 3. *Dicit R. Jochanan*, מרוחק התירו שאלת שלום בשבת *Neceſſariò ſolverunt ſalutationem Sabbato.*

3. Idem fol. 74. 3. חכמים מתירין הכל השמנים *Sapientes ſolvunt omnia olea*, vel *omnia pinguia.*

4. *Shabb.* cap. 1. halac. 5. *Schola Shammæana dicit, Non macerant atramentum, colores, & vicias*; [veſpere Sabbati] *niſi ut macerentur ante diem finitum.* ובית הלל מתירין *At Schola Hilleliana ſolvit.* Plura iſtiusmodi illìc occurrunt.

5. *Hieroſ. Schabb.* fol. 3. 1. ר' מאיר התיר לטרוף *R. Meir ſolvit mixtionem vini, & olei, ad ungendum agrotum Sabbato.*

His addi poſſet, ſi eſſet opus, frequens dicam? an infinitus? uſus Phraſium אסור ומותר quæ centies millies occurrunt. Sed ſat ſupérque ex his allegatis videt Lector & frequentiam, & communem hujus Phraſiologiæ uſum, atque etiam ſenſum. Quòd ſci-

licet, 1. Adhibeatur in doctrina & judiciis, de rebus licitis, aut non licitis in Lege: quódque 2. *Ligare* ſit idem ac *prohibere*, aut *prohibitum declarare*; & *ſolvere* idem ac *permittere*, aut *declarare licitum*. *Chriſtum*, communi Phraſiologiâ utentem, communi & vulgari ſenſu ab auditoribus intellectum, ridiculum dicam? an amentiæ eſſet? non opinari. Huc ergò recidunt hæc ejus verba.

Cùm jam adeſſet tempus, quo Lex *Moſaica*, ſecundùm aliquam ejus partem enervanda eſſet, & in deſuetudinem evaſura; ſecundùm aliam, in perpetuum continuanda & duratura: *Petro* hìc, reliquíſque Apoſtolis (capite 18. verſu 18.) poteſtatem concedit, ut enervarent aut confirmarent quæ ſibi viſa forent, & prout ſibi viſum foret, Spiritu ſancto edoctis ad hoc, & manuductis: quaſi dicat, In Lege *Moſaica* quodcunque vos ligaveritis, id eſt, prohibueritis, prohibitum erit, ſanciente autoritate divinâ; & quodcunque ſolveritis, id eſt, permiſeritis, vel permiſſum & licitum docueritis, erit licitum & permiſſum.

Hinc ligârunt, id eſt, prohibuerunt, circumciſionem credentibus; comeſtionem Idolothytorum, ſuffocatorum, & ſanguinis, pro tempore, *Gentilibus*; & quod ligârunt in terra ſancitum eſt in cœlo. Solverunt, id eſt, permiſerunt, purificationem *Paulo*, quatuórque aliis fratribus, in fugam ſcandali, *Act.* xxi. 24. Et, ut verbo omnia, his *Chriſti* verbis iis commiſſum eſt, dirigente Spiritu ſancto, ut de religione decernerent, quoad uſum, aut rejectionem, rituum & judiciorum *Moſaicorum*, idque vel in tempus, vel in perpetuum.

Applicentur verba Paraphraſticè ad rem præſentem cum *Petro* tranſactam. Ædificaturus ſum, inquit *Chriſtus*, Eccleſiam *Gentilitiam*, tibíque, ô *Petre*, do claves regni cœlorum, ut tu primus oſtium fidei iis aperias: ſi autem quæras, quânam normâ regulanda ſit iſta Eccleſia, cùm norma *Moſaica* iſti videri poſſit admodùm aliena, tu ità à Spiritu ſancto duceris, ut quodcunque legis *Moſaicæ* illis prohibueris erit prohibitum, quodcunque conceſſeris erit conceſſum, idque ſub ſanctione in cœlo.

Hinc in illo inſtante, cùm clavibus ſuis uſurus eſſet, id eſt, cùm jam aperiturus januam Evangelii *Gentilibus*, *Act.* x. edocetur cœlitùs ſolutam jam eſſe conſociationem *Judæi* cum *Gentili*, quæ anteà fuerat ligata, & ſolutam jam etiam eſſe, quæ anteà fuerat ligata, comeſtionem animalis cujusvis, eſui convenientis: atque is pariter hæc duo ſolvit.

Verba

Verba iſta *Salvatoris*, Joan. xx. 23. *Quorum peccata remiſeritis remittuntur iis*, ut plurimùm in eundem ſenſum cum his ſub manibus coguntur; cùm longè alium ſecum ferant. Agitur hìc de doctrina ſolùm, non de perſonis; illìc de perſonis, non de doctrina: hic de rebus licitis, aut non licitis in religione, determinandis ab Apoſtolis; illìc de perſonis obſtinatis, aut non obſtinatis, per eos puniendis, aut non puniendis.

Quoad doctrinam, dupliciter inſtructi ſunt Apoſtoli. 1. Ad pedes Magiſtri tam diu ſedentes doctrinam imbiberant Evangelicam. 2. Spiritu ſancto dirigente, de doctrina & praxi erant deciſuri legali: de utroque completè docti, atque habiles facti, deſcendente in eos Spiritu ſancto. Quoad perſonas ſuas, peculiari privilegio erant donati, ità ut, dirigente eodem Spiritu, ſi quorum vellent retinere peccata & punire, poteſtas in eorum manu fuit tradendi *Satanæ*, morbis, plagis, imò ipsâ morte mulctandi: quod fecit *Petrus Ananiæ & Sapphiræ*; *Paulus Elymæ*, *Hymenæo & Phileto*, &c.

CAP. XVII.

VERS. 2. Καὶ μετεμορφώθη.

CUm baptizaretur *Chriſtus*, Sacerdotium ſuum Evangelicum jam initurus, voce cœleſti obſignatur pro *ſummo Pontifice*, atque ungitur Spiritu ſancto, prout ſoliti ſunt *ſummi Pontifices* oleo ſancto.

In transfiguratione ſua obſignatur pro *ſummo Propheta*: nam adverte, 1. Ut confluant ad eum duo maximi è Prophetis, *Moſes* & *Elias*. 2. Ut addatur ad verba iſta, *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, [quæ etiam ad Baptiſmum ejus è cælo ſunt audita] clauſula iſta, *Hunc audite*; quam confer cum verbis *Moſis* de Propheta, à Deo ſuſcitando, *Deut.* xviii. 19. *Quicunque non auſcultaverit verbis meis, quæ ego in os ejus indam*, &c. 3. Ut vox cœleſtis prodîerit è nube eos obumbrante, cùm ad Baptiſmum ejus non apparuerit talis nubes. Hìc obſervatione dignum eſt, quod notant *Judæi* nonnulli, & ratio dictat, Diſceſſiſſe ſi-

licet nubem gloriæ [*Iſraelis* ductricem] ad mortem *Moſis*: nam, dum ille viveret, nubes iſta dux fuit populi in eremo; aſt, eo mortuo, Arca fœderis eum duxit. Prout ergò nubes iſta diſceſſit ad mortem *Moſis*, magni iſtius Prophetæ; ità nubes iſtiusmodi jam adeſt ad obſignationem Prophetæ maximi. 4. Eo ſplendore fulget *Chriſtus* hìc, imò majori quàm *Moſes* & *Elias* jam glorificati; atque hoc & in honorem perſonæ ſuæ, & in honorem doctrinæ: quæ utræque infinitis paraſangis utrasque iſtorum anteîerunt. Cùm faciem *Chriſti* transfigurati cum *Moſe* & *Elia* colloquentis tantâ coruſcantiâ fulgentem recognoſcis, agnoſce ſplendorem Evangelii præ nebuloſa obſcuritate Legis, & Prophetarum.

VERS. 4. Ποιήσωμεν ὧδε τρεῖς σκηνάς, &c.

Transfiguratio *Chriſti* erat noctu: confer *Luc.* ix. 37. Oranti illi mutatur forma faciei & veſtium; atque accedunt *Moſes* & *Elias*, ac de ejus morte colloquuntur, [incertum quàm diu] dum adhuc ſomno premerentur tres Diſcipuli præſentes. Expergefactis, oh, quale ſpectaculum! Expavefacti obſervant & contemplantur. Agnoſcunt Prophetas: quos jam diſcedentes retentos voluit *Petrus*, & ſcenam tam nobilem non diſſipandam, hoc proponens, *Faciamus tria tabernacula*, &c. Unde Prophetas dignoſceret, fruſtrà quæritur; quia nullibi invenitur: cognitos eos diſcedere illinc noluit, ſuavitate iſtiusmodi ſodalitii raptus, utcunque terrore gloriæ attonitus; atque hinc ejus verba, quæ loquens à *Luca* dicitur *non nôſſe quid dixit*, à *Marco*, *non nôſſe quid diceret*: quæ de applicatione verborum ejus malè locata intelligenda ſunt potiùs, quàm de ſenſu verborum. Novit ſatìs ſe hæc verba dixiſſe, novítque bene quâ ratione ea dixit, at *non novit tamen quid dixit*; id eſt, erravit longè hæc dicens, dum permanſuros atque habitaturos illìc unà *Chriſtum*, *Moſen*, ac *Eliam* terrenis tabernaculis crederet.

VERS. 5. Ἔτι αὐτοῦ λαλοῦντος, ἰδοὺ, νεφέλη, &c.

Moſe & *Eliâ* terga dantibus, & è ſcena jam tum exeuntibus, verba ſua loquitur *Petrus*; atque, ipſo iſta loquente, cùm jam Prophetæ evanuiſſent, *Ecce*, *nubes*, &c. Mortem *Chriſto* ſuam prædicâſſent illi, [quale eſt præconium Legis & Prophetarum *Chriſtum* paſſurum, *Luc.* xxiv. 44.] Deitatem ejus Diſcipulis prædicat, atque eum pro vero *Meſſia* obſignat vox cœleſtis. Vide II *Pet.* i. 16, 17.

VERS.

VERS. 10. Τί οὖν οἱ γραμματεῖς λέγουσιν, ὅτι Ἠλίαν δεῖ ἐλθεῖν πρῶτον;

I. De exſpectato adventu *Eliæ* infinitum eſſet omnia afferre quæ liceret ex ſcriptis *Judaicis:* nos pauca hæc, quaſi ἐν παρόδῳ, quæ ſatis vanam iſtam exſpectationem eloquuntur, ac fines etiam adventûs exſpectati.

1. Audiatur primus *David Kimchius* in verba iſta *Malachiæ, Ecce, ego mitto vobis Eliam Prophetam! Reſtituet* [inquit] *Deus animam Eliæ, quæ aſcendit olim in cœlum, in corpus creatum inſtar corporis ejus prioris: nam corpus ejus primum ad terram rediit, cùm ille aſcenderet in cœlum, unumquodque elementum in elementum ſuum. Cùm autem eum vivificaverit Deus in corpore, mittet eum ad Iſraelem ante diem Judicii, qui eſt dies Domini magnus & terribilis: atque ille patres natósque admonebit ſimul, ut ad Deum convertantur, & qui convertuntur liberabuntur à die Judicii,* &c. Adverte quò ſpectet oculus Diſcipulorum in quæſtione, quæ ſub manibus. Juſſerat *Chriſtus*, verſu præcedenti, *Nemini dixeritis viſionem*, [transfigurationis] *donec Filius hominis à mortuis reſurgat.* Jam verò, quamvis illi quid ſibi per reſurrectionem à mortuis vellet non intelligerent, [quod innuit *Marcus*] rotundè tamen hæc retorquent, *Quare ergò dicunt Scribæ, Eliam priùs venturum?* Id eſt, Priùs quàm ſit reſurrectio, & dies judicii: nam reſurrecturum *Chriſtum* omnino adhuc ignorârunt. Reſurrectionem futuram ad adventum *Meſſiæ* cum tota gente crediderunt.

2. Audiatur ſecundus *Aben Ezra. Comperimus*, inquit, *Eliam vixiſſe in diebus Ahazia filii Achabi: comperimus etiam Joramum, filium Achabi, & Jehoſaphatum quæſiviſſe ab Eliſæo Propheta; atq; illic ſcriptum eſt*, Hic eſt Eliſha filius Shaphat אשר יצק qui fudit aquas ſuper manus Eliæ. *Atque hoc indicium eſt Elias priùs aſcendiſſe in turbine ad cœlum: quia non dicitur* יוצק Qui fundit aquas, *ſed* qui fudit. *Porrò, non diſceſſit Eliſha ab Elia ex eo tempore, quo primùm ei famulatus eſt, uſque dum Elias aſcenderet. Et tamen comperimus quòd poſt mortem Jehoſhaphati, in diebus Ahazia filii ejus, ſcriptum ſit*, Et venit epiſtola ad eum ab Elia Propheta. *Et hoc probat, quòd is tunc eam ſcripſit & miſit: nam, ſi ſcripta fuiſſet ante ejus aſcenſum, diceretur, Et inventa eſt, vel, allata eſt epiſtola ad eum, quam poſt ſe reliquerat Elias. Atque abſque controverſia eſt, eum viſum fuiſſe in diebus Sapientum ſanctorum noſtrorum.*

Acceleret Deus ex miſericordia ſua Prophetiam ſuam, atque terminos ejus adventûs. Sic ille in *Malach.* iv.

3. *Eliam* Sabbatizántem in monte *Carmelo* ſupponunt *Talmudici* in *Hieroſ. Peſachin*, fol. 30. 2. *Nè comburatur*, inquit quidam, *Trumah, de qua dubitetur, an munda ſit an immunda; nè Elias Sabbatizans in monte Carmelo adveniat, & teſtetur de ea Sabbato, quòd ſit munda.*

4. His atque hujusmodi ineptiis ſcatent paginæ *Talmudica. Perditum quid ſi quis reperit, publico præconio illud manifeſtare tenetur; ſi verò non advenerint poſſeſſores illud requirentes, apud ſe reponat, uſque dum advenerit Elias. Maimon.* in *Gezelah*, cap. 13. Et, *Si quis reperit codicillum contractuum inter ſuos, ignorátque quid ſibi velit, reponatur apud ſe, uſque dum advenerit Elias. Bava Mezia*, cap. 1. halac. ult. &c.

5. Nè prolixitate laboremus, ſat ſiet pauca adduxiſſe ex *Bab. Erubhin*, fol. 43. 2. ubi ſuper hoc thema, *Si dicat quiſpiam, Ecce, ego ſum Nazirœus, eo die, quo venit Filius Davidis, permittitur bibere vinum Sabbatis & diebus feſtis*, diſputatur quonam die Hebdomadæ venturus *Meſſias*, & quonam *Elias*: ubi inter alia hæc occurrunt, לא אתא אליהו בשבתא למחר *Elias non venit heri*: id eſt, eodem die, quo venit, prodibit in publicum; & non latebit veniens heri in hodiernum. Gloſſa ſic, *Si dicis, Fortè veniet veſpere Sabbati, atque Evangelizabit* [יבשר] *Sabbato: reſpondere licet textum iſtum, Ecce, ego mitto vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini; arguere, illum prædicaturum eſſe eo ipſo die quo advenerit.*

מובטח להן לישראל וגו׳ *Certi ſunt Iſraelitæ, Eliam nec veſperiis Sabbatorum venturum, nec veſperiis dierum feſtorum propter laborem.* Itémque לא אתי אליהו בשבא *Elias non venit Sabbato.* [Sic dicunt *Hilleliani* in *Hieroſ. Peſachin*, fol. 30. 2. *Nos certi ſumus Eliam non venturum Sabbato, nec die feſto.*] Rationem reddunt Gloſſatores, *Non in veſperiis Sabbatorum, aut dierum feſtorum, propter laborem*; id eſt, propter præparationem in Sabbatum; nè ſcilicet neceſſaria Sabbato non peracta relinquant, ut obviàm ei eant: *Nec Sabbatis, propter laborem* in conviviis; nè ſcilicet omittant convivationes & comeſtiones iſtas Sabbato habitas tam neceſſarias, dum *Eliæ* in occurſum progrediantur.

Ex

Ex Glossatoribus in paginam citatam hæc tria observata pro coronide sunto.

1. לפני ביאתן כן דוד יבוא אליהו לבשר *Ante adventum Filii Davidis adveniet Elias, ad Evangelizandum de eo.*

2. לא אתי משיח ברוך בשבא *Non venit Messias primo Sabbati, quia Elias non veniet Sabbato.* Unde videtur exspectatum *Eliam* pridie ante apparentem *Messiam*.

3. הלא משיח בן יוסף יש לו לבוא תחילה *Nonne Messias ben Joseph est priùs venturus?*

II. Innumeræ occurrunt historiæ apud *Talmudicos* de appariti-onibus *Eliæ:* secundùm quod dictum antè ab *Aben Ezra*, *Absque controversia est, visum fuisse Eliam in diebus Sapientum nostrorum sanctorum.* Exemplis non opus est, cùm non tam ambigi possit, quisnam horum Sapientum *Eliam* viderit, quàm quis non viderit. Historias istas omnes ego certè pro fabulis habere non possum, sed in quàm plurimis earum præstigias & spectra non possum non suspicari, quod & anteà diximus etiam de *Bath Kol*. Nam callidè sic elusum est à Diabolo genti huic, decipi volenti; atque obliterata est vel capacitas observandi adventum *Messiæ* jam præterfluisse, cùm hinc illinc, hoc illo seculo, appareret prodromus ejus *Elias*, ac si indè denotaret eum adhuc adventurum.

VERS. 11. Καὶ ἀποκαταστήσει πάντα.

Plurima fingunt *Judæi*, quæ restauraturus *Elias*. יטהר המזורים *Purificabit nothos, eósque restituet congregationi. Bab. Kidduschin*, fol. 71. 1. *Kimch.* in *Zech.* ix. *Israeli reddet urnam Mannæ, phialam sacri olei, phialam aquæ, & sunt qui dicunt virgam Aaronis. Tanchum* in *Exod.* i, &c. quæ, heu! quàm longè absunt ab iis, quæ dicuntur de officio *Eliæ*.

Ἀποκαταστήσει] *Restituet*, vel *componet*, non in pristinum statum, sed in meliorem. Erant χρόνοι ἀποκαταστάσεως πάντων à Deo determinati, *Act.* iii. 21. quibus omnia componenda erant in statum Evangelicum, & *Messiâ* dignum: Fundanda Ecclesia, & disseminanda doctrina Evangelii, unienda corda *Judæorum* patrum filiis *Gentilibus*, & corda filiorum *Gentilium* patribus *Judæis*; quod opus, à *Baptista* inceptum, à *Christo* atque Apostolis est perfectum:

fectum: quo termino, reſtitutionis omnium horum, exſpirante exſpiravit etiam respublica *Judæorum*, & desierunt dona revelationis ac miraculorum, ad hanc rem conceſſorum, ac neceſſariorum. Utcunque ergò *Chriſtum* crucifixiſtis, inquit *Petrus*, loco *Actorum* citato; Deus tamen vobis adhuc mittet *Jeſum Chriſtum*, in prædicatione Evangelii, ad hæc complenda. Illum quidem, quoad perſonam, cœli excipiunt, excipiéntque, uſque dum hæc omnia perficiantur; [nè ergò perſonalem ejus præſentiam cum errante gente ſemper in terris exſpectate.] at ille per nos miniſtros omnia hæc cõponet, & conſtituet, uſque dum advenerint termini huic reſtitutioni perficiendæ determinati, & præfixi.

VERS. 15. Σεληνιάζεται.

Luc. ix. 39. Πνεῦμα λαμβάνει αὐτὸν. *Marc.* ix. 17. ἔχει πνεῦμα ἄλαλον.

I. Recordabitur hìc *Talmudicorum* peritus quæ dicuntur de חרש ושוטה de quibus tam multiplex memoria in eorum ſcriptis.

Trumah, cap. 1. hal. 1. *Quinque ſunt, qui non Trumizent; quòd ſi faciant, Trumah eorum non eſt Trumah;* חרש ושוטה *Surdo-mutus, Lunaticus*, &c. *Cholin*, cap. 1. hal. 1. *Quivis ad mactandam beſtiam eſt idoneus, exceptis* חרש ושוטה קטן *Surdo-muto, lunatico & parvulo*, & quamplurima hujusmodi, &c. חרש reddidi *Surdo-mutum* [detur verbo venia] ſecundùm ſen. ſum Magiſtrorum, qui loco primùm citato vocem ſic interpretantur; חרש *de quo loquuntur Sapientes, ille eſt, qui nec audit, nec loquitur.* Vide ibi *Gemaram Hieroſ.* ubi inter alia hoc notatu non indignum occurrit, *Omnes ſcilicet filios R. Jochananis ben Gudgoda fuiſſe* חרשין *ſurdo-mutos.*

II. *Judæis* uſitatiſſimum erat morbos quosdam graviores, eos præſertim, quibus vel diſtortum eſt corpus, vel mens turbata & agitata phreneſi, malis ſpiritibus attribuere.

Maimon. in *Gerùſhin*, cap. 2. מי שהיה רוח רעה מבעתת אותו ואמר כשהתחיל בו החולי *Si quis vexatus ſpiritu malo dixerit, cùm illum primò invaſerit iſte morbus, Conſcribite libellum repudii uxori meæ*, &c.

Gittin, cap. 7. hal. 1. מי שאחזו קורדיקוס *Si quis, quem vexat Kordicus, dicat, Conſcribite libellum repudii uxori meæ*, &c.

Kor-

Kordicus, inquiunt Gloſſatores, *eſt Dæmon, qui dominatur in nimium vini novi bibentibus.* מאי קורדייקוס *Quid eſt Kordicus? Samuel dicit,* רנכתיה חמרא חדתא דמצרתא *Cùm quemquam momorderit vinum novum è torculari. Gemar. Bab.* quam vide. *Rambam* in locum hæc ait, קוררייקוס *eſt morbus generatus à repletione vaſorum cerebri, à quo confunditur intellectus: éſtque morbus è genere morborum comitialium.* Ecce tibi eundem Dæmona & morbum! cui & exorciſmos aptant *Gemariſtæ* & diætam: vide *Bab. Gittin*, fol. 67. 2.

Aruch in voce שיבתא. *Shibta eſt ſpiritus malus, qui prehendens cervices infantum nervos earum exſiccat & contrahit.*

Bab. Beracoth, fol. 51. 2. *Qui pocula duplicata ebibit* ניזק ע' שרים *plectitur per Diabolum.*

Ex hac vulgari gentis opinione [Dæmonas ſcilicet iſtiusmodi morborum eſſe autores] ab uno Evangeliſta introducitur pater hujus pueri de eo dicens, Σεληνιάζεται, ab alio ἔχει πνεῦμα. Surdus & mutus fuerat ab ipſa nativitate, accreverat iſti infortunio Phreneſis aut Lycanthropia [quod morbi genus Dæmonio attribuere non erat genti inſolitum] atque hìc reipſâ aderat Dæmonium.

VERS. 17. Ὦ γενεὰ ἄπιστος καὶ διεστραμμένη, &c.

In *Scribas* præcipuè collimatur acies horum verborum [vide *Marc.* ix. 14.] & tamen intacti omnino non evaſerunt Diſcipuli. Abſente *Chriſto* & tribus Diſcipulorum anteſignanis, affertur hic puer ad reliquos ſanandus: illi eum ſanare non poſſunt, partim quòd reverà inerat ei Diabolus, partim quòd ab ipſa nativitate adhæſerat ei hoc malum. Hinc inſultant Scribæ, atque ipſos, Magiſtrúmque ipſorum, dicteriis proſcindunt; Gens incredula & perverſa, quæ nec miraculis editis evincitur, & non editis convitiatur: vacillavit fides Diſcipulorum [verſu 20.] ex perſpicua rei difficultate, quæ inſuperabilis viſa eſt, cùm tot in unum coaluerant mala, ſurditas, obmuteſcentia, phreneſis, atque obſeſſio Dæmonii, atque hæc omnia à pueri incunabulis.

VERS. 20. Πίστιν ὡς κόκκον σινάπεως, &c.

כטיפת חרדל vel כזרע חרדל. Vide capitis decimi tertii verſum viceſimum tertium.

Ἐρεῖτε τῷ ὄρει τούτῳ, &c.

Vide quæ notamus ad capitis vicesimi primi versum vicesimum primum.

VERS. 21. Τοῦτο τὸ γένος οὐκ ἐκπορεύεται, εἰ μὴ ἐν προσευχῇ καὶ νηστείᾳ.

Non multùm absimile est, quod dicitur *Bab. Taanith*, fol. 22. 2. מפני רוח רעה יחיד רשאי לסגף את עצמו *Ob spiritum malum licet viro singulari*, [vel *religioso*] *seipsum* [jejuniis] *affligere*.

VERS. 24. Οἱ τὰ δίδραχμα λαμβάνοντες.

De *Hemisiclo* annuatim penso in ærarium Templi hoc esse intelligendum duo suadent. 1. Ipsum vocabulum, quo census hìc vocatur, Δίδραχμα. De hoc sic *Josephus*, *de bell.* lib. 7. cap. 27. Φόρον δὲ τοῖς ὅπου δήποτ' οὖσιν Ἰουδαίοις ἐπέβαλε δύο δραχμὰς, ἕκαστον κελεύσας ἀνὰ πᾶν ἔτος εἰς τὸ Καπετώλιον φέρειν, ὥσπερ πρότερον εἰς τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις νεὼν συνετέλουν. Et de eodem sic *Dion Cassius*, lib. 66. Καὶ ἀπ' ἐκείνου Δίδραχμον ἐτάχθη, τοὺς τὰ πάτρια αὐτῶν ἔθη προτέλλοντας τῷ Καπετωλίῳ Διὶ κατ' ἔτος ἀποφέρειν. Septuaginta quidem Interpretes in *Exod.* xxx. 13. Ἥμισυ τοῦ διδράχμου reddunt, ast insuper hoc addentes, ὅ ἐστιν κατὰ τὸ δίδραχμον τὸ ἅγιον. Esto; totus *Siclus* fuit Δίδραχμον ἅγιον· *Hemisiclus* tunc esto Δίδραχμον δημόσιον. Utcunque res se habet, Pensans *Hemisiclum* vulgari dialecto dicebatur Pensans *Shekalim*. Et quod hìc dicitur à *Matthæo* Δίδραχμα λαμβάνοντες, *Talmudici* dicunt תובעין שקלים vel גובין. *Targumistæ* locum istum in *Exod.* xxx. reddunt פלגות סלעא: cujus rationem vide, si libet, in *Maimon. Shekalim*, cap. 1. *Siclus*, inquit ille, *de quo sermo in Lege, pendebat* 320 *grana hordei: ast ponderi ejus addiderunt aliquando Sapientes, fecerúntq; ut idem valeret quod nummus* סלע *sub Templo secundo, id est*, 384 *grana hordei mediana*. Vide locum, & Glossam. 2. Responsio *Christi* satìs arguit de hoc censu agi, cùm se dicit esse filium istius Regis, in cujus usum pensio ista exigebatur: nam *indè coemebantur sacrificia juge, atque addititia, atque libamina eorum, Manipulus, duo panes*, (*Levit.* xxiii. 17.) *panes propositionis, omnia sacrificia congregationis, vacca rufa, caper emissarius, & lingula coccinea quæ inter ejus cornua*, &c. *Shekalim*, cap. 4. halac. 1, 2.

At

At occurrit hìc, non facilis admodùm reſponſu, hæc objectio. Tempus ſolutionis Didrachmorum erat circa feſtum *Paſchatis*; (*Shekalim*, cap. 1. hal. 3.) at longè jam elapſum erat id temporis, appropinquavítq; feſtum Tabernaculorum. Reſponderi poſſet, 1. *Matthæum*, qui hanc hiſtoriam recitat, ſeriem & ordinem temporis non obſervâſſe, quod ei non inſolitum: quippe qui inter omnes Evangeliſtas maximè hiſtoriarum tempora diſlocet. At concedatur, ordinem hiſtoriæ apud eum rectum hìc eſſe & proprium; Reſpondetur, 2. Aut *Chriſtum* ad *Paſcha* proximè elapſum vix affuiſſe aut, ſi afforet, ob impendens illi periculum ab inſidiis *Judæorum* non potuiſſe ſolutionem hanc præſtare, eo modo quo oportuit. Animadverte ea, quæ dicit *Joannes* de *Paſchate* proximè elapſo, cap. vi. 4. *Propè erat Paſcha feſtum Judæorum*; & cap. vii. 1. *Poſt iſta Jeſus ambulavit in Galilæa. noluit enim amplius ambulare in Judæa, quia ſtudebant Judæi eum interficere.* 3. Non inuſitatum erat ſolutionem Didrachmorum hujus anni in annum ſequentem prorogare, illud urgente aliquâ neceſſitate. Hinc, cùm feſſum eſſet ad cenſum hunc colligendum & recipiendum, collocatas ante ſe habuerunt collectores duas ciſtas, in unam quarum penſum anni præſentis repoſuerunt, in alteram præteriti. Vide *Shekalim*, cap. 2. & *Maim.* ibid.

Objectio. At quare collectores *Capernaumi* nunc temporis ſolutionem exigunt, cùm, ex more, non niſi decimâ quintâ menſis *Adar* inceptum eſt eam efflagitare? *Reſp.* 1. Certum eſt in unaquaq; civitate fuiſſe menſarios [שולחנין] qui eam exigerent, collectámque apportarent ad *Hieroſolymas*. Hinc illud, tractatu citato, *Decimâ quintâ menſis Adar ſedent menſarii in urbibus* [ad exigendum *Hemiſiclum*] *& viceſimâ quintâ ſedent in Templo.* 2. Incerta *Chriſti* mora *Capernaumi* non injuſtam collectoribus hiſce cauſam dedit debitum hoc exigendi, quandocunque illum præſentem illìc haberent; hoc præſertim tempore, cùm jam inſtaret feſtum Scenopegiæ, iíque *Hieroſolymas* profecturi rationem forſan collectionis ſuæ erant reddituri.

Si verò cuiquam libet hoc de tributo *Romanis* penſando intelligere; nos non contendimus. Tum videntur verba tributum exigentium, *Magiſter veſter non ſolvit Didrachma?* hoc ferè ſonare, Num Magiſter veſter eſt de ſecta *Judæ Galilæi?*

CAP. XVIII.

VERS. 1. Τίς ἄρα μείζων ἐστὶν ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν;

SIne obſervatione præteriri non poteſt, ambitioſam Diſcipulorum diſputationem de Primatu ut plurimùm ſequi mentionem factam de morte *Chriſti*, atque ejus reſurrectione. Vide hanc hiſtoriam in *Marc.* ix. 31, 32, 33. *Luc.* ix. 44, 45, 46. *Dixit Diſcipulis ejus, Reponite vos in aures veſtras ſermones iſtos: futurum enim eſt, ut Filius hominis tradatur in manus hominum. Ipſi verò ignorabant dictum illud*, &c. *Incidit autem diſceptatio inter eos, quis eſſet eorum maximus.* Item *Matth.* xx. 18, 19, 20. *Dixit eis, Ecce, aſcendimus Hieroſolymam, & Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum*, &c. *Tunc venit ad eum mater filiorum Zebedæi, cum filiis ſuis, dicens, Dic ut ſedeant iſti duo filii mei, unus ad dextram*, &c. Et *Luc.* xxii. 22, 23, 24. *Filius quidem hominis, prout definitum eſt, abit*, &c. *Orta autem eſt inter eos contentio, quis eorum videretur eſſe major.*

Somnium de regno *Meſſiæ* terreno adeò animis inſedit [nam hanc doctrinam cum primo lacte inbiberant] ut iterum iterúmque repetita mentio de viliſſima morte ipſius *Meſſiæ* nullatenùs illud indè abegerit. Hæret imis infixa medullis imago pompæ terreſtris, nec verbis ullis *Chriſti* adhuc exſtirpari poteſt, imò nec viſâ morte *Chriſti*, cùm pariter viſa eſſet ejus reſurrectio: nam tum etiam quærunt, *An hoc ipſo tempore reſtitues regnum Iſraeli?* Act. i. 6.

Utcunque, poſt prædictam ſæpe iis à *Chriſto* mortem ſuam ac reſurrectionem, ſemper ſequatur apud Evangeliſtas, quòd *non intellexerint quod dictum eſt*; formata tamen animis eorum à doctoribus ſuis opinio, reſurrectionem præceſſuram regnum *Meſſiæ*, interpretationem iis talem hac de re ſubminiſtravit, ut nè gry quidem ſententiæ de regno terreno futuro amitterent.

Vide plura ad cap. xxiv. 3.

VERS. 6. Συμφέρει αὐτῷ, ἵνα κρεμασθῇ μύλος ὀνικὸς, &c.

Συμφέρει αὐτῷ] טוב לו.

Μύλος ὀνικὸς dici videtur in diſtinctionem molarum iſtarum minutiſſimarum, quibus commolere ſueti ſunt aromata, vel vulneri cir-

circumcisionis applicanda, vel deliciis Sabbaticis addenda. Huc Glossa *R. Sol.* in illud *Jerem.* xxv. 10. *Sonum molarum & lucem candelæ: Sonus molarum*, inquit, *quibus commolebant & contundebant aromata ad medelam circumcisionis.*

Quòd *Christus* hìc de genere mortis, forsan nullibi, certè nunquam apud *Judæos* usitato, loquitur: aut in aggravationem rei id facit, aut in allusionem ad submersionem in mari mortuo; in quo mergi quis non potuit absque pondere aliquo ei appenso; & in quo quid submergere communi Phrasiologiâ notabat, abjectioni, odio, atque execrationi devovere, quod observavimus alibi.

VERS. 10. Ἄγγελοι αὐτῶν ἐν οὐρανοῖς διὰ παντὸς βλέπουσι, &c.

Optimè hoc exponas, adducto quod dicitur *Hebr.* i. 14. *Angeli sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæredes futuri sunt salutis:* quasi dicat, Videte, nè contemnatis unum ex his pusillis, qui in Ecclesiam Evangelicam recepti sunt cum credentibus parentibus: nam dico vobis, quòd eo more, quo ministrant Angeli credentibus adultioribus, ministrant & istis.

VERS. 12. Ἐὰν πλανηθῇ ἕν, ἀφεὶς ἐννενηκονταεννέα, &c.

Forma loquendi usitatissima.

Peah, cap. 4. halac. 2. *In distribuendo uvas quasdam & dactylos pauperibus, etiamsi dicant nonaginta novem, Sparge; & unus tantùm, Divide: huic auscultant, quia loquitur secundùm Traditionem.*

Hieros. Schab. fol. 14. 3. *Si moriantur nonaginta novem ab oculo malo*, [id est, à fascinatione] *unus autem manu cœli:* id est, ictu Dei, &c.

Si moriantur nonaginta novem præ frigore, unus autem à manu Dei, &c.

VERS. 15. Ἔλεγξον αὐτὸν μεταξὺ σοῦ καὶ αὐτοῦ μόνου.

Ratio præcepti fundatur in charitativa ista lege, *Levit.* xix. 17. *Non odio habebis fratrem tuum in corde tuo: sed corripiendo corripies eum; & non feres in eo peccatum.*

Hìc non incongruè *Talmudici. Bab. Erachin*, fol. 16. 2. *Tradunt Rabbini, Non odio habebis fratrem tuum in corde tuo. Fortè*

ei? non tundit, non vellicat, non ei maledicit: Textus dicit, In corde tuo; *loquens de odio in corde. Unde autem aſtruitur, quòd videns fratrem ſuum turpe aliquid perpetrantem tenetur illum corripere? Quia dicitur* הוֹכֵיחַ תּוֹכִיחַ, Corripiendo corripies. *Corripit,* ולא קיבל *at ille non audit, unde aſtruitur eum ad ſecundam correptionem teneri? Textus dicit,* Corripiendo corripies. Et paulò poſt, *Uſque quò corripiendum? Rabh dicit uſque ad ictus:* id eſt, uſque dum correptus corripientem percutiat. *Samuel dicit, uſque dum iraſcatur.* Vide etiam *Maimon:* in *Peah,* cap. 6.

VERS. 16. Παράλαβε μετὰ σοῦ ἔτι ἕνα ἢ δύο, &c.

Idem exigunt Juridici *Hebraici* à peccante in fratrem. *Hieroſ. Joma,* fol. 45. 3. & *Bab. Joma.* 87. 1.

Samuel dicit. Quicunque peccat in fratrem ſuum neceſſe habet, ut ei dicat, In te peccavi. Si audiat, bene. Si non, adducat alios, & placet eum coram iis. Si forſan moriatur, placet eum ad ſepulchrum ſuum, & dicat, In te peccavi, &c.

Aſt altiori charitate exigit hic *Salvator,* ab eo ſcilicet, in quem peccatur.

Pari modo *admonuit Synhedrion magnum civitatem ad Idola prolapſam, per duos diſcipulos Sapientum. Si reſipuerunt, bene: ſi minùs, bellatum in eam eſt à toto Iſraele.* Maimon. in *Avodah Zarah,* cap. 4.

Pari etiam modo *maritus Zelotypiâ motus, coram duobus teſtibus, uxori indixit, Nè colloquaris cum N,* &c.

VERS. 17. Εἰπὲ τῇ Ἐκκλησίᾳ.

Illud, quod ei, in quem peccatum eſt, incubuit, hoc erat, ut animam ſuam liberaret fratrem corripiendo, & non ferendo in eo peccatum. Hoc erat, quod opus habuit teſtibus: nam quidnam aliud poterant illi teſtari? Non teſtari potuerunt peccâſſe fratrem in corripientem; nam hoc illi omnino forſan ignorârunt: ſed hoc teſtari poterant, Eum, in quem peccatum eſt, debitâ correptione uſum, nihilque omiſiſſe, quod à Lege in iſta cauſa eſt præceptum, quò fratrem admoneret, ac, ſi fieri poſſet, in viam reduceret. Addiderunt & teſtes amicam admonitionem ſuam: quibus ſi à peccante non eſt auſcultatum, *Dicatur Eccleſiæ.*

Longam iſtam altercationem hìc non inimus de ſenſu vocis *Eccleſiæ*

cleſiæ hoc in loco. Utcunque eam ſumas, non tàm hìc certè agitur de cenſura perſonæ peccantis, quàm de vindicatione corripientis, ut omnibus innoteſceret ſe munere ſuo functum, ac animam ſuam liberâſſe.

Uſitatiſſimum erat apud *Judæos*, obſtinatos in hac vel illa perverſitate, poſt indultam admonitionem, publico præcònio in Synagoga notare, ac infamiam eis inurere.

Bab. Sanhedr. fol. 26. 2. בולן צריכין הכרזה בבירת דין *Omnes hi opus habent publico præconio in conceſſu.* Agitur illìc de quibuſdam paſtoribus, exactoribus, & publicanis, & declaratur quàm ſint incapaces perhibendi in aliqua re judiciaria teſtimonii, at non ante publicum in eos exhibitum præconium in conſeſſu.

Maimon. in אישורי cap. 12. *Si quis rennit liberos ſuos alere, reprehendunt eum, pudefaciunt eum, urgent eum: ſi adhuc rennit, publicè in eum proclamant in Synagoga, dicentes, N. crudelis eſt, & non vult alere liberos ſuos: vel ipſis volucribus immundis crudelior, nam illæ pullos ſuos alunt,* &c.

Id. ibid. cap. 14. *Uxor vexatrix, quæ dicit, Ego marito angorem creabo, quia mihi hoc vel illo modo fecit, aut quia mihi maledixit, aut quia mihi jurgia civit,* &c. *hac audit per nuntios à conſeſſu, Innoteſcat tibi, quòd ſi in perverſitate tua perſtes, ſit licèt dos tua centum minarum, tu totam eam perdidiſti.* ואחר כך מכריזין עליה בבתי כנסיות ובבתי מדרשות *Et deinceps publicum præconium in eam edunt in Synagogis, & in Medraſhoth unoquoque die per quatuor Sabbata.*

Ἔστω σοι ὥσπερ ὁ Ἐθνικὸς, καὶ ὁ τελώνης.

Ἔστω σοι dicit, non ἔστω τῇ Ἐκκλησίᾳ, quia agitur de peculiari & privato ſcandalo in hominem ſingularem, qui poſt adhibitam trinam hanc admonitionem, eámque incaſſum, ſolutus eſt à lege fraternæ obligationis, atque ille, qui non reſipiſcit admonitus, ei non tam pro fratre habendus, quàm pro *Ethnico*, &c.

I. *Chriſtus* non ſecundùm plenam latitudinem legis iſtius, *Lev.* xix. 17. hìc præſcribit de omni peccante, ſed de peculiariter peccante in fratrem, ac peculiariter docet, quid agendum ſit iſti fratri.

II. Quamvis ei, in quem eſt peccatum, juſta eſſet cauſa cur ſolveretur ab obligatione fraterni officii erga eum, qui de illata injuria

nec

nec ſatisfacere voluit, nec admoneri, reliquis tamen in Eccleſia non eadem cauſa.

III. Planè hoc ſibi volunt verba, Si poſt trinam ac juſtam hanc correptionem perſtet adhuc, qui in te peccavit, intractabilis, & nec tibi de injuria ſatisfacere, nec admonitus vult reſipiſcere; liberâſti tu animam tuam, ac fraternis erga eum officiis es ſolutus, æquè ac ſolutos officiis ſe reputant *Judæi* erga *Ethnicos* & Publicanos. Non diſſonum admodùm eſt illud *Maimon.* in *Geruſhin*, cap. 3. *Judæus Apoſtatizans, aut Sabbatum violans ex præſumptione, eſt omnino ſicut Ethnicus.*

1. *Ethnicos* non reputârunt pro fratribus aut proximis: *Aruch* in בן ברית *Si cornu percuſſerit bos cujusvis bovem proximi. Proximi, non Ethnici: cùm dicit Proximi, excludit Ethnicos:* quod adduximus anté.

2. Publicanos nullo modo reputârunt intra ſocietatem religioſam. *Hieroſ. Demai*, fol. 23. 1. חבר שנעשרה נבאי רוחין אותו מחבורתו *Religioſus, qui evadit Publicanus, pellendus eſt è ſocietate religioſa.*

3. Hinc nec cum *Ethnicis*, nec cum Publicanis comedebant: de qua re ſæpiuſcule litigant cum *Salvatore*. Hinc illud Apoſtoli, I *Cor.* v. *Cum tali non comedere*, idem eſt, quod hìc, *Eſto tibi, ſicut Ethnicus*, &c.

Maimon. in רוצח, cap. 12. *Prohibitum eſt Judæo ſolum eſſe cum Ethnico, itinerari cum Ethnico*, &c.

4. Officia etiam fraterna negârunt *Ethnicis* & Publicanis.

Maimon. Gezelah, cap. 11. *Prohibitum eſt reducere deperditum quid Ethnici. Nedarim* cap. 3. halac. 4. *Publicanis jurare licet, illud oblationem eſſe, quod non eſt: te è famulitio Regis eſſe, cùm non ſis*, &c. id eſt, Publicanos licet fallere, idque juramento.

VERS. 18. Ὅσα ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, &c.

Pendent hæc verba à præcedentibus. Egerat de ſolutione ab officio fraterno in cauſa quadam particulari: agit jam de autoritate & poteſtate Apoſtolorum *quidlibet* ſolvendi vel ligandi, quodcunq; illis viſum fuerit à Spiritu ſancto in omnibus manudactis; (ſenſum Phraſiologiæ elucidavimus ad caput decimum ſextum:) eâdémque autoritate, quâ illic *Petrum*, quoad hoc omnes Apoſtolos hìc donat,

nat, ejuſdem ſpiritûs, eorundem donorum, futuros participes.

Ædificata eſt hæc poteſtas in fundamentum illud nobile pariter atque αὐλαρχίσαλον, *Joan.* xvi. 13. *Spiritus veritatis ducet vos in omnem veritatem.* Latet Emphaſis in iſtis vocabulis *In omnem veritatem.* Nego ego quemquam unquam uſquam in *omnem* veritatem vel ductum, vel ducendum, ab ipſa aſcenſione *Chriſti* uſque in finem mundi, præter Apoſtolos. Ductus eſt certè quilibet ſanctus in omnem veritatem ſibi ad ſalutem neceſſariam: at Apoſtoli ducti fuêre in omnem veritatem & ſibi ipſis neceſſariam, & toti Eccleſiæ; quippe quòd ii normam fidei & morum tradituri eſſent toti Eccleſiæ, in omnia uſque ſecula. Hinc quodcunque illi in lege firmaturi, firmandum erat; quodcunque evacuaturi, evacuandum; cùm donati, quoad omnia, eſſent ſpiritu infallibilitatis, in omnem veritatem eos manu-ducente.

VERS. 19. Ὅτι ἐὰν δύο ὑμῶν συμφωνήσωσιν ἐπὶ τῆς γῆς, &c.

Et hæc arctè cohærent cum antecedentibus: illìc dictum eſt de determinatione Apoſtolica, in omnibus quoad homines; hìc de eorum gratia & potentia impetrandi apud Deum.

I. Δύο ὑμῶν.] Hinc *Petrus* & *Joannes* junctim agunt apud *Judæos*, Act. ii. & iii, &c. & junctim apud *Samaritas*, Act. viii. 14. & *Paulus Barnabás*que apud *Gentes*, Act. xiii. 2. Dirupto hoc vinculo à *Barnaba*, duplicatur quaſi ſpiritus in *Paulum*.

II. Συμφωνήσωσι.] Id eſt, ad aliquid à Deo impetrandum, quod etiam patet ex verbis ſequentibus, ἃ ἐὰν αἰτήσωνται. Putà de impertiendo Spiritu per impoſitionem manuum, de exhibendo hoc vel illo miraculo, &c.

VERS. 20. Οὗ γάρ εἰσι δύο ἢ τρεῖς συνηγμένοι εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα, ἐκεῖ εἰμι ἐν μέσῳ αὐτῶν.

Simile dicunt Rabbini de duobus aut tribus conſidentibus in Judicio, quòd שכינה ſit in medio eorum.

VERS. 21. Πόσακις ἁμαρτήσει εἰς ἐμὲ ὁ ἀδελφός μου καὶ ἀφήσω αὐτῷ; ἕως ἑπτάκις;

Reſpicit hæc quæſtio *Petri* verba *Salvatoris* verſu decimo quinto. Quouſque fratri ignoſcam, antequam ad extrema à me procedatur? Num ſepties? Largam charitatem ſe his verbis emenſurâſſe opinatus eſt, eò quòd ferè duplicatam iſti, quæ à Scholis præſcripta

eſt. *Prohibetur* [inquiunt] *injuriâ affectus, ut ſit difficilis ad ignoſcendum; nam iſte non eſt mos ſeminis Iſraelis. At verò cùm eum implorat injuriâ afficiens ſemel, iterúmque,, pateátque eum facti pœnitere, remittat ei: & quicunque eſt ad remiſſionem promptiſſimus, is laudatiſſimus. Maimon.* in חובל cap. 5. Bene: at latet anguis; nam *Homini* [inquiunt] *in alterum peccanti ſemel remittunt; ſecundò, remittunt; tertiò, remittunt; quartò, non remittunt*, &c. *Bab. Joma*, fol. 86. 2.

CAP. XIX.

VERS. 1. Ἦλθεν εἰς τὰ ὅρια τῆς Ἰουδαίας, πέραν τοῦ Ἰορδάνου.

SI nudè diceretur Ὅρια τῆς Ἰουδαίας πέραν τοῦ Ἰορδάνου, per *Fines Judææ* intelligere poſſes *Fines Judæorum ultra Jordanem*. Nec caret conſtructio iſtiusmodi parallelo ſuo apud *Joſephum*: nam, *Hyrcanus*, inquit ille, *munitionem ſtruxit, cui Tyri nomen*, Μελαξὺ τῆ τε Ἀραβίας καὶ τῆς Ἰουδαίας πέραν τοῦ Ἰορδάνου, ἐ πόρρω τῆ Ἐκδωνίπδος. *Antiq.* lib. 12. cap. 5. At vide hìc *Marcum*, cap. x. 1. eandem hiſtoriam cum Evangeliſta hoc noſtro referentem: Ἔρχεται, inquit ille, εἰς τὰ ὅρια τῆς Ἰουδαίας διὰ τοῦ πέραν Ἰορδάνου, venit in fines *Judææ*, itinere habito à *Galilæa* per *Trans-Jordanicam*.

VERS. 3. Εἰ ἔξεστιν ἀνθρώπῳ ἀπολῦσαι τὴν γυναῖκα αὐτοῦ κατὰ πᾶσαν αἰτίαν;

De cauſis, ridiculis dicam? an nefariis? ob quas uxores dimiſerunt, diximus ad capitis quinti verſum triceſimum primum. Unum tantùm hìc addemus exemplum. *Bab. Joma*, fol. 18. 2. רב כי מקלע לדרשיש מבריז מאן הויא ליומא *Cùm Rabb iret ad Darſiſam*, [*quò*, ut inquit Gloſſa, *frequenter ivit*] *publico præconio edixit, Quænam erit mihi in diem? Rabb Nachman, cùm iret ad Sacnezib, publico præconio edixit, Quænam erit mihi in diem?* Gloſſa, *Anne eſt aliqua mulier, quæ mihi uxor erit, dum in hoc loco commoror?*

Quæſtio,

Quæſtio, à *Phariſæis* hìc propoſita, diſputata eſt in Scholis, & de ea in partes eſt itum, quod notavimus anté: nam Schola *Shammæana* non permiſit repudia, niſi in cauſa adulterii; *Hilleliana* aliter. Vide *Hieroſ. Sotah*, fol. 16. 2.

VERS. 8. Ὅτι Μωσῆς πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν ἐπέτρεψεν, &c.

Interpretes vulgò hoc intelligunt de inhumanitate virorum erga uxores; ídque non malé: at verò primâ facie σκληροκαρδία, ut plurimùm in Scriptura, obdurationem in Deum potiùs denotat, quàm in homines; exempla occurrunt ubique. Nec caret aptitudine ſuâ hic ſenſus hoc in loco: non ut alterum excludat; ſed ut cum eo hìc conjungatur.

I. Ut Deus populum iſtum rebellem ob σκληροκαρδίαν ſuam tradiderit ſpirituali fornicationi, hoc eſt, Idololatriæ, ſatìs patet ex hiſtoria ſacra, & ſpeciatim ex verbis iſtis Proto-martyris *Stephani*, Act. vii. 42. Ἔστρεψε δὲ ὁ Θεὸς, καὶ παρέδωκεν αὐτοὺς λατρεύειν τῇ στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ, &c. Nec minùs traditus videtur fornicationi carnali, ſi & horrendas adulteriorum ejus memorias obſerves in ſacra pagina, & non minùs horrendas repudiorum & polygamiarum permiſſiones in paginis *Talmudicis*: ità ut ſenſum admodùm idoneum ſecum portet particula πρὸς, ſi, pro ſignificatione ſua uſitatiſſima, *Ad* interpreteris, *Moſes ad duritiam cordium veſtrorum* hoc addidit, ut *permiſerit repudia*: in ſe pœnale quid, utcunque vos pro privilegio habeatis.

II. At clariùs atque aptiùs interpreteris de inhumanitate maritorum in conjuges; at hoc etiam ſub reſtrictione intelligendum eſt: nam *Moſes* repudia non permiſit, eò quòd ſimpliciter, aut generaliter immites atque inhumani eſſent erga uxores; (nam tum quare repudia ad cauſam adulterii reſtringeret?) ſed quòd ex eorum immanſuetudine, ac crudelitate erga uxores, à lege iſta, quæ adulterium morte mulctavit, anſam arriperent quærerèntque uxores omni ſævitiâ proſequendi, opprimendi, trucidandi.

Leges divinas, in cauſa adulterii fuſiùs aliquantùm perſcrutemur.

1. Lata eſt lex in ſuſpicione adulterii, ut examen ſubiret uxor per aquas amaras, *Numer.* v. At certè rectè meritóque diſputatur à Scholis *Judaicis*, num ex officio teneretur maritus ad proſequen-

dam uxorem hac in cauſa ad extrema, an liceret ei connivere, atque remittere, ſi modò vellet. Et ſunt qui dicunt, חובה quòd ex officio erat, & ſunt qui רשות quòd pro arbitrio. Vide *Hier. Sotah*, ubi priùs.

2. In adulterio detecto lata eſt lex lethalis, *Deut.* xxii. 21,22,23. *Si inventus fuerit vir concumbens cum fœmina maritata, utrique morientur*, &c. Non, quòd hæc lex non obtineret, niſi cùm in ipſo actu deprehenderentur: ſed vox ימצא *Inventus fuerit* opponitur ſuſpicioni, atque idem vult ac ſi diceretur, *Cùm inventum fuerit concubuiſſe virum*, &c.

3. In cauſa etiam adulterii detecti data eſt lex de repudiis, *Deut.* xxiv. Nam in iſta cauſa tantùm, eâque detectâ, locum obtinere divortia planè patet ex Gloſſa *Salvatoris*, atque etiam ex conceſſione quorundam è Rabbinis: nam inquiunt loco noviſſimè citato, *Invenit quis in uxore ſua turpe quid? Dimittere eam non poteſt*, שלא מצא בה ערוה *quia non invenit in ea turpem nuditatem*, id eſt, adulterium.

Jam verò quomodo inter ſe conſiſtunt lex lethalis & repudiatoria? Reſpondetur, Non ità inter ſe conſiſtere, ut utraque vim ſuam retineat: ſed prior fuit per poſteriorem ex parte enervata; ex parte non. Novit divina ſapientia inhumanos maritos ad omnimodam ſævitiam erga uxores lege iſtâ lethiferâ abuſuros: nam quàm promptum erat marito impio, atque inhumano, retia uxori, quæ ei tædio eſt, nectere etiam inſonti, ut ſub lethali iſta lege eam opprimeret? Et ſi ſub reatu deprehenderetur, quàm crudeliter & inſolenter de ea miſera triumpharet, & in conjugii dedecus, & religionis ſcandalum. Cavit ergò prudentiſſimus, atque etiam miſericors, legiſlator, ut pœnâ ſuâ non careret rea, & periculo careret inſons, & crudelitatem ſuam non ſaturaret maritus nequàm, atque inconjugalis. Non arridet mihi illud, quod à non nemine dicitur, *Repudio non locum fuiſſe, ubi capitali ſupplicio dirimebatur matrimonium*: nam repudio locus erat eo fine, ut locus non eſſet capitali ſupplicio. Lex quidem iſta lethifera adulterum tenuit irretitum, & de eo pœnam capitis exegit, & ſic in terrorem ſatìs à lege eſt cautum; at fœminæ, vaſi fragiliori, lenius eſt conſultum: nè de ea inhumaniter triumpharet crudelitas mariti. In ſuſpicione ergò adulterii, & re non detectâ, licuit marito, ſi vellet, aquis amaris uxorem experiri;

vel

vel licuit, ſi vellet, conniverè. In cauſa adulterii detecti licuit marito uxorem dimittere; ſed vix licuit morte mulctare, eò quòd ipſiſſimo eo fine data eſt lex repudiatoria, ut fœminæ conſuleretur à duritia cordis mariti.

Pro coronide ſit hæc hiſtoria. *Bab. Berac.* fol. 19. 1. *Shemaiah & Abtalion adegerunt Archemith ancillam libertinam, ut potet aquas amaras.* Maritus hujus fœminæ non potuit lege *Moſaicâ* eam dimittere, quia rea deprehenſa non eſt de adulterio detecto. Potuiſſet eam dimittere lege Traditionali, quæ repudia permiſit extra cauſam adulterii; potuiſſet, ſi vellet, eam non adduxiſſe ad examen per aquas amaras; ſed duritiam cordis erga uxorem arguit, aut ardentem Zelotypiam, quòd adduxerit. Non memini me ullibi apud Pandectum *Judaicum* legiſſe exemplum aliquod uxoris morte mulctatæ ob adulterium. Memoria eſt filiæ cujusdam Sacerdotis, mœchantis in domo patris, vivicomburio perditæ, in *Hieroſ. Sanhedr.* fol. 24. 2. at hæc non erat maritata.

VERS. 12. Ἐιωσθοι ἐκ κοιλίας μητὸς.

Ἐιωσθοι ὅι τινες ἐυνυχίσθησαν ἀπὸ τῆ ἀνθρώπων.

סרים חמה, & סרים אדם, apud *Talmudicos.*

VERS. 13. Τότε προσηνέχθησαν αὐτῶ παιδία.

Non ad morbi alicujus ſanationem; nam, ſi hic fuiſſet finis propoſitus, quare eos Diſcipuli præ omnibus aliis repellerent, aut ullos de eorum acceſſu objurgarent? Nec filiolos eos fuiſſe *Judæorum* infidelium credere poſſumus, cùm vix probabile ſit illos, doctrinam & perſonam *Chriſti* deſpectui habentes, benedictionem ejus ambire velle. Adduxerunt ergò aliqui è credentibus infantes ſuos, ut peculiari recognitione *Chriſtus* eos in diſcipulatum ſuum cooptaret, ac pro ſuis ſuâ conſignaret benedictione. Nimietatem officioſæ religionis forſan autumârunt hoc eſſe Diſcipuli, aut Magiſtro ſuo nimium moleſtiæ ciere, atque hinc eorum reluctatio: at rem fovet *Chriſtus*, refovétque doctrinam iſtam, quam capite decimo octavo exhibuerat, infantes ſcilicet credentium æquè Diſcipulos eſſe, atque regni cœlorum participes, ac parentes.

VERS. 18. Οὐ φονεύσεις, &c.

Obſervatione dignum eſt, iterúmque, iterúmque in Novo Teſta-

mento, factâ mentione totius Legis, in ſecunda tabula tantùm exemplificari: prout hoc in loco, ità etiam *Rom.* xiii. 8, 9. *Jacob.* ii. 8, 11, &c. Charitas erga proximum eſt religionis apex, & ſignum indubitatiſſimum amoris erga Deum.

VERS. 21. Πώλησόν σε τὰ ὑπάρχοντα, καὶ δὸς πτωχοῖς.

Cùm *Chriſtus* vendere omnia & dare pauperibus *perfectionem* vocat, ſecundùm Idioma gentis loquitur, quibus hoc ità viſum. Divitémque hunc, de exacta ſua Legis præſtatione jactantem, experitur, an, ad vitam æternam aſpirare præ ſe ferens, ad perfectionem iſtam aſpirare velit, quam laudârunt ſui. Non, quòd vel hinc *Chriſtianos* voluntariæ paupertati devoveat, nec quòd iſtum in perfectione *Phariſaica* ultimatè quieſcere hortetur; ſed, animum ejus ad abnegationem mundanorum elevans, ad eam, ex ipſa doctrina *Phariſaica*, quam ipſe profeſſus eſt, provocat.

In tractatu *Peah*, cap. 1. hal. 1. hæc habentur. *Iſtis rebus non eſt ſtata menſura, Angulo agri* [pauperibus relinquendo] *Primitiis, Apparitioni in Templo* [ſecundùm Legem, *Exod.* xxiii. 15, 17. ubi non ſtatuitur qualis aut quanta oblatio adducenda] *Exhibitioni miſericordiæ, & Studio Legis.* Caſuiſtæ, apicem iſtum de *exhibitione miſericordiæ* diſcutientes, ſic de ea determinant. *Exhibitioni quidem miſericordiæ non præſcribitur ſtata menſura, quoad auxilium pauperibus præſtandum corpore tuo* [hoc eſt, labore tuo corporali] *at quoad nummos eſt ſtata menſura, nempe divitiarum tuarum pars quinta: nec tenetur quis ex opibus ſuis dare pauperibus ultra partem quintam;* לבר אם עשה כן במדת חסידות *niſi hoc fecerit ex extraordinaria devotione.* Vide *Rambam* in locum, & *Gemaram Hieroſolymitanam:* ubi etiam adducitur exemplum *R. Iſhbab* omnia ſua diſtribuentis pauperibus.

VERS. 24. Κάμηλον διὰ τρυπήματος ῥαφίδος διελθεῖν, &c.

Phraſiologia in Scholis uſitata, rem inuſitatiſſimam difficillimámque innuens. *Bab. Berac.* fol. 55. 2. ubi agitur de inſomniis atque eorum interpretatione, hæc ſubjiciuntur: לא מחוו לאיניש לא דקלא דרהבא ולא פילא דעייל בקופא דמחטא *Non oſtendunt homini Palmam ex auro, nec elephantem incedentem per foramen acûs.* Gloſſa, *Rem quam non ſolitus eſt videre, nec de qua unquam cogitavit.*

Idem,

Idem *Bava Mezia*, fol. 38.2. *R. Shesheth* τῷ *R. Amram*, secum disputanti, atque incongruum quid asserenti, sic respondit, רילמא מפומבריתא אתי רמעיילין פילא בקופא דמחטא *Fortè tu è Pombedithanis es, qui introducere possunt elephantem per foramen acûs.* Id est, interprete *Aruch*, *Qui dicunt impossibilia.*

VERS. 28. Ὑμεῖς ἀκολουθήσαντές μοι ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ.

Renovandum mundum in adventu *Messiæ*, & prædicatione Evangelii, asserunt Scripturæ, & credunt *Judæi*, at sensu crassiori; quod observamus ad caput vicesimum quartum. *Salvator* ergò per vocem Παλιγγενεσίαν, ad rectam rei apprehensionem animos Discipulorum revocat, Renovationem illam innuens, de qua Scriptura loquitur, non corporis, aut substantiæ terrarum orbis, esse, sed in renovatione morum, doctrinæ, atque œconomiæ ei conducentis, consistere; homines renovandos, regenerandos, non fabricam mundi. Hoc ipsum *Nicodemum* docet, de natura regni cœlorum agens, *Joan.* ii.

Ὅταν καθίσῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ, καθήσεσθε καὶ ὑμεῖς.

Deducuntur hæc è *Danielis*, cap. vii. versibus 9,10. כרסון רמיו Quæ miror ab interpretibus *Ab. Ezra*, *R. Saadia*, aliisque, tam *Judæis*, quàm *Christianis*, verti, *Throni dejecti sunt:* rectiùs *R. Sol.* *Vulgat.* aliique, *Throni positi sunt:* ubi *Lyranus*, *Dicit THRONI in plurali; quia non solus Christus judicabit, sed Apostoli & viri perfecti ei assistent in Judicio, super thronos sedendo.* Eódem & verba sub manibus flectunt interpretes plerique: sanctos scilicet die Judicii *Christo* assessuros, ac judicium ejus approbaturos, atque applausuros. At, 1. Præterquam quòd scena Judicii extremi in Scriptura depicta semper tam sanctos quàm impios repræsentet stantes coram tribunali *Christi*, *Matth.* xxv. 32. II *Cor.* v. 10, &c. mentionem hìc habes tantùm *duodecim thronorum:* Et, 2. mentionem etiam solùm de *duodecim* tribubus *Israelis* judicandis. Sensum ergò loci ex his perpensis optimè eruas.

I. Thronos istos in *Daniele* erectos non de ultimo *Christi* Judicio intelligendos, sed de judicio suo in ingressu ejus in imperium suum Evangelicum; cùm rerum omnium erectus esset à Patre summus moderator, rex, Judex, *Psal.* ii. 6. *Matth.* xxviii. 18. *Joan.*

v. 27. Nam adverte ſcopum & ſeriem Prophetæ, Poſt dirutas ſcilicet quatuor monarchias, *Babylonicam, Medo-Perſicam, Græcam, Syro-Græcam,* quæ tyrannide ſuâ orbem Eccleſiámque infeſtâſſent, oriturum regnum *Chriſti*, &c.

In hunc ſenſum *Danielem* interpretantur verba illa, *Regnum cœlorum appropinquavit*, ſcena iſta judiciaria ſtata in *Apoc.* iiii. & v. & throni iſti *Apoc.* xx. 1, &c.

II. Thronus gloriæ, de quo verba ſub manibus, intelligendus eſt de Judicio à *Chriſto* ferendo in populum *Judaicum*, perfidum, rebellem, nequiſſimum. Occurrit frequentiſſimè mentio de adventu *Chriſti* in gloria hoc ſenſu, quod copioſiùs diſſerimus ad caput viceſimum quartum.

III. Aſſeſſionem Apoſtolorum non de perſonali intelligendam ſatìs arguitur, quòd *Judas* unus jam fuerit è numero, ſed de doctrinali: ac ſi dixiſſet, Cùm judicium ego tulero de gente hac iniquiſſima, tunc eos judicabit ac condemnabit doctrina veſtra, quam meo nomine prædicâſtis. Vide *Rom.* ii. 16.

Hinc liquet Evangelium omnibus duodecim tribubus *Iſraelis* prædicatum ante exciſas *Hieroſolymas*.

CAP. XX.

VERS. 1. Ἐξῆλθεν ἅμα πρωῒ μισθώσασθαι ἐργάτας.

IStiuſmodi parabolam, ſed non ſine delirio applicatam, habes in *Hieroſ. Beracoth*, fol. 5. 3. Phraſium ergò eam adducemus. *Cuinam fuit R. Bon bar Chaiia ſimilis?* למלך ששכר פועלים *Regi, qui conduxit operarios multos; inter quos fuit unus conductus, qui opus ſuum præſtitit extraordinarié. Quid fecit Rex? ſecum eum tulit, atque cum eo ambulavit hinc illinc.* לעיחותי ערב Ὀψίας γενομένης venerunt operarii iſti, לימור שכרן ἵνα λήψωνται τὸν μισθὸν αὐτῶν, *dedítque ille iſti mercedem completam cum iis,* והיו הפועלים אט יגענו כל היום מתרעמין Καὶ ἐγόγυσυζον οἱ ἐργάται λέγοντες, *Nos graviter laboravimus per totum diem, hic autem non niſi per duas*

duas horas, & data est ei merces æqualis nostræ: dicit iis Rex, Laboravit ille plus duabus horis, quàm vos toto die. Sic plus Legi incubuit R. Bon annis viginti octo, quàm alius annis centum.

Ἅμα πρωΐ.

Glossa in *Bab. Bava Mezia*, fol. 83. 2. *Tempus operandi est ab exortu Solis usque ad prodeuntes stellas, & non à primùm lucente aurora: et hoc probatur ex capite* אמר להם הממונה *Dicit iis præfectus* [*Joma*, cap. 3. & *Tamid*, cap. 3.] *ubi dicunt, Lucet totus Oriens, & egrediuntur homines ad conducendum operarios: unde arguitur, eos ad opus suum non egressos ante ortum Solis. Probatur etiam ex tractatu Pesachin, ubi dicitur, quòd prohibitum est die Paschatis opus aliquod servile facere ab exortu Solis; hoc innuens, illud fuisse tempus, quo opera sua ordirentur operarii*, &c.

Μισθώσασθαι ἐργάτας.

Lege hìc, si placet, caput septimum τοῦ *Bava Mezia*, cujus initium שוכר את הפועלים & *Maimon.* שכירות cap. 9. & 11.

Vers. 2. Συμφωνήσας ἐκ δηναρίου τὴν ἡμέραν.

Denario argenteo, quem aureus excessit vigesies & quater; nam דינר זהב הוא כ"ד דנרי כסף *Denarius aureus valet viginti quinque argenteos.* Glossa in *Cherithuth*, cap. 2.

Distinguunt Canones *Hebræorum* de conducendis operariis, prout ratio postulat, inter שכיר יום *Conductus in diem*, & שכיר שעות *Conductus in horas quasdam.* Quod & in hac parabola observandum: nam manè conducuntur in totum diem, atque denario; at postea in horas, iisque proportionata pars denarii pro ratione temporis, quo operarentur.

Vers. 8. Κάλεσον τοὺς ἐργάτας, &c.

Nam *è præceptis legis affirmativis est, ut detur merces operario conducticio tempore suo; sicut dicitur*, In die suo dabis ei mercedem suam: *sique detineatur post tempus suum, peccatur in præceptum negativum; sicut dicitur*, Non occidet Sol super eum, &c. *Maim.* שכירות cap. 11.

VERS. 13. Οὐχὶ δηναρίου συνεφώνησάς μοι;

In conducendis operariis valuit plurimùm mos loci. Hinc Axioma לחזי היכי נהיגי בעיר *Observa morem urbis. Bab. Bava Mezia*, fol. 83. 2. de hac ipsa re loquens. Itémque exemplum, *Hieros. Mezia*, fol. 11. 2. *Tiberienses, qui Bethmeonem ascenderunt ut conducerentur in operarios, conducti sunt secundùm morem Bethmeonis*, &c. Obiter observemus etiam illud, quod à *Babylonicis* dicitur, loco novissimè citato, ינחזי מהיכא קא אתו בנקוטא, id est, ut reddit Glossa, *Observandum an veniant ex locis variis; sunt enim loca, ubi citiùs ad opus pergitur, & sunt, ubi seriùs.*

Hinc duo in parabola sub manibus possunt elucidari. 1. Cur tam diversis horis conduci dicuntur: ideo scilicet, quòd illuc ex variis locis confluxisse supponantur. 2. Cur cum conductis horis tertiâ, sextâ, undecimâ, non pactus sit statâ mercede, prout cum conductis citò mané; sed dicat tantùm, *Quodcunque justum fuerit dabo vobis:* quia nempe pro more loci agi supponitur. At verò, cùm merces iis reddenda est, ex gratia domini vineæ æqualiter agitur cum conductis in horas & conductis in totum diem; cúmque hi obmurmurent, responsum recipiunt à proprio pacto, Συνεφώνησάς μοι. Nota hic Canonem. *Maimon.* ubi suprà, cap. 9. *Dicit Paterfamilias servo, Ito, conduc mihi operarios quatuor denariis, atque abit ille, & conducit eos tribus; quamvis labor eorum mereatur quatuor denarios, non reddentur tamen iis nisi tres,* שקיבלו על עצמן ויש להם תרעומת על שליח *eò quòd ex compacto hoc in se susceperunt, & querela* [γογγυσμὸς versu 11.] *iis est adversus servum.*

VERS. 22. Τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι.

De *poculo* Phrasiologia, hanc præcedens, è variis Scripturæ locis desumitur, ubi tristia & acerba ex amaro poculo hausti comparantur. Crederes כוס פורענות *Poculum vindictarum*, de quo mentio *Bab. Beracoth*, fol. 51. 2. idem sonare; sed longè aliud denotat. Nè grave sit locum allegâsse, sit hoc licèt aliquantum extra metas. *Nè fabulentur, inquiunt, super poculum benedictionis, & nè benedicant super poculum ultionum.* מאי כוס פורענות *Quidnam est poculum ultionum? Dicit R. Nachman bar Isaac,*

Poculum

Poculum ſecundum. Clariùs *Rabbenu Aſher* & *Piske*, הר"אש *Si ebibit duo pocula, nè benedicat ſuper tertium.* Gloſſa; *Qui ebibit pocula duplicata, plectitur à dæmonibus.* Sed ad rem præ manibus.

Tam acerba res erat Baptiſmus *Judæorum*, immerſio ſcilicet totius corporis in aquas etiam gelu & nivibus horrentes, ut non immeritò indè, partim ob ſubmerſionem, partim ob frigus, deſumeretur ſignificatio aſperrimæ mortis. Referunt *Hieroſolymitani, In diebus Joſuæ ben Levi aggreſſos quoſdam ablutiones mulierum* [טבילה Baptiſmos] *è medio tollere, eò quod fœminæ Galilææ præ frigiditate aquarum ſterileſcerent. Berac.* 6. 3. quod notavimus antè ad capitis tertii verſum ſextum.

CAP. XXI.

VERS. 2 Ὄνον καὶ πῶλον.

Talmudicis, חמור וגיידור קטון. *Hieroſ. Bava Mezia*, fol. 11. 1.

In iſto tractatu, *Mezia*, agitur de aſino conductitio, & quibus conditionibus teneatur conducens, cap. 6. halac. 3. Inter alia hæc illìc habet *Gemara Babylonica*: כל מעביר על דעת של בעל בית נקרא גזלן *Quicunque transgreditur in mentem poſſeſſoris, vocatur Raptor.* fol. 78. 1. Exempli gratiâ, Si aſinum conducat ad iter in planitie, atque ipſe divertat ſe ad iter montanum, &c.

Hinc miraculum ſapit, non rapinam, quòd abſque pactis, aut conditionibus, abducatur hæc aſina; & poſſeſſori, & aſtantibus, nudis his verbis ſatisfiat, *Dominus opus habet.*

VERS. 5. Πραΰς, καὶ ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὄνον.

Duplicem adimpletionem coronat hic triumphus *Chriſti*, 1. Prophetiæ hujus *Zachariæ*. 2. Aſſumptionis Agni *Paſchalis*; nam ipſiſſimus hic dies is erat, quo, ex mandato Legis, aſſumendus ille erat. *Exod.* xii. 3.

Talmudicis vix conſtat, quomodo inter ſe conſtent verba *Danielis* de *Meſſia*, quòd *venit cum nubibus cœli*, Dan. vii. 13. & hæc *Zachariæ*, quòd *venit inſidens aſino*. Vide *Bab. Sanhedr.* fol. 98. 1. *Si boni ſunt Iſraelitæ*, inquiunt, *tunc veniet in nubibus cœli; ſi verò non boni, tunc inequitans aſino.* Longè falleris, ô *Judæe*: nam *in nubibus cœli* venit judex, vindex, ultor, quia vos mali, quia vos peſſimi; at *inſidens aſino*, non quia vos boni, ſed quia ille bonus.

אמר ליה שבור מלכא לשמואל *Sapores Rex dixit Samueli, Dicitis vos Meſſiam veſtrum venturum ſuper aſinum, ego mittam ei equum nobilem. Reſpondit ei, Non eſt tibi equus centimaculus, qualis eſt ejus aſinus.* Ibid. In ſumma *Meſſiæ* humilitate faſtum ſomniant, etiam in ipſius aſino.

VERS. 8. Κλάδους ἐστρώννυον ἐν τῇ ὁδῷ.

Non quòd veſtes & ramos in ipſa ſemita ſub pedibus aſini calcandos ſternerent, [hoc forſan equitantem proſterneret] ſed juxta viam tentoriola & tabernacilla ex veſtibus & ramis confinxerunt, ad morem feſti Scenopegiæ. Addit etiam *Joannes*, arreptis in manibus palmarum ramis [לולבין] ei in occurſum proceſſiſſe. Commentabitur hìc optimè codex *Maimonidis* סוכה ולולב, & tractatus *Talmudicus, Succah.*

Nos pauca hæc excerpemus, præſenti hiſtoriæ non incommoda. *Maimon. Succah*, cap. 5. artic. 17. *Expandit quis veſtem in tabernaculum ſuum propter Solis ardorem?* &c. *abſurdum eſt; at, ſi expandit veſtem ob decorem atque ornamentum, approbatur.*

Idem, cap. 7. *Rami palmarum, de quibus Lex* [*Levit.* 23. 40.] *ſunt virgulta palmarum creſcentia, antequàm folia eorum hinc illinc dividantur, at, cùm ſunt ſicut bacilluli, atque hi vocantur* לולב: Atque aliquantò póſt. *Præceptum nobile eſt, ut colligarent* לולב, *& ramuſculos myrti & ſalicum in faſciculum unum, & in manibus geſtarent*, &c.

VERS. 9. Ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ.

Quibuſdam hæret, quòd dicatur τῷ υἱῷ, & non ὦ υἱέ: unde ad *Caninium* veluti ad oraculum recurritur, referentem ipſos ramorum faſciculos vocari *Hoſanna*, atque hæc verba, *Hoſanna filio David*, nihil

nihil aliud velle quàm *Rami filio David.* Vide *Baronium* ad annum *Chriſti* 34. Non negabimus faſciculos aliquando ſic vocari, quod videtur in iſtis clauſulis, *Bab. Succah*, fol. 37. 2. לא לרוץ אינוש לא לינוז אינוש לולבא בהושענא & לולבא בהושענא Ubi patet virgultum palmæ vocari לולב, ramósque myrti & ſalicum colligatos vocari הושענא: vide Gloſſam. At verò, ſi *Hoſanna filio David* ramos filio *David* velit; quid ſibi volunt verba iſta *Hoſanna in altiſſimis?* Verba ergò hæc occinentium huc redeunt, ac ſi diceretur, *Jam canimus Hoſanna Meſſiæ.*

In feſto Scenopegiæ cani ſolitum eſt *magnum*, ut vocant, *Hallel*, id eſt, *Pſalmi* cxiii, cxiiii, cxv, cxvi, cxvii, cxviii. Dúmque ab uno occinerentur, vel recitarentur verba *Pſalmorum*, à toto cœtu aliquando reſponſum eſt ad quaſdam clauſulas, *Halleluia*: aliquando repetitæ ſunt ipſiſſimæ clauſulæ ab occinente recitatæ: aliquando quaſſati atque agitati ſunt faſciculi. *Quando autem agitati ſunt faſciculi?* inquit Rubrica *Talmudica*; *Ad iſtam clauſulam* "הודו לה *Gratias agite Domino, in initio* [Pſalmi cxviii] *& fine.* "ובאנא ה *atque ad iſtam clauſulam*, הושענא *Salva obſecro, Domine,* [Pſal. cxviii.25.] *ut dicit Schola Hilleliana: at Shammæana etiam dicit, Ad iſtam clauſulam* נא ה' הצליחה *O Domine, quæſo, bene proſpera. Dixit R. Akibah, Vidi ego Rabban Gamalielem, ac Rabbi Joſhuam, cùm omnis cœtus faſciculos ſuos agitaret, ſuos non agitantes, niſi ad iſtam clauſulam, Salva, obſecro, Domine. Succah*, cap. 3. halac. 9.

Unoquoque die feſti ſoliti ſunt Altare ſemel circumire cum faſciculis in manibus hoc occinentes, אנא ה' חושיעה נא ה' חצליחה נא *Salva, obſecro, nunc Domine; proſpera, obſecro, Domine: at die feſti ſeptimo ſepties Altare circuiverunt*, &c. *Maimon.* in *Succah*, cap. 6.

Agitatio vel quaſſatio faſciculorum fuit dextrorſum ſiniſtroſum, ſurſum deorſum. Bab. Succah, fol. 27. 2.

Ratio faſciculorum hæc fuit, quia ſcriptum eſt, Tunc occinant arbores ſylvæ, [*Pſal.* xcvi. 12.] *Et ſcriptum eſt poſteà*, Gratias agite Domino, quia bonus eſt, [*Pſal.* cvi. 1.] *Et poſteà*, Salva nos Domine, Deus noſter, &c. [*Pſal.* cvi. 47.] *Eſtque myſtica ratio. In initio anni in judicium prodeunt Iſrael & nationes mundi;*

cúmque ignorent quinam juſtificandi, quinam rei, præcepit Deus Sanctus Benedictus Iſraeli, ut lætarentur cum faſciculis hiſce, ſicut homo exiens è conſpectu judicis juſtificatus lætatur. Ecce ergò quid ſcriptum eſt, Occinant arbores ſylvæ, *quaſi diceretur, Occinant cum arboribus ſylvæ, cùm exeunt è conſpectu Domini juſtificati,* &c. *Rabbenu Aſher* in *Succah*, fol. 66. 2, 3.

His de more & ritu iſtius feſti, quoad hos ramos, præmiſſis, ad hiſtoriam noſtram jam redimus.

I. Summam obſervationem meretur, quòd cœtus *Chriſtum*, jam ad *Paſcha* accedentem, excipiat cum ſolennitate feſti Tabernaculorum. Nam quidnam huic cum tempore *Paſchali*? Rationem rei accuratiùs indaganti occurrunt, Primò, Feſti iſtius præ omnibus aliis hilaritas, de qua non opus eſt ut multa dicamus, cùm ipſiſſimum feſti nomen [nam κατ' ἔμφασιν חג, id eſt, Feſtivitas, vocabatur] id ſatìs arguat. Secundò, Prophetia iſta *Zachariæ*, cap. xiiii. 16. quæ utcunque ſecundùm literam non ſit intelligenda, indè tamen ſatìs arguitur ſingularis iſtius feſti præ omnibus aliis ſolennitas & lætitia; atque ab iſthac forſan Prophetia arrepta eſt anſa ad præſentem actionem. Cùm enim *Meſſiam* vellent cum omni animi lætitia, triumpho, atque affectu recipere [nam, cùm *Filium Davidis* eum vocant, pro *Meſſia* eum habuiſſe ſatìs claret] non erat, quo ardentiorem zelum, atque de eo jucunditatem, exprimerent, quàm ſolenni iſtius feſti proceſſione. Præ oculis habent *Meſſiam*, ab eo exſpectant grandia, immodico ergò rapiuntur gaudio in ejus adventu.

II. Cùm autem jam non occineretur ſolenniter, quod ſolitum, *magnum Hallel*, eò quòd ſubitanea eſſet præſens actio, abſorpta quaſi eſt tota cantionis iſtius celebritas in frequenti geminatione & regeminatione τῆς *Hoſanna*: prout in Templo ſolitum, dum circuirent Altare. Et modò occinunt *Hoſanna filio Davidis*, modò *Hoſanna in altiſſimis*, ac ſi dixiſſent, Jam *Hoſanna* canimus filio *Davidis*, Salva nos, obſecramus, tu, qui in altiſſimis, ſalva nos per *Meſſiam*.

VERS. 12. Ἐξέβαλε πάντας τοὺς πωλοῦντας καὶ ἀγοράζοντας ἐν τῷ ἱερῷ.

I. Conſtans & perpetuum erat emporium in Templo, in loco iſto, qui

qui vocabatur חנויות *Tabernæ*, in quibus indies vendebantur, vinum, sal, oleum, aliáque requisita ad sacrificia, itémque boves & pecora in spatiosa area atrii gentium.

11. Auxerat emporium appropinquans *Pascha*, ad quod cùm requisita essent innumera pecora, divendenda illuc adducebantur. Subit hìc historia de *Bava ben Buta*, *Hieros. Jom tobh*, fol. 61. 3. *Veniens quâdam die Bava ben Buta in atrium vacuum pecoribus illud reperit. Desolentur, inquit ille, domus eorum, qui desolatam reddiderunt domum Dei nostri. Accersivit ter mille oves ex ovibus Kedar, & post examen, an absque labe essent, eas induxit in montem domûs*, id est, in atrium gentium.

Τὰς τραπέζας τῶν κολλυβιστῶν κατέστρεψε.

Quinam fuerint isti *collybistæ*, optimè discas ex *Talmude* & *Maimonide* in tractatu *Shekalim*.

Maim. Shekal. cap. 1. *Præceptum affirmativum est de Lege, ut det unusquisque ex Israele dimidium Sicli annuatim: etiam pauper, qui ex Eleemosyna sustentatur, ad hoc tenetur, ab aliis nummum emendicans, vel vestem suam divendens, persolvat Hemisiclum, sicut dicitur*, Dives non addet, & pauper non diminuet, *Exod.* xxx. 15.

Idem ibid. & *Talm. Shekal.* cap. 1. *Primo die mensis Adar publicum præconium ediderunt de hisce Siclis, ut in promptu habeat unusquisque Hemisiclum suum, & paratus sit ad persolvendum. Decimo quinto igitur istius mensis, sederunt Trapezitæ* [חשולחנין] *in unaquaque civitate, pacatè nummum hunc exigentes: à dante receperunt, non dantem autem non compulerunt.*

Die mensis istius vicesimo quinto, sederunt in Templo: & jam coegerunt ut darent; & ab eo, qui non daret, pignus extorserunt, vel ipsam tunicam.

Idem cap. 2. *In urbibus sederunt collocatis ante ipsos duabus cistis, in unam quarum tributum anni præsentis, in alteram præteriti reposuerunt. In Templo sederunt collocatis ante ipsos tredecim cistis, prima pro Siclis anni præsentis, secunda pro præteriti, tertia pro nummo oblato ad coemendas columbas*, &c. Has cistas vocârunt שופרות *Tubas*, eò quòd tubarum instar arcti essent oris, at ventris spatiosi.

Idem

Idem cap. 3. *Opus eſt, ut habeat unusquiſque Hemiſiclum, quem pro ſe perſolvat. Cùm ergò accedit ad Trapezitam, ad Siclum mutandum duobus Hemiſiclis, lucrum ei aliquod reddere tenetur, quod vocatur* קולבון [Κόλλυβος]. *Duóque, cùm unum Siclum penſant,* שניהם חייבין בקולבון *Uterque tenetur ad lucrum, vel reditum iſtum, etiam perſolvendum.*

Et non multò póſt, כמה הוא שיעור הקולבון. *Quanti valoris eſt iſtud lucrum? Tunc temporis, cùm denarios perſolverent pro Hemiſiclo, Kolbon* [vel, lucroſus redditus nummulario penſus] *fuit dimidium Meæ, hoc eſt, pars duodecima denarii: & nunquam minús. Non autem erant Kolbonoth ſicut Didrachma, at ea ſeparatim ſepoſuerunt Trapezitæ, uſque dum de iis ſatisfieret ſacrato.*

Vides quinam hi κολλυβισταὶ, & unde nomen. Vidésque *Chriſtum* non arcas evertiſſe, in quibus repoſitus nummus ſacratus, ſed menſas, in quibus transactio lucri hujus exſecrandi.

Τῶν πωλέντων τὰς περιστεράς.

מזבני קינים Vide Tractatum *Talmudicum* iſtius tituli. *Cherithuth*, cap. 1. halac. 7. עמרו קינים בירושלם בדינרי זהב *Vanibant aliquando columbæ Hieroſolymis denariis aureis: unde dixit Rabban Simeon ben Gamaliel* המעון הזה *Per Templum hoc, ego non recubabo hâc nocte, niſi væneant denariis argenteis,* &c. *Ingreſſus Synhedrium ſic ſtatuit, Mulier quinque puerperiorum indubitatorum, aut quinque profluviorum indubitatorum, teneatur tantùm ad oblationem unam: unde vænibant columbæ ipſiſſimo iſto die duobus quadrantibus.*

Puerperis, & profluvio laborantibus, oblatio pro purificatione erant columbæ, &c. *Lev.* xii. & xv. Jam verò, cùm *Hieroſolymas* non itum ſit cum oblationibus ſuis, niſi ad feſta, hinc major pecorum, columbarum, turturum, &c. tunc temporis numerus requiſitus. Vide quæ diximus ad capitis quinti verſum viceſimum tertium.

Vers. 15. Παῖδας κράζοντας ἐν τῷ ἱερῷ, καὶ λέγοντας Ὡσαννά.

Pueri, vel à primis annis, edocti ſunt faſciculos tractare, atque agitare, atque agitantes *Hoſanna* canere. *Succah*, cap. 3. hal. ult. קטן חייב לנענע לולב. *Parvulus, quamprimum agitare faſcicu-*

faſciculum novit, tenetur ad geſtandum faſciculum. Ubi ſic *Gemara. Tradunt Rabbini, Quamprimùm parvulus edoceri poteſt agitare faſciculum, tenetur ad geſtandum faſciculum: quamprimùm novit ſe velare, induat fimbrias: quamprimùm novit Phylacteria patris cuſtodire, induat propria: quamprimùm fari poteſt, doceat eum pater Legem, & recitationem Phylacteriorum*, &c.

VERS. 19. Οὐδὲν εὗρεν ἐν αὐτῇ, εἰ μὴ φύλλα μόνον.

Obſcuritatis non parùm præbet hic locus cum *Marco* collatus, qui dicere videtur, ideo non repertas fuiſſe in hac arbore ficus, quòd non adeſſet tempus ficuum, οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων, *Marc.* xi. 13. Quare ergò ficus exſpectaret *Salvator*, cùm certiſſimè dignoſcere eſſet, nondùm eſſe tempus ficuum? Et quare, iis non repertis, arbori malediceret, inſonti, ac pro natura ſua agenti?

I. Situm arboris hujus primò perpendamus. Dicit Evangeliſta noſter, fuiſſe eam ὁδοῦ τῆς ὁδοῦ. Subit hìc diſtinctio, *Talmudicis* uſitatiſſima, inter מופקר & שמור, id eſt, inter fructus arborum communis juris, quæ ad dominum aliquem peculiarem non pertinuerunt, ſed in locis ſaltuoſis, aut paſcuis communibus naſcebantur; et fructus arborum in hortis, paradiſis, aut agris, domino alicui particulari propriis, enaſcentium. Quantum diſcrepantiæ inter hos fructus poſitum ſit à Canoniſtis quoad decimationem, & quoad comeſtionem, ſparſim occurrit per totam ferè claſſem זרעים. Prioris generis fuiſſe videtur hæc ficus, תאנה מדברית *Ficus ſylveſtris*, בהבקר naſcens in loco, aut agro, non cuiquam proprio, ſed omnibus communi. Ità ut damnum particulari alicui homini non intulerit *Salvator*, cùm arborem hanc arefaceret; ſed talis ea erat, de qua omnino dici non potuit, *Mea*, aut *Tua*.

II. *Non invenit niſi folia*, eò quòd adhuc longè aberat tempus ficuum. *Marc.* xi. 13.

1. *Bab. Peſachin*, fol. 52. 2. *A quo tempore non amputant arbores anno ſeptimo? Schola Shammæana dicit* כל האילנות משיוציאו *Omnes arbores ex eo tempore, quo producunt* [folia]. Gloſſa, *Initium foliorum eſt in diebus Niſanis.*

2. *Hieroſ. Sheviith*, fol. 35. 4. *Rabban Simeon ben Gamaliel dicit, A productione foliorum uſque ad groſſos ſunt quinquaginta*

dies: à groſſis uſque ad decidentes gemmas quinquaginta dies: atq; indè ad ficus maturas quinquaginta dies.

Si ergò prima protruſio foliorum ficuum menſe *Niſanis* fuerit, præceſſeritque ea maturitatem ficuum, per ſpatium quinquemeſtre, ſatis liquet ficus anni ineuntis à *Salvatore* non exſpectatas, nec exſpectari potuiſſe.

Ut rem accuratiùs aliquantùm perveſtigemus, putúmque eſſe textum *Marci*, ſecundùm quod vulgò legitur, *Non enim erat tempus ficuum*, aſtruamus:

I. Obſervandum eſt illud, quod dicitur de anni intercalatione. *Propter tria intercalant annum, Propter ſpicam virentem, propter fructus arboris, & propter Tekupham. Bab. Sanhedr.* fol. 11. 2. Latiùs *Maimonides* in *Kidduſh Hodeſh*, cap. 4. quem vide. Jam verò, ſi quæras quid ſibi velit intercalatio propter fructus arboris, reſpondet Gloſſa, *Si ſe tardatura ſit maturitas fructuum uſque dum præterierit Pentecoſte, intercalant annum; quippe quòd Pentecoſte ſit tempus adductionis primitiarum: ſique tunc temporis non adduceret quis, cùm accederet ad illud feſtum, aliud iter eſſet ei ſuſcipiendum.* Jam verò hoc non de omnibus arboribus eſt intelligendum, ſed de quibuſdam tantùm, quæ fructus protruſerunt circa tempus *Paſchatis*, atq; ad maturitatem eos adduxerant ad feſtum *Pentecoſtes*. Sic enim *Maimon.* loco citato, *Si videat Synhedrium, quòd adhuc non adſit ſpica virens, quódque non germinaverit fructus arborum germinare ſolitus ad feſtum Paſchatis*, [nota illud *germinare ſolitus*] *duabus hiſce cauſis innitentes intercalant annum.* Inter has minimè numerari poteſt ficus: nam cùm, teſte *Salvatore*, Matth. xxiiii. 32. protruſio foliorum ejus index fuerit æſtatis adventantis, vix exſpectes aliquam ficuum maturitatem, imò, teſtibus *Talmudicis*, vix protruſionem foliorum, ante *Paſcha*. Cùm in præcedentibus dicatur, *Pentecoſten* fuiſſe tempus adducendarum primitiarum, non ſic intelligendum, ac ſi omnium arborum primitiæ tunc adducerentur, ſed quòd non liceret ante *Pentecoſten* aliquas adducere: ſic enim aperto Canone eſt cautum, *Non adducendæ ſunt primitiæ ante Pentecoſten. Incolæ montis Zeboim ſuas adduxerunt ante Pentecoſten, ſed eas ab iis non receperunt, eò quòd ſcriptum ſit in Lege*, Et Feſtum meſſis primitias operum tuorum, quæ ſeviſti in agro. [*Exod.* xxiii. 16.] *Biccurim*, cap. 1. hal. 3.

II. Varia memorantur genera ficuum à *Talmudicis* præter vulgares

gares illas, quæ nobiliores, quæ in hortis natæ ſunt & Paradiſis. 1. שיתין De quibus *Demai*, cap. 1. hal. 1. הקלין שברמאי שיתין וגו׳. Id eſt, Inter ea, quæ levioris curæ æſtimabantur, inter res dubias quoad decimationem fuerunt שיתין quæ, teſte Gloſſatore, fuerunt תאני מרבריות *Ficus ſylveſtres*. 2. Memorantur & ibidem loci בנות שקמה, quæ, ut volunt quidam, ſuit ficus ex Platano mixta. תאנה מורכבת בערמון 3. At verò inter omnia iſta ficuum genera memoriâ dignæ erant ficus iſtæ, quæ פרסאות dicebantur, atque iſtæ magìs, quæ: בנות שוח quæ, niſi ego fallar, ad rem noſtram faciunt: non quòd aliis eſſent nobiliores, ſed quòd fructificationis inuſitatioris. De his mentio *Sheviith*, cap. 5. *hal.* 1. his verbis, בנות שוח שביעית שלהם שניה שהן עושות לשלוש שנים ר׳ יהודה אומ׳ הפרסאות שביעית שלהן מוצאי שביעי׳ שהן עושות לב׳ שנים Reddemus verba Paraphraſi Gloſſatorum. בנות שוח *ſunt ficus albæ, ac* פרסאות *etiam ſunt de genere ficuum: annus ſeptimus* [id eſt, annus remiſſionis] *eſt illis ſecundus* [viz. ſeptennii inſequentis] *his exitus ſeptimi.* בנות שוח *protrudunt fructus unoquoque anno; at non ad maturitatem perducunt niſi anno tertio. Ità ut in arbore iſta conſpiciendus eſſet unoquoque anno triplex fructus, anni ſcilicet præſentis, & præteriti, atque anni iſtum præcedentis. Sic* פרסאות *fructum perducunt ad maturitatem duobus annis*, &c.

De בנות שוח ſic *Gemara Hieroſolymitana. Num fructum ferunt unoquoque anno? an ſemel tantùm in triennio? Unoquoque anno fructum ferunt; at fructus non matureſcit ante annum tertium: unde autem dignoſcat quis cujus anni ſit fructus? R. Jonah dicit, Per licia appenſa. Traditio Samuelis, Affigit ei appendicula*, &c.

III. Per clementiam aeris ramis hæſerunt quàmplurimarum arborum fructus per totam hyemem, ſi manibus non decerperentur, aut excuterentur à ventis: imò per hyemem maturuerunt. Hinc cautiones iſtæ de decimatione, *Hieroſ. Sheviith*, fol. 35. 4. *Arbor, quæ fructum ſuum protrudit ante initium anni mundi* [id eſt, ante initium menſis Tiſri, quo menſe mundus creatus] *decimanda eſt*

pro anno præterito: at ſi poſt initium anni mundi, tum decimanda eſt pro anno ineunte. Reſpondit R. Judan bar Philia coram R. Jonah, Ecce, arbor Charob fructum ſuum protrudit ante initium anni mundi, & tamen decimatio ejus eſt pro anno ſequente. R. Jiſſa dicit, Si tertiam partem protrudat ante initium anni mundi, decimatio fit pro anno præterito; at ſi poſt, tum pro anno inſequente. Reſpondit R. Zeira coram R. Jiſſa, Aliquando palmæ partem fructûs ſui non producunt niſi poſt initium anni mundi, & tamen decimatio earum eſt pro anno præterito. Samuel bar Abba dicit, Si tertiam partem fructûs protrudat ante diem decimum quintum menſis Shebat, fit decimatio pro anno præterito; ſi poſt decimum quintum menſis Shebat, fit decimatio pro anno adventante. Hinc axioma illud in *Roſh haſhanah*, cap. 1. hal. 1. *Dies primus menſis Shebat eſt initium anni pro arboribus, ſecundùm Scholam Schammæanam, at ſecundùm Hillelianam decimus quintus.*

Utcunque ficus ex earum arborum genere non eſſent, quæ fructus ſuos protruderent poſt initium *Tiſri*; nam vidiſti antè è *Talmudicis* protrudere eas ſolitas folia ſua menſe *Niſanis*, & fructus ad maturitatem decoquere diebus exinde ter quinquaginta. De illis tamen objici forſan poſſet illud, quod occurrit in *Gemara Hieroſolymitana*, loco anteà citato. *Colligit quis ficus*, inquiunt, *& non novit quonam tempore fuerint protruſæ* [atque indè incertus eſt in quemnam annum ſint decimandæ] *R. Jonah dicit, Numeret centum dies retrò, ſiq; intra iſtum numerum incidat dies decimus quintus menſis Shebat; tunc dignoſcat quando fuerunt protruſæ.* At hoc intelligendum eſt de ficubus inuſitati generis, atque fructificationis inſolitæ: quod & patet ex iis quæ ſequuntur, Nam *dicunt ei, Apud vos Tiberiade ſunt, quæ fructum ferunt anno uno: quibus ille, Ecce, apud vos in Zippore ſunt, qui fructum ferunt biennio.* De ficubus vulgaribus ſat notum erat tempus ordinarium protruſionis groſſorum, & ſat notus annus decimationis: at de ficubus iſtis alieni generis, quæ vix anno toto, aut quæ non niſi biennio aut triennio fructus maturos ediderunt, non mirum eſt ſi dubitaretur in utroque.

IV. Acceſſit ergò ad arborem *Chriſtus*, fructus ex ea quærens, [quamvis non adeſſet tempus ordinarium ficuum] quia probabile admodùm erat fructus in ea reperiri potuiſſe. Præſentis quidem anni ficus nec exſpectavit, nec potuit exſpectare, cùm tam parùm adeſſet καιρὸς σύκων, ut abeſſet ferè per ſpatium quinquemeſtre; in dubi-

dubióque ſit, an vel folia habuerit adhuc anni præſentis. Erat jam menſis *Niſan*, erátque iſte menſis tempus primum protruſionis foliorum, ità ut, ſi aliquantùm in lucem proreperent foliorum germina, adeò tenera, minuta, & vix foliorum adhuc nomine digna erant, [nam dies menſis erat tantùm undecimus] ut ficus, ejuſdem cum iſtis foliis anni exſpectare, non ſolùm fruſtraneum eſſet, ſed ridiculum. Peculiare quid denotare videntur verba iſta ἔχειν φύλλα, ac ſi reliquæ ficus iſthoc loci eſſent abſque foliis, aut, ad minimum, folia non haberent, quæ pollicerentur ficus. Rationem reddere videtur *Marcus*, cur ad iſtam arborem accederet potiùs quàm ad aliquam aliam, quòd nempe in ea videret folia, atque indè ſpem ficuum. *Nam, cùm vidiſſet*, inquit, *à longinquo ficum habentem folia, venit viſurus num aliquid inveniret in ea.* A foliis ſpes ficuum: hæc ergò certè non folia erant præſentis veris, nam ea vix, aut nè vix, adhuc in rerum natura; ſed aut hæc folia erant anni præteriti, quæ per totam hyemem ficui adhæſerant; aut erat hæc ficus de eo ficuum genere, quæ ficus, paritérque folia, per biennium aut triennium appendentia habuit, antequàm perduceretur fructus ad maturitatem. Atque hanc ego poſteriorem interpretationem potiùs amplector: quæ & rem ipſam planiùs elucidet, & ſcrupulis è verbis *Marci* orientibus plenius ſatisfaciat. Habuiſſe hæc arbor folia videtur, quæ ficus promitteret, atque aliæ non ita; quæ ſi omnes ejuſdem fuiſſent generis, omnes, ut probabile, pariter habuiſſent. At, cùm reliquis vento & hyeme excuſſa eſſent folia anni præteriti, præſentíſque, non eſſent producta, hæc ſua retinuit, pro natura & genere ſuo & æſtate & hyeme. *Marcus* ergò in clauſula iſta, quæ maximè interpretes torquet, Οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων, non ſtrictè & ſolùm rationem reddit, cur ficus non invenerit; ſed rationem reddit totius actionis, cur ſcilicet in monte iſto, ficubus abundanti unam tantùm viderit, cui folia talia, eámque conſpectam è longinquo adierit, ab eâque ſola ficus exſpectaret. Ratio, inquit, hæc erat, *Quia non erat tempus ordinarium ficuum*: quòd ſi fuiſſet, à ficubus undique circumſtantibus decerpere potuiſſet; at cùm non eſſet, ab hac ſola erat exſpectatio, quæ de genere פרסאות aut בנות שוח videbatur, quæ nunquam foliis ac ficubus caruerunt. Nam ut exemplum in בנות שוח ſumamus. Produxit ea ficus hâc æſtate, quæ per totam hyemem ramis hæſerunt; produ-

xit & alias proximâ æstate, eæque, & priores per istam hyemem ramis etiam hæserunt; tertiâ æstate tertiam prolem edidit; atque ista æstas prolem primam ad maturitatem decoxit: & sic in perpetuum; ità ut nullum tempus eam fructu plurium annorum vacuam videret: minùs ergò mirum est, si ea quæ tantam fœcunditatem, ex aspectu suo promisit, ut duorum ad minimum annorum fructum exspectaret, adeò autem spem fefellit, ut nè unam quidem ficum exhiberet, si, inquam, ea à Domino, quem, ut ità dicam, adeò fefellerat, justam patiatur vindictam; emblema pœnæ infligendæ *Judæis* ob eorum spiritualem sterilitatem, ac hypocrisin.

VERS. 21. Καὶ ἐν τῷ ὄρει τούτῳ εἴπῃς, Ἄρθητι, καὶ βλήθητι εἰς τὴν θάλασσαν· γενήσεται.

Hyperbolica est hæc locutio, à vulgari Scholarum *Judaicarum* dialecto desumpta, atque in earum confutationem aliqualiter collimata. Istiusmodi hyperbolen de ipsissimo hoc monte habes in *Zech.* xiv. 4.

Soliti sunt *Judæi* Doctores suos illustriores de profunditate doctrinæ aut virtutum splendore hâc Phrasiologiâ magnificare, הוּא עִקַּר הָרִים *Ille est eradicator,* [aut *transplantator*] *montium.*

Bab. Beracoth, fol. 64. 1. *Rabh Joseph est Sinai, & Rabbah est eradicator montium.* Glossa, *Vocârunt Rabh Joseph Sinai, eò quòd esset peritissimus elucidationum: & Rabbah bar Nachmani Eradicatorem montium vocârunt, eò quòd acutissimus esset judicio.*

Id. *Erubhin.* fol 29. 1. *Dixit Rabba, Ecce, ego sum sicut Ben Azzai in plateis Tiberiadis.* Glossa, *Sicut Ben Azzai, qui profundè docuit in plateis Tiberiadis, nec erat in diebus ejus* עִקַּר הָרִים כְּמוֹתוֹ *Eradicator montium par ei.*

Id *Sanhedr.* fol. 24. 1. *Vidit Resh Lachish in Schola, ac si eradicantem montes, ac hunc illo commolentem.*

Eâdem Phrasiologia, quâ illi ineptè atque adulatoriè doctrinam & virtutes suorum magnificârunt, *Christus* meritò fidem magnificat, ad omnia potentem, *Marc.* ix. 23.

VERS.

VERS. 33. Ερύτευσεν ἀμπελῶνα.

De vineis, earúmq; culturâ, vide *Kilaim*, capp. 4, & 5, & 6, & 7. Ubi copiosè agitur de vineæ areolis, vitium ordinibus, menſurâ torcularis, de ſepe, de foſſis, de calvitio, & de locis intra ſepem, vitibus vacuis, ſerendis vel non ſerendis, *&c.*

VERS. 35. Ἔδειραν,
Ἀπέκτειναν,
Ἐλιθοβόλησαν.

Alludi videtur ad pœnas & mortes in Synhedrio.

1. Ἔδειραν, quæ propriè *corii detractionem* denotat, non incongruè ab interpretibus redditur, *Cecidérunt*: videtúrque vox ad flagellationem referri, ubi quadraginta, uno minùs, verbera miſerum miſerè excoriárunt. Quære quid propriè ſibi velit vox סקפ in Phraſiologia iſta uſitatiſſima, flagellationem hanc exprimente סופג את הארבעים.

2. Ἀπέκτειναν, mortem gladio innuit, prout הרג apud Synhedrium ד' מיתות נמסרו לבר סקילה שריפה הרג וחנק *Quatuor mortium genera tradita ſunt Synhedrio, Lapidatio, Combuſtio, Occiſio & Strangulatio. Sanhedr.* cap. 7. hal. 1.

VERS. 38. Οὗτός ἐστιν ὁ κληρονόμος, &c.

Confer hunc verſiculum cum *Joan.* xi. 48. videtúrque innui, Primates *Judæorum Chriſtum* pro *Meſſia* inter ſe agnoviſſe; aſt eum amentes trucidâſſe, nè cultum alium populúmque alium inducens, cultum ipſorum, ipſósque, aut perderet, aut ſupprimeret.

VERS. 44. Καὶ ὁ πεσὼν ἐπὶ τὸν λίθον τοῦτον συνθλασθήσεται, &c.

Alluditur hìc planè ad modum lapidationis, de quo ſic *Sanhedr.* cap. 6. hal. 4. *Locus lapidationis altitudine excepit duplicem hominis ſtaturam: indè è clivo eum in terram præcipitavit unus è teſtibus, in lumbos impactum, ſi indè moriatur, bene: ſin minùs, teſtis alter lapidem ei impingit in cor*, &c. Gemara Bab. *R. Simeon ben Eleazar dicit, Lapis illic erat, quantum duo portarent, hunc impegerunt in cor ejus.*

CAP.

CAP. XXII.

VERS. 9. Πορεύεσθε ἐπὶ τὰς διεξόδους τῶν ὁδῶν, &c.

ID est, Inducite huc itinerantes.

Bab. Beracoth, fol. 43. 1. *Quisnam est ordo accubitûs ad cibum? Ingrediuntur viatores, sedéntque super subsellia aut cathedras, usque dum introîerint omnes invitati.* Glossa, *Divitibus in more fuit, viatores pauperes ad convivia invitare.*

VERS. 16. Μετὰ τῶν Ἡρῳδιανῶν.

Conjiciuntur multa de *Herodianis*. Ego de iis judico ex historia ista, quam adducit autor *Iuchasin*, fol. 19. 1. de *Hillele* loquens & *Shammæo*. *Anteà*, inquit, *fuerant Hillel & Menahemus* [capita Synhedrii:] *at recesserat Menahemus ad famulitium Herodis Regis, unà cum octoginta viris splendidè vestitis.* Ego hos atq; hisce similes *Herodianos* dici arbitror, qui partim sese in aulam contulerant, partim partibus *Herodis* adhæserant, patris, filiíque. Quantâ lite apud magnam partem *Iudaicæ* gentis *Herodes* solium ascenderat firmaverátq;, observavimus anté. Erant qui ei pervicaciter resisterent, erántq; qui fortiter suffragarentur: his meritò attibuitur titulus *Herodianorum*, quippe qui summis viribus regnum istius familiæ suffulcirent, & firmarent: iíq; fuerunt, ut videtur, fidei ac doctrinæ *Sadducææ*; videntúrque *Herodem* jam τελεαρχοῦντα istâ doctrinâ fermentâsse; nam [quod notavimus anté] *fermentum Sadducæorum* in *Matthæo* (*Matth.* xvi. 6.) *Marco* est *Fermentum Herodis* (*Marc.* viii. 15.) Astutéque est utrinque consultum; ut ille ipsorum doctrinæ, illi ipsius regno evaderent mutuum stabilimentum. Cùm *Manaenem*, vel *Menahemum*, lego, *Herodis* Tetrarchæ Σωφρονα, *Act.* xiii. 1. promptè subit nomen & historia ista de *Menahemo* in aulam *Herodis* tot viros notæ insignioris secum abducente.

VERS. 20. Τίνος ἡ εἰκὼν αὕτη καὶ ἐπιγραφή;

Pernitiosâ subtilitate à *Christo* quærunt, num ille ejusdem sententiæ fuerit cum *Iuda Galilæo*: quam arripuerunt sceleστissimi isti omnium turbatores, quos *Zelotarum* nomine ubique insignit *Iosephus*

phus; obedientiam, ac tributum Principi *Romano* ſtrenuè denegantes, eò quòd Ethnico imperio ſe ſubdere, nefas eſſe & ſibi perſuaſerunt & ſuis. Quantas ſtrages inter populum induxerit dogmatis hujus veſanus furor, teſtantur cum *Joſepho* ipſa rudera *Hieroſolymitana*, vel in hunc ipſum diem. *Cæſarem* elegerunt præ *Chriſto*, & tamen quòd *Cæſarem* nollent, nec *Chriſtum*, dira proſtant monumenta, & vindictæ divinæ, & propriæ amentiæ, in omnia ſecula. Furorem hunc reſpiciunt frequentes iſtæ Apoſtolorum commonitiones, *ut poteſtatibus ſublimioribus unuſquiſque ſe ſubdat*, *Rom.* xiii. 1. I *Pet.* ii. 13, &c. atque inſanientium iſtorum characteres, *Dominationes contemnunt.* II *Pet.* ii. 10. *Judæ* ver. viii. & *ſeſe efferunt contra omne quod dicitur Deus*, II *Theſſ.* ii. 4.

Inſidiis quæſtionis propoſitæ reſpondet *Chriſtus* ex ipſa Scholarum determinatione, ubi hoc obtinuit, *Ubicunque numiſma Regis alicujus obtinet, illic incolæ Regem iſtum pro Domino agnoſcunt.* *Maimon.* in *Gezelah*, cap. 5. Hinc illud *Hieroſ. Sanhedr.* fol. 20. 2. *Dixit Abigail Davidi, Quidnam ego mali feci, vel filii mei, vel pecora mea? Reſpondit ille, Maritus tuus regnum Davidis vilipendit. Tunc ergò, inquit illa, Rex es? Cui ille, Nonne Samuel me unxit in Regem? Cui illa,* עדיין מוניטרא דמרן שאול קיים: *Nomiſma Domini noſtri Saulis adhuc obtinet*: id eſt, Nonne *Saulus* pro Rege eſt habendus, cùm nomiſma ejus vulgò adhuc apud omnes recipiatur?

VERS. 23. Σαδδουκαῖοι, οἱ λέγοντες μὴ εἶναι ἀνάστασιν.

Tanchum, fol. 3. 1. *Sadducæi negant, dicúntque, Deficit nubes, atque abit; ſic deſcendens in ſepulchrum non redit:* eâdem omnino arguendi normâ, quâ Pædo-baptiſmum negant ii qui negant; quia ſcilicet in Lege non occurrat mentio reſurrectionis apertis verbis. De *Herodianis* ſuſpicati ſumus ſuprà fuiſſe *Sadducæos*, aulicos ſcilicet: aſt hi, quibuſcum jam res eſt, vulgariores erant.

VERS. 32. Οὐκ ἔστιν ὁ Θεὸς Θεὸς νεκρῶν.

Lege, ſi vacat, initium capitis *Chelek* in *Bab. Sanhedr.* ubi obſervabis quibus argumentis & deductionibus לתחיית המתים מן התורה aſtruitur reſurrectio è Lege à *Talmudicis*, formâ arguendi huic ſub manibus non abſimili. Hoc unum tantùm adduce-

 mus:

cemus: *Dixit R. Eliezer Be R. Ioſi, Hac in re ego falſitatis incuſavi Scribas Samaritanorum, qui dicunt, Reſurrectionem mortuorum non probandam eſſe è Lege: dixi illis, Vos falſificatis Legem veſtram, nec quicquam reportatis in manibus veſtris; nam dicitis, Reſurrectio mortuorum non eſt è Lege, cùm dicat,* Excidendo excidetur anima iſta, iniquitas ejus ſuper eam [*Num.* xv. 31.] Excidendo excidetur, *nempe in mundo hoc.* Iniquitas ejus ſuper eam: *quando? Nonne in mundo futuro?* Hæc ideo magis præ aliis, quæ illic occurrunt, citavimus, quòd textum *Samariticum* corruptelæ iſthoc in loco inſimulare videntur, cùm quidem optimè & textus & verſio, quod obſervanti patebit, conveniant cum *Hebræo.* Cùm ergò dicat *Rabbinus* eos Legem ſuam falſificâſſe, [ויפתם תורתכם] non tam puritatem textûs negat, quàm vanitatem interpretationis redarguit, ac ſi dixiſſet, Vos Legem veſtram falsè interpretamini, cùm reſurrectionem mortuorum ex iſtis verbis, quæ eam tam apertè effantur, non eliciatis.

Cum præſenti *Salvatoris* argumento confer primò iſta, quæ dicuntur à *R. Tanchum,* fol. 13. 3. *Dicit R. Simeon ben Iochai, Deus Sanctus Benedictus nomen ſuum juſtis non adjungit dum vivunt; ſed tantùm poſt mortem eorum: ſicut dicitur,* Sanctis qui in terra ſunt [*Pſal.* xvi. 3.] *Quandonam ſunt Sancti? Cùm in terra reponuntur; nam, dum vivunt, nomen ſuum Deus iis non adjungit, eò quòd de iis non certum habeat, malum affectum eos non abducturum: at, cùm mortui ſunt, nomen ſuum iis adjungit. Aſt invenimus Deum nomen ſuum adjunxiſſe Iſaaco, dum viveret.* [*Gen.* xxviii. 13. Ego ſum Deus *Abrahami* & Deus *Iſaaci.*] *Reſpondent Rabbini, Pulverem ejus reſpexit, ac ſi collectum ſuper Altare. R. Berachiah dixit, Ex quo cœcus factus eſt, fuit ſicut mortuus.* Vide etiam *R. Menahem* in Legem, fol. 62. 1.

Confer etiam iſta *Gemaræ Hieroſolymitanæ, Berac.* fol. 5. 4. *Juſti etiam in morte dicuntur vivi, atque impii etiam in vita dicuntur mortui. Aſt unde probatur, quòd impii etiam in vita dicuntur mortui? Ex eo, quod dicitur,* לא אחפוץ במות המת Non delectatus ſum morte mortui. *Num ille, qui dicitur* מת, *jam eſt mortuus? Atque unde probatur, quòd juſti etiam ſub morte dicantur vivi? Ex eo, quod ſcribitur,* Et dixit ei, Hæc eſt terra, de qua juravi *Abrahamo, Iſaaco,* & *Jacobo,* לאמר. *Quid ſibi vult vox* לאמר?

לאמר? *Dicit ei, Abi & dic patribus, quodcunque promiſi vobis, præſtiti filiis veſtris.*

Eadem ſententia *Babylonicorum*, *Berac.* fol. 18. 1. *Viventes nôrunt quòd morientur: Iſti ſunt juſti, qui in morte ſua dicuntur vivi: ſicut dicitur,* Et Benaiah filius Johoiadæ filii איש חי viri viventis, &c. Et paulò póſt, *Mortui nequicquam nôrunt: Iſti ſunt impii, qui etiam in vita eorum dicuntur mortui: ſicut dicitur,* ואתה חלל רשע נשיא ישראל Et tu mortue impie princeps Iſraelis. Vocem חלל, quæ vulgò *Profane* redditur hoc in loco, illi ſenſu etiam admodùm uſitato reddunt, nempe pro *vulnerato*, aut *mortuo*.

Ibid. col. 2. Variæ adducuntur hiſtoriæ, quibus probatur mortuos eouſque vivere, ut etiam intelligant plurima quæ hìc fiunt: nonnullóſque poſt mortem fuiſſe locutos, &c.

CAP. XXIII.

VERS. 2. Ἐπὶ τῆς Μωσέως καθέδρας, &c.

DE Cathedra legislativa hoc intelligendum potiùs, quàm de merè doctrinali: aſſerítque hìc *Chriſtus* autoritatem magiſtratûs, eíque parere in licitis hortatur.

De *cathedris* Synhedrii mentio in *Bab. Succah*, fol. 51. 2. *Erant Alexandriæ cathedræ aureæ ſeptuaginta una, pro numero Seniorum ſeptuaginta unius, è Synhedrio magno.*

De *autoritate Moſis*, atque ejus vices gerente in Synhedrio, mentio etiam in *Sanhedr.* cap. 1. hal. 6. *Synhedrium magnum conſtitit è Senioribus ſeptuaginta uno. Unde autem aſtruitur hic numerus? Ex eo, quod dicitur,* Collige mihi ſeptuaginta viros è Senioribus Iſraelis: Moſes autem eis præfuit. *Ecce ſeptuaginta unum!*

Quod à *Galatina* hìc obſervatur, ex ſignificatione *Aoriſti* ἐκάθισαν, leve nimis eſt, & ventoſum. *Sederunt dicit* [inquit ille], *& non Sedent, ut manifeſtè demonſtraret, quòd eorum tunc jam ceſſaverat poteſtas.* lib. 4. cap. 6. Si quid autem curioſius ex Aoriſto eliciendum, in hunc potiùs ſenſum optimè tranferas. *Moſis* Cathedram

invaserunt diu *Scribæ* ac *Pharisæi*, hominum nequissimi; eis tamen parendum, eò quòd, ità dispensante providentiâ divinâ, summum illi gerunt Magistratum.

De eorum autoritate sic *Maimon.* in *Mamrim*, cap. 1, *Synhedrium magnum Hierosolymitanum fuit* עיקר ועמוד [στύλος καὶ ἑδραίωμα. Vide I *Tim.* iii. 15.] *fundamentum Legis traditionalis, & columna doctrinæ: unde prodierunt statuta & judicia ad omnem Israelem. Et de iis, hoc ipsum asserit Lex, dicens,* Secundùm sententiam Legis, quam ipsi docuerint, &c. [*Deut.* xvii. 11.] *Quicunq; ergò Mosi, Magistro nostro, ejúsque Legi credit, illis inniti tenetur de rebus Legis.*

Christus eos non pro oraculis habendos docet, sed pro Magistratibus.

VERS. 4. Φορτία βαρέα.

חומרי linguâ *Talmudicâ*. Hinc איסור חמור *Prohibitio gravis. Hieros. Rosh hashanah*, fol. 56. 4. הולך אחרי המחמיר *Sequatur gravia imponentem. Maim.* in *Mamrim*, cap. 1.

Memorantur res viginti quatuor מחומרי ב״ה מקולי בש״ *E gravibus Scholæ Hillelianæ, & levibus Shammæanæ. Hieros. Jom Tobh*, fol. 60. 2. & *Sotah*, fol. 19. 2.

In eodem tractatu *Sotah*, cap. 3. hal. 4. *R. Joshua dicit, Stultus religiosus,* רשע ערום *Improbus astutus, fœmina Pharisæa, ac illisio voluntaria Pharisæorum, perdunt mundum.* Disputatur à *Gemaristis*, quis sit רשע ערום *Improbus astutus*, & respondetur à quibusdam, *Is, qui levia sibi præscribit, at gravia aliis.*

VERS. 5. Πλατύνουσι δὲ τὰ φυλακτήρια αὐτῶν.

Has quatuor Legis Periochas,

Exod. xiii. ver. 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10.
Exod xiii. ver. 11, 12, 13, 14, 15, 16.
Deut. vi. ver. 5, 6, 7, 8, 9.
Deut. xi. ver. 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21.

Membranulis duabus inscriptas [תפלין *Tephillin* ab iis vocatas] summa cum religione secum gestabant assiduè, fronti affixas ac brachio sinistro. Fronti, *eo loco* שמוחו של תינוק רופף, *quo cerebri*

rebri infantis eſt palpitatio. Bab. Taanith, fol. 16. 1. in Gloſſa. Hæc frontalis maximè conſpicua erat, & πλατυνθεῖσα: hinc illud, *Nè prætereat quis Synagogam, dum illìc oratur.* ----*Si verò capiti affixa habeat Phylacteria, præterire permittitur, eò quòd iſta teſtentur eum ſtudioſum eſſe Legis. Maimon.* in *Tephillah*, cap. 8. atq; illud *Bab. Beracoth*, fol. 18. 1. *Ambulare inter ſepulchreta non licet cum Phylacteriis capiti affixis, ac libro Legis brachio appenſo.*

Dicta ſunt Græcè φυλακτήρια, id eſt, *Obſervatoria*; eò quòd eſſent memorativa Legis: ac *conſervatoria* etiam fortaſſis dicta, eò quòd vim quandam habere exiſtimarentur ad fugandos Dæmonas. *Neceſſe eſt, ut recitentur Phylacteria veſpere domi*, בשביל להברוח את המזיקין *ad fugandos Dæmonas. Hieroſ. Berac.* fol. 2. 4. *Piske* in *Berac.* cap. 1. artic. 6. *Rabbenu Aſher*, ibid. cap. 1. col. 1.

De curioſa Phylacteriorum ſcriptione, vide *Maimon.* in *Tephillin*, capp. 1, 2.

De eorum ligamentis literulis quibuſdam ſignatis, vide *Toſaphoth* ad *Megillah*, fol. 26. 2.

De eorum recitatione, vide utrumque *Talmud* in *Beracoth*, capp. 1, 2, 3.

Ut tactis Phylacteriis jurârint *Judæi*, vide *Maim.* in *Shevuoth*, cap. 11. útque introducatur Deus per Phylacteria jurans, *Tanch.* fol. 6. 3.

Non tam nudam eorum geſtationem damnat *Salvator*, quàm faſtuoſam ac hypocriticam. Non improbabile eſt ipſum ea geſtâſſe pro more gentis: nam & à pueritia erudiendi erant filii *Judæorum* in recitatione Phylacteriorum, cùm jam catechizationis eſſent capaces. *Bab. Berac.* fol. 22. 1. in Gloſſa.

Lata & admodùm conſpicua fecerunt ſibi *Scribæ* & *Phariſæi*, ut proportionatam indè apud populum reportarent devotionis famam atque æſtimationem, cùm hæc ut indicia ſtudii Legis, ac ſigna devotionis, æſtimarentur.

Μεγαλύνουσι τὰ κράσπεδα τῶν ἱματίων αὐτῶν.

Vide *Numer.* xv. 38. *Deut.* xxii. 12.

Bab. Schabb. fol. 23. 2. *Qui de candela Sabbatica curat, futuri ſunt ejus filii diſcipuli Sapientum; qui de membranulis poſtibus affigendis, domum ſpecioſam adipiſcetur: quíque de* ציצית *fimbriis veſtimento attexendis, adipiſcetur bonam tunicam.*

VERS. 7. Καὶ καλεῖσθαι, Ῥαββὶ, Ῥαββί.

I. De origine hujus tituli ſic *Aruch* in voce אבי.

Secula vetuſtiora, quæ digniora erant, opus non habuerunt titulo vel Rabban, vel Rabbi, vel Rabh, aut ad Sapientes Babylonis inſigniendos, aut Sapientes terræ Iſraeliticæ: nam, ecce, aſcendit Hillel è Babylone, & nomini ejus non additus eſt titulus Rabbinatûs: atq; ità erat de iis, qui nobiles erant inter Prophetas, nam dicit: Haggai Propheta [non *Rabbi Haggai*] *Ezra non aſcendit è Babylone*, &c. [non *Rabbi Ezra*] *quos non inſignîerunt titulo Rabbinatûs, cùm nomina eorum proferrent. Ac non audivimus, initium hoc habuiſſe niſi in Præfectis* [Synhedrii] *à Rabban Gamaliele ſene, & Rabban Simeone filio ejus, qui perîit in excidio Templi ſecundi, ac à Rabban Jochanane ben Zaccai, qui omnes fuerunt Præfecti. Ac titulus etiam Rabbi incepit à promotis* (ad Presbyteratum) *ex illo tempore, Rabbi Zadok & R. Eliezer ben Jacob: effluxítque res à diſcipulis Rabban Jochananis ben Zaccai, & ultrà. Ordóque in ore omnium ſic eſt, Major eſt Rabbi quàm Rabh, & major eſt Rabban quàm Rabbi, & major eſt qui nomine ſuo* (ſimplici) *vocatur quàm Rabban.*

Ante tempora *Hilleliana* in uſu non fuiſſe faſtuoſum hunc titulum *Rabbi* ſatìs patet ex eo, quòd Doctores præcedentes nudo ſuo nomine vocarentur, & titulum hunc non nôrunt. *Antigonus Sochæus, Shemaiah & Abtalion, Gebihah ben Peſiſa, Calba Savua, Admon & Hanan, Hillel & Shammai*, aliíque quàmplurimi, quorum nomina occurrunt in hiſtoria *Judaica*. At tamen reperies vetuſtiores hoſce à ſcriptoribus ſuæ gentis officioſè aliquando inſignitos hoc titulo, quem ipſi non nôrunt. In *Bab. Maccoth*, fol. 24. 1. Regem *Jehoſhaphatum* ità doctos vocâſſe fingunt. *Cùm videret ille*, inquiunt, *Diſcipulum Sapientum, ſurrexit è ſolio, atque eum amplexus eſt, atque oſculatus, eúmque vocavit* אבי אבי רבי רבי מרי מרי, *ô Pater, Pater, Rabbi, Rabbi, Domine, Domine.* Et in *Sanhedr.* fol. 107. 3. *Joſhua ben Perachiæ* vocatur *Rabbi Joſhua.* רבי אבי מורי hìc redduntur Ῥαββὶ verſu octavo, Πατὴρ verſu nono, καθηγητὴς verſu decimo.

Tempus præciſum, quo ortus eſt hic titulus, non rimatiùs ſcrutamur; ortus certè non eſt ante orta ſchiſmata inter Scholas *Shammai* & *Hillelis*, & ex iſto ſchiſmate forſan ortus.

II. In

II. In more, & in amore iis fuit, hoc titulo honorario ſalutari, utcunque ſimulatum apud eos hoc axioma, אחוב את מלאכתה ושנא את הרבנות *Opus ama, at Rabbinatum odio habe. Maim.* in *Talm. Tor.* cap. 3.

1. Diſcipuli Magiſtros ſuos ſic ſalutare ſunt docti.

Bab. Berac. fol. 27. 1. *R. Eliezer dicit,* המתפלל אחרי רבו והנותן שלום לרבו והמחזיר שלום לרבו *Qui orat poſt tergum Magiſtri ſui, Et qui ſalutat Magiſtrum ſuum, aut reſalutat Magiſtrum ſuum, & qui ſeparatiſtam ſe facit à Schola Magiſtri ſui, & qui aliquid docet, quod non audivit à Magiſtro ſuo, is divinam majeſtatem provocat, ut diſcedat ab Iſraele.* Gloſſatores in iſta verba, *Qui ſalutat, aut reſalutat Magiſtrum ſuum,* ſic commentantur: *Qui Magiſtrum ſalutat eâ formâ verborum, quâ alios homines ſalutat, & non dicit ei,* שלום עליך רבי *Salve Rabbi.* [Vide & *Hieroſ. Shevuoth,* fol. 34. 1.]

Refertur etiam in eodem tractatu, fol. 19. 1. Synhedrium vigeſies quater quoſdam excommunicâſſe על כבוד רב *Propter honorem Magiſtri:* id eſt, propter debitum honorem *Rabbinis* non conceſſum.

2. Magiſtri ſe mutuò ſic ſalutârunt.

Hieroſ. Moed Katon, fol. 81. 1. *R. Akibah dixit B. Eleazaro, Rabbi, Rabbi. Bab. Taanith,* fol. 2. 2. habetur hæc hiſtoria. *R. Eliezar b. Simeonis de Magdal-Gedor venit à domo Magiſtri inſidens aſino: perrexit juxta ripam fluvii gaudens valde, hilarisque, ideo quòd plurimum in Lege didiciſſet. Occurrit ei homo quidam deformis admodùm, dixitque,* שלום עליך רבי *Salve, Rabbi: at ille eum non reſalutavit, verùm è contrà ſic dixit, Raka, Quàm deformis eſt iſte vir, forſan omnes concives tui æquè deformes ſunt ac tu. Reſpondit ille, Ego hoc non novi, aſt ito tu ad opificem, qui me fecit, eique dic, Quàm deforme eſt hoc vaſculum, quod feciſti?* &c. Et paulò póſt, *Cùm accederet* [iſte deformis] *ad propriam urbem, prodierunt ei in occurſum concives, & dixerunt,* שלום עליך רבי רבי מורי מורי *Salve, Rabbi, Rabbi, Magiſter, Magiſter. Dicit iis* [R. Eliezer] *Cuinam vos dicitis, Rabbi, Rabbi? Reſpondent, Ei, qui te ſequitur. Quibus ille, Si hic eſt Rabbi, nè multiplicentur tales in Iſraele.*

VERS.

VERS. 14. Κατεσθίετε τὰς οἰκίας τῶν χηρῶν.

Ingenioſi ſatìs erant *Scribæ* & *Phariſæi* in proprium commodum. Audi argumentum unum inter plura ab incude avaritiæ eorum, artificio ſanè rudi, at lucroſo ſatìs, malleatum. *Bab. Joma* fol. 72. 2. *Dicit Dominus, Faciant mihi arcam è ligno Shittim.* מכאן לתרו׳ שבני עירו מצוין לעשות לו מלאכתו. *Hinc determinatur*, inquiunt, *pro Diſcipulo Sapientum, quòd tenentur concives ejus opus ſuum ſervile pro ipſo præſtare.* O magiſtra artis, ingenîque largitrix, crumena! Sic promotus in præfecturam Synhedrii à Synhedrio erat ſuſtentandus, & locupletandus. Vide Gloſſam in *Bab. Taanith*, fol. 21. 1.

Duplici hamo venerationem à populo piſcati ſunt, & ex veneratione lucrum.

I. Ut doctores Legis; ubi hoc primò & præ omnibus inſtillârunt diſcipulis & vulgo, venerandum ſupra omnes mortales eſſe Sapientem, vel Magiſtrum. Ecce ordinem ſubſelliorum gentis his judicibus! *Hieroſ. Horaioth*, fol. 84. 2. *Sapiens præferendus Regi: Rex ſummo Pontifici: ſummus Pontifex Propheta: Propheta uncto in bellum: unctus in bellum Præfecto Ephemeriæ: Præfectus Ephemeriæ capiti familiæ: caput familiæ Conſiliario: Conſiliarius Theſaurario: Theſaurarius Sacerdoti privato: Sacerdos privatus Levitæ: Levita Iſraelitæ: Iſraelita Nothо: Nothus Nethinæo: Nethinæus Proſelyto: Proſelytus ſervo manumiſſo. At quando hoc? Nempe, cùm cetera ſunt paria: at verò, ſi Nothus ſit Diſcipulus Sapiens, & Sacerdos ſummus ſit indoctus, Nothus ei præferendus. Sapiens eſt præferendus Regi: nam, ſi moriatur Sapiens, non eſt ei par; at, ſi moriatur Rex, quivis Iſraelita eſt idoneus regno.*

Hæc ultima in mentem revocant illa *Ignatii Martyris*, ſi modò illa *Ignatii*, in epiſtola decima. Τίμα, φησὶν, ἐν τῶν Θεὸν καὶ Βασιλέα. Ἐγὼ δέ φημι, Τίμα μὲν Θεὸν, ὡς ἄπαν τῶν ὅλων καὶ Κύριον· Ἐπίσκοπον δὲ ὡς ἀρχιερέα, Θεοῦ εἰκόνα φέροντα· κατὰ μὲν τὸ ἄρχειν, Θεοῦ, κατὰ δὲ τὸ ἱερατεύειν, Χριστοῦ· καὶ μετὰ τοῦτον τιμᾶν χρὴ καὶ Βασιλέα.

II. Prætextu infandæ devotionis, præſertim verò ſub ſpecioſo habitu orationum prolixarum, animos devotos ità ad ſe flexerunt, præſertim verò fœminarum, atque inter eas viduarum locupletiorum, ut bona & facultates earum ſubtili attractu extorquerent, aut expiſcarentur. Nec deerant retia fictæ autoritatis, cùm pro libitu è cathedra

cathedra pronuntiarent de dote atque opibus, viduæ cedentibus, ſibíq; adrogârunt de iſtis rebus determinare. De qua re, infinitis litibus atque ambagibus perplexâ, vide, ſi vacat, tractatus *Jevamoth, Chetubboth,* & *Gittin.*

De prolixitate orationum ſatìs erat adduxiſſe verba *Gemaræ Babylonicæ* in *Beracoth,* fol. 32. 2. *Religioſi antiquiores ſoliti ſunt per horam morari* [meditantes ante inceptas preces] *unde hoc? Dicit R. Joſhua ben Levi, Ex eo, quod dicit Scriptura,* אשרי יושבי ביתך Beati ſunt, qui ſedent in domo tua. *Dicit etiam R. Joſhua Ben Levi, Tenetur etiam orans ad morandum poſt preces ſuas per ſpatium horæ: ſicut dicitur,* Juſti laudabunt nomen tuum ישבו ישרים את פניך Sedebunt recti ante faciem tuam. *Neceſſe eſt ergò, ut moretur* [meditans] *per horam unam ante preces & per horam unam poſt preces,* &c. *Religioſi antiquiores morati ſunt per ſpatium horæ ante preces, precati ſunt per ſpatium horæ, & morati ſunt per ſpatium horæ poſt preces. Cùm ergò novem horas unoquoque die precibus immorando inſumerent, quomodo reliquum Legis eſt ab iis præſtitum? & quomodo curatum eſt ab iis de rebus ſuis mundanis? Aſt ideo quòd religioſi eſſent, obſervata eſt Lex eorum, & curatæ ſunt res eorum.* Atque ibidem fol. 54. 2. *Prolixa oratio vitam protrahit.*

VERS. 15. Ποιῆσαι ἕνα προσήλυτον.

Peſſimè certè apud *Talmudicos* audiunt Proſelyti. *Bab. Niddah,* fol. 13. 2. *Tradunt Rabbini noſtri,* גרים והמשהקים הינוקות מעכבין את המשיח *Proſelyti & Pæderaſtæ impediunt adventum Meſſiæ.* גרים לישראל כספחת *Proſelyti ſunt ſicut ſcabies Iſraeli.* Gloſſa, *Ideo quòd non eſſent periti mandatorum, quódque inducerent vindictas, atque inſuper, quòd fortè eorum opera imitarentur Iſraelitæ,* &c.

Et tamen in iis captandis omnimodâ ſedulitate uſi ſunt, lucri ergò, ut crumenas eorum, ſpecie religionis allectorum, aliquo modo mulgerent, aut eos in commodum aliquod ſibi, aut emolumentum adhiberent. Eandem ergò avaritiam ſub hypocriſi, quam commate præcedenti in exedendis viduis damnaverat *Salvator,* hìc etiam damnat in aucupandis Proſelytis: quos omnimodo ſudore

ad ſe allicere conati ſunt *Scribæ* & *Phariſæi*; non quòd Proſelyti iis curæ [nam eos pro ſcabie & peſte habuerunt] ſed quòd, quò plures ad ſuam religionem allicere potuerunt; eò iis amplior anſa lucrifaciendi, atque ineſcandi crumenas. Eos ergò ſic factos Proſelytos *fecerunt duplo magis filios Gehennæ, quàm ſeipſos*: nam, cùm in rete ſuum eos allexiſſent, prædam nacti non ulteriùs ſolliciti erant quid de iis fieret, modò ab illis aliquid ſibi cederet lucri. Pereant illi in ignorantia, ſuperſtitione, atheiſmo, omnimoda impietate, nihil hoc *Scribis* & *Phariſæis* curæ, permaneant modò in *Judaiſmo*, ut conſcientiis eorum iſti dominentur, & crumenis.

VERS. 16. Ὃς δ' ἂν ὀμόσῃ ἐν τῷ χρυσῷ τοῦ ναοῦ, ὀφείλει, &c.

In eundem planè ſenſum coeunt hæc verba cum iſtis de *Corban*, cap. xv. 5. Non *aurum Templi* hìc intelligendum eſt, illud quo micabant undique parietes & laquearia; ſed de auro in *Corbonam* oblato eſt ſermo. Vulgare, & quaſi pro nihilo, apud eos erat, jurare המעין הזה *Per Templum*, & המזבח *Per Altare*, quod obſervavimus ad capitis quinti verſum tricesimum tertium: atque hinc ſeipſos adeò obſtrictos non ſunt opinati; at verò, ſi קרבן *Corban* jurarent, vinculo indiſſolubili ſe mancipatos arbitrabantur. Exempli gratiâ, Si quis ſic juraret, *Per Templum*, aut *Per Altare*, aurum, pecora, bona mea, tibi non proderunt; licuit tamen juranti, ſi vellet, per hæc ei prodeſſe: at, ſi ſic juraret, *Korban Templo aurum meum*, *Korban Altari pecora mea*; hoc nullo modo violandum.

VERS. 23. Ἀποδεκατεῖτε τὸ ἡδύοσμον, &c.

I. *Regula hæc obtinet de decimis. Quodcunque cedit in cibum, quódque cuſtoditur* [id eſt, quod non eſt communis juris] *quódque è terra naſcitur, decimetur. Maaſaroth*, cap. i. hal. i.

II. Ex Lege, decimatio erat pecorum, frugum & fructuum: cujus modus & menſura ſecundùm *Scribas* hæc erat. *E frugibus triturati, & ventilabro purgatis*, 1. *Excipitur quinta pars pro Sacerdote: hac vocabatur* תרומה גדולה *oblatio magna.* 2. *Decima pars reſidui Levitæ cedit: vocabatur hac* מעשר ראשון *Decima*

Decima prima. 3. *Decima pars iterum è reſiduo tollenda & comedenda Hieroſolymis, aut redimenda: vocabatur hæc* מעשר שני *Decima ſecunda.* 4. *Levita decimam dat è ſuo Sacerdoti: vocatur hæc* מעשר המעשר *Decima decimæ.* Hæc fusè tractantur in *Peah, Demai, Maaſeroth,* &c.

III. מעשר ירק דרבנן *Decimatio olerum eſt à Rabbinis. Bab. Joma,* fol. 83. 2. Addita erat hæc decimatio à *Scribis*, & tamen à *Chriſto* approbata, cùm dicit, *Illa non oportet omittere.* Audi hoc, ô Anti-decimarie. Decimatio olerum erat inſtitutionis ſolùm Eccleſiaſticæ, & tamen ſanctionem habuit *Salvatoris* in iſtis verbis, *Illa non oportet omittere*: ídque partim ob rei ipſius æquitatem, & conſonantiam ad Legem & rationem, partim, quòd à Synhedrio in cathedra *Moſis* ſedente (ut verſu ſecundo) erat præſcripta.

IV. Τὸ ἡδύοσμον.] Vocatur ea aliquando *Talmudicis* הדנדנה *Sheviith*, cap. 1. hal. 1. numeratúrque inter ea, quæ Legem patiuntur anni ſeptimi. Ubi *Rambam, Arucho eſt* מינטא. Vocatur aliquando מינתא *Oketſim*, cap. 1. hal. 2. Ubi R. Sol. *Arucho vernaculè eſt* מינטא *Mentha: éſtque ſuavis odoris, eam ergò in Synagogis ſpargunt, boni odoris gratiâ.*

Τὸ ἄνηθον] *Talmudicis* שבת. *Oketſim*, cap. 3. hal. 4. ubi R. Sol. שבת *eſt de genere herbarum, & decimatur, & quoad ſemen, & quoad herbam.* Rambam. *Comeditur crudum poſt cibum, & non coquendum eſt: dum ergò non coquitur, ſubit decimationem.* Gloſſa in *Bab. Avodah Zar.* fol. 7. 2. שבת *linguâ Romanâ eſt Anethum, & decimatur, ſive colligatur viride, ſive maturum.*

Τὸ Κύμινον] *Talmudicis* כמון. Numeratur inter decimanda, *Demai*, cap. 2. hal 1.

VERS. 27. Παρομοιάζετε τάφοις κεκονιαμένοις.

Diſtinguntur ſepulchra apud *Judæorum* Magiſtros, in קבר תהום *Sepulchrum profundum*, de quo ignoratur quòd ſit ſepulchrum, Μνημεῖον ἄδηλον, *Luc.* xi. 44. & קבר מצוין *Sepulchrum pictum*, qualia erant omnia, quæ nota erant & conſpicienda. Utriſque *Scribas* & *Phariſæos* comparat *Salvator*; il-

lis, *Lucæ* loco citato; his, loco ſub manibus, ſub diverſa ratione.

De dealbatione ſepulchrorum hæc traduntur.

Shekalim, cap. 1. halac. 1. *Decimo quinto menſis Adar emendant vias, & plateas, & collectiones aquarum, atque ea præſtant, quæ publicum ſpectant,* ומציינין את הקברות *& pingunt* [vel, *notant*] *ſepulchra.*

Modus deſcribitur in *Maaſar ſheni*, cap. 5. hal. 1. מציינין קברי בסיד ממחה ושופך *Sepulchra pingunt calce, aquâ maceratâ ac infuſâ.*

Rationem rei reddunt *Gemariſtæ Hieroſolytani* utrobique locorum. *Nonne ſepulchra notant*, inquiunt, *ante menſem Adar? Imò, at ſupponitur abſterſos eſſe colores. Quam autem ob cauſam ſic pingunt? Ut par ſit hæc res cauſæ leproſi. Clamat ille, Immundus, Immundus: atque hìc pariter, immunditia ore ſuo ad te clamat, & dicit, Nè appropinquas. R. Illa, nomine R. Samuelis bar Nachman illud adducit* [*Ezek.* xxxix. 15.] *Si tranſiens quis per terram os hominis viderit, ſignum ſepulchrale juxta illud eriget.* Vide *Hieroſ. Maaſar ſheni*, fol. 55. 3. *Moed katon*, fol. 80. 2, 3. *Sotah*, fol. 23. 3.

Gloſſatores & rationem, & modum, ſic effantur. *A decimo quinto menſis Adar inveſtigârunt, atque ubicunque ſepulchrum invenerunt, cujus abluta ab imbribus eſſet dealbatio, eam reſtaurârunt, ut locus immundus dignoſceretur, atque ut indè declinarent ſacerdotes comeſturi Trumam.* Gloſſa ad *Shekalim* & rurſus ad *Maaſar Sheni*. *Sepulchra calce notârunt ad formam oſſium, quam aquæ infuſam circa ſepulchrum fuderunt, ut dignoſcerent indè omnes locum iſtum immundum eſſe, ideóque ab eo eſſe declinandum.*

De hac re etiam Gloſſa in *Bab. Moed katon*, fol. 5. 10. *Notas fecerunt in ſepulchra, calce albâ inſtar oſſium*, &c. Vide locum.

VERS. 28. Οὕτως καὶ ὑμεῖς ἔξωθεν μὲν φαίνεσθε τοῖς ἀνθρώποις δίκαιοι, &c.

In *Bab, Sotah*, fol. 22. 2. Iſtiuſmodi Hypocritæ vocantur צבועין *Tincti*, vel *Colorati*. *Jannai* Rex moriens uxorem monet, ut caveat ſibi

מן הצבועין שרומין מפרשין שמעשיהן כמעשה זמרי sibi
זומבקשין שכר כפכנחס: *ab hominibus pictis, Phariſæos ſimulantibus, quorum opera ſunt ſicut opera Zimri, at tamen exſpectant mercedem Phinchaſi.* Gloſſa, צבועין *Homines iſti picti ii ſunt, quorum externa forma non reſpondet naturæ eorum, at colorati ſunt, quoad extra* אין תוכן כברם *at interius eorum non eſt ſicut exterius: eorúmque opera mala ſunt ſicut opera Zimri, at mercedem Phinchaſi requirunt, hominibus dicentes, ut ſe honorent veluti Phinchaſum.*

Axiomatis proprii erant obliti תח' שאין תוכו כברו אין תח' *Diſcipulus Sapientum, qui idem non eſt ad intra, quod eſt ad extra, non eſt Diſcipulus ſapientum. Bab. Joma,* fol. 72. 2.

Ἐπωδὴν ἡ μεσοὶ ἐστ ἀποκρίσεως καὶ ἀνομίας.

Hoc ipſum in infamiam propriam teſtantur Magiſtri.

In *Bab. Joma,* fol. 9. 2. Quærunt, quænam peccata eſſent ſub Templo primo, ob quæ illud erat vaſtatum; & reſpondetur, *Idololatria, Fornicatio, & Effuſio ſanguinis.* Quæritur, quænam ſub ſecundo; & reſpondetur, *Odium abſque cauſa, & ſecreta iniquitas*: & hæc addunt, ראשונים שנתגלה עונן נתגלה קיצם *Iis, qui ſub Templo primo erant; eò quòd non revelata eſt iniquitas eorum, revelatus eſt etiam finis eorum.* אחרונים שלא נתגלה עונם לא נתגלה קיצם. *At iis, qui ſub Templo ſecundo, non revelatus eſt finis eorum; eò quòd non revelata eſſet iniquitas eorum* Gloſſa, *Illi, qui ſub Templo primo, non occultârunt iniquitatem ſuam; iis ergò revelatus eſt finis eorum ſicut dicitur;* Poſt ſeptuaginta annos in Babylone ego viſitabo vos: *at eorum, qui ſub Templo ſecundo, non revelata eſt iniquitas*: בני מקרש שני היו רשעים נסתר *illi ſub Templo ſecundo fuerunt iniqui clanculúm.*

VERS. 29. Κοσμεῖτε τὰ μνημεῖα τῶν δικαίων.

Shekalim, cap. 2. hal. 5. בונין לו נפש על קברו: In partes eunt Gloſſatores de verſione vocis נפש. Quidam de ſtructura quadam intelligunt, vel columna; quidam de dealbatione, aut notatione ſepulchri nuper memorata. Agit locus de reſiduo didrachmarum ſolutarum pro redemptione animæ: quæritúrque ſi ſuper-

ſit quid ex iis debitum, vel reſiduum homini jam mortuo, quid de eo agendum; & determinatur, *Reponatur, uſque dum adveniat Elias; at R. Nathan dicit,* בונין לו נפש עד קברו, *Exſtruant ei columnam* [vel, *ſtructuram*] *aliquam in ejus ſepulchrum.* Quod fieri ſub ratione ornandi ſepulchra arguunt ea, quæ dicuntur à *Gemara Hieroſolymitana* in locum. אין עושין נפשות לצדיקים ὅ κοσμῶσι μνημεῖα τῶν δικαίων, *Nam dicta eorum ſunt memoria eorum.* fol. 47. 1. Unde videntur ſtructuræ iſtæ, vel ornamenta in ſepulchra eorum collata, memoriæ ſacra fuiſſe, vocatáque inde נפשות, quòd vitam atque animam memoriæ eorum conſervarent.

Ex his penſatis clariùs elucet ſenſus verborum ſub manibus. Num tam diram maledictionem meruit, ornare ſepulchra Prophetarum & juſtorum? Pietatis nonne hoc fuit potiùs, quàm alicujus reatûs? At ſecundùm doctrinam propriam, ô *Scribæ* & *Phariſæi,* דבריהן הן זכרונן *Dicta & facta eorum ſat iis memoriæ:* cur hæc non colitis, ſequimini, imitamini? At, his neglectis & concultatis, vos ſatìs pietatis iis præbuiſſe vobis perſuadetis, ſi ſumptibus aliquibus eorum ſepulchra decoratis, quorum verba quidem contemnitis.

VERS. 33. Ἀπὸ τῆς κρίσεως τῆς γεέννης.

רונה של גהינום Vide *Chaldæum* Paraphraſten in *Ruth* ii, 12. *Baal Turim* in *Gen.* i. 1. *Midras Tillin,* fol. 41. 2, 3. &c.

VERS. 34. Σοφοὺς καὶ γραμματεῖς.

סופרים & חכמים: Notent hoc, qui Miniſtros verbi peculiaris functionis eſſe non agnoſcunt. Non nôrunt *Judæi* quemquam חכם aut סופר cognominatum, qui non eſſet & doctus, & diſtincto ordine, & munere, à vulgo diſcretus.

VERS. 35. Ἕως τοῦ αἵματος Ζαχαρίου υἱοῦ Βαραχίου.

De *Zacharia,* filio *Joiadæ,* à *Joaſo* Rege occiſo, II *Paral.* xxiv. ſermonem eſſe, hiſce rationibus aſtruimus.

1. Quia nullus alius *Zacharias* occiſus dicitur, ante prolata à *Chriſto*

Christo hæc verba. Quæ de *Zacharia, Baptistæ* patre, hìc dicuntur, somnia sunt: & quæ de *Zacharia*, uno è duodecim Prophetis, parùm absunt à somniis. Disertis verbis memoratur occisio *Zachariæ* nostri in Templo; & quare, hoc neglecto, alium quæreremus; quem certè nullibi inveniemus apud aliquem certæ fidei autorem?

2. Mortem hujus *Zachariæ*, filii *Joiadæ*, insigni notâ ac vindictâ memorabilem observant *Judæi*: alterius *Zachariæ* martyrium non memorant omnino.

Audiatur utrumque *Talmud. Hieros.* in *Taanith*, fol. 69. 1, 2. *Bab.* in *Sanhedr.* fol. 96. 2. *R. Iochanan dixit, Octoginta mille Sacerdotes occisi sunt ob sanguinem Zachariæ. R. Iudan interrogavit R. Acham, Ubinam loci interfecerunt Zachariam? An in atrio mulierum? an in atrio Israelis?* Respondit *ille, Nec in atrio Israelis, nec in atrio mulierum; sed in atrio Sacerdotum. Et sanguini ejus non factum est, quod sanguini arietis, aut capreoli, fieri consuetum est. De his enim scriptum est*, Et sanguinem ejus fundet, & cooperiet pulvere. *At hìc scriptum est*, Sanguis ejus in medio ipsius est: in vertice rupis eum non posuit, in terram non fudit [*Ezek.* xxiv. 7.] *Quare hoc autem?* Ut exoriri faciat furorem in ultionem: sanguinem ejus ego in vertice rupis posui, ut non cooperiretur, [versu 8.] *Septem facinora patrârunt isto die. Interfecerunt Sacerdotem, Prophetam, & Iudicem: sanguinem insontis fuderunt: polluerunt atrium. Et fuit iste dies Dies Sabbati, & dies Expiationis. Cùm ergò illuc ascenderet Nebuzaradan, vidit sanguinem bullientem: dixit iis ergò, Quid hoc sibi vult? Sanguis est, inquiunt, vitulorum, agnorum, & arietum, quos obtulimus in Altari. Afferte ergò, inquit, vitulos, agnos, ac arietes, ut experiar, an hic ex eorum sit sanguine. Adduxerunt, ac mactârunt, & sanguis iste adhuc bullìit, at eorum sanguis non bullìit. Rem mihi pandite, ait, aut ego carnem vestram carminabo pectinibus ferreis. Dixerunt ergò ei, Sacerdos, & Propheta, & Iudex hic fuit, qui Israeli prædixit mala hæc omnia, quæ à te passi sumus, & nos in eum insurreximus, atque occidimus. Et ego eum, inquit, placabo. Rabbinos adduxit, atque eos super istum sanguinem occîdit, & tamen non est sedatus. Adduxit puerulos è Schola, atque eos super eum occîdit, & tamen non quievit. Adduxit juvenes Sacerdotes, atque eos super eum occîdit, & tamen non quievit. Ità ut occideret super eum nonaginta & quatuor millia, & tamen non quievit. Appropinquavit ipse, & dixit, O Zacharia, Zacharia!*

charia! optimos inter tuos perdidisti [id est, tui gratiâ occisi sunt] *num vis ut omnes perdam? Tunc quievit, & non bullivit amplius*, &c.

Veritatem historiæ narratoribus relinquimus: hoc, quod in causam nostram facit, observamus. Improbabile admodùm, imò impossibili proximum fuisse, audientes verba *Christi* [de *Zacharia* occiso inter Templum & Altare] ullum alium respicere potuisse, præter hunc ipsum; de quo, déque cujus sanguine tam celebris ac signalis memoria, & de ullo alio *Zacharia* in Templo occiso, altum silentium. Occurrit quidem apud *Josephum* mentio *Zachariæ* cujusdam, filii *Baruchi*, [quod & idem sonat cum *Barachia*] occisi in Templo, non longè ante Templi funus & rogum: quem hìc Propheticè à *Salvatore* notatum suspicantur nonnulli: at durius hoc, cùm *Christus* disertè de præterito loquatur [ἐφονεύσατε.] cúmque nullâ arte, nullis argumentis astrui possit, dignum fuisse istum *Zachariam*, qui in album Prophetarum & martyrum ascriberetur.

Duo sunt, quæ hìc interpretes torquent, quò minùs absque hæsitatione *Zachariæ* nostro subscribant. 1. Quòd ille longè ante dirutum primum Templum vixerit obìerítque, cùm aptius concinniúsque exemplum videretur, sumptum sub Templo secundo, eóque jam exspirante. 2. Quòd ille planè & notissimè fuerit filius *Jehoiadæ*, hic à *Christo* vocetur *Filius Barachiæ*.

Ad quæ nos post alios, hac in causa copiosè differentes, hæc tantùm regerimus.

1. *Christum* planè proposuisse exempla sumere è veteri Testamento; duóque sumsit, quæ, quantò magìs alieniora videntur à reatum generationi isti impingendo, eò nequitiam istius magìs gravant, reatum impingentes. Nam argueret *Judæus*, Quid *Judæis* cum sanguine *Abelis*, bis millenis ferè interfecti annis, ante natum, patrem *Judæorum*, *Abrahamum*? Quídque generationi huic cum sanguine *Zachariæ*, de quo expiatum est per diras plagas & strages quàmplurimis ab hinc seculis? Imò, inquit *Christus*, eò impietatis, nequitiæ, & reatûs processit hæc generatio, ut vel hæc remota reatûs exempla eò spectent, & sint reducenda. Cúmque vos nihil sanguinem *Abelis*, & sequentium martyrum vestrâ interesse existimetis & sanguinem *Zachariæ* signali olim pœnâ expiatum credatis: ego dico vobis, & hujus, & illius, atque omnium justorum, in intercapedine

capedine temporis interfectorum, ſanguinem ab hac generatione requirendum, 1. quia vos eum interficitis, qui pluris eſt quàm illi omnes. 2. quia vos per nequitiam veſtram iram Dei accendiſtis eò uſque, ut veterem Eccleſiam ſuam, Populum ſcilicet olim fœderatum, excidere adigatur. Cùm enim *Chriſtus* dicit, *Ut in vos veniat omnis juſtus ſanguis*, &c. non tàm de perſonali ipſorum reatu, quoad iſtum ſanguinem intelligendum eſt, quàm de reatu ob interfectum *Chriſtum*, in cujus occiſione reatus de cœde omnium iſtorum typorum ejus, ac membrorum, aliquatenùs includitur: déque horrendo generationis iſtius excidio eſt intelligendum, quo ſtupendius calamitoſiúſque non viderunt ſecula priora, nec ſubſequentia ſunt viſura, ante ipſum funus mundi. Ac ſi in iſtam generationem confluxiſſet omnis reatus effuſi ſanguinis juſtorum ab origine mundi.

1. Ad ſecundum, quod graviùs urget, quòd ſcilicet vocetur hic *Zacharias* filius *Barachiæ*, cùm fuerit *Joiadæ*, duo hæc obiter ex *Judæorum* ſcriptis obſervemus, priusquàm ad determinationem rei ipſius perveniatur.

1. Vocari ipſiſſimum iſtum *Zachariam*, de quo agimus, à *Chaldæo* Paraphraſta *Filium* ☜ *Iddo*. Sic enim ille in *Thren.* cap. iii. ver. 20. *Num congruum eſt, ut filiæ Iſraelis comedant fructum uteri ſui? &c. Reſpondit norma judicii, & dixit, Num etiam congruum eſt, ut occidant Sacerdotem, & Prophetam in Templo Domini; ſicut interfeciſtis Zachariam, filium Iddo, ſummum Sacerdotem, & Prophetam fidelem, in domo Sanctuarii, die Expiationis?* &c.

2. In locum *Eſaiæ* de *Zacharia*, filio *Jebarachiæ*, cap. viii. 2. hæc *Judæi. Bab. Maccoth*, fol. 24. 1. 2. *Scriptum eſt*, Teſtatus ſum ego mihi teſtes fideles, Uriam Sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ [ברכיהו ſcribitur abſque ' præfixo] *Eſaiæ.* viii. 1. *At quanam eſt ratio, cur Uriah conjungatur cum Zachariâ? Uriah enim fuit ſub Templo primo, Zachariah ſub ſecundo: aſt appendit Scriptura Prophetiam Zachariæ ad Prophetiam Uriæ. Ab Uria ſcribitur*, Veſtrî ergò Zion arabitur ut ager. A *Zacharia ſcribitur*, Adhuc ſedebunt ſenes, & grandævæ in plateis Hieroſolymæ. *Cùm adimpleatur Prophetia Uriæ, adimplebitur etiam Prophetia Zachariæ.* Ad eundem etiam ſenſum *Chaldæus* Paraphraſtes in locum: Et teſtatus ſum coram me teſtes fideles. *Maledicti-*

ones, quas allaturum me prædixi in Prophetia Uriæ Sacerdotis, ecce, advenerunt: omnes conſolationes pariter, quas prædixi me allaturum in Prophetia Zachariæ filii Iebarechiæ, ego adducam. Vide etiam ibi *R. R. Iarchium* & *Quimchium.*

Hæc duo ex his duobus obſervamus. 1. Si *Iddo* idem genti *Iudaicæ* non ſonuit cum *Ioiada,* quare eâdem libertate patrem *Zachariæ Barachiam* vocare non licuit *Salvatori,* quâ eum *Iddo* vocare licuit *Chaldæo* Paraphraſtæ? 2. Patet *Iudæos* verba iſta apud *Eſaiam* pro verbis Dei habere *Eſaiam* alloquentis, non pro verbis *Eſaiæ* rem geſtam hiſtoricè referentis. Quod quidem veriſſimè opinantur, atque rectiſſimè ſecundùm primi vocabuli וְאַעִידָה punctuationem: nam, cùm *Vau* conjunctio punctuetur cum *Ceva,* indicium certum eſt, verbum futuro tempore reddendum, non præterito, quod & bene obſervavit verſio interlinearis ſic reddens, *Et teſtificari faciam mihi teſtes fideles.* Nam, ſi præteritè conſtruendum eſſet, per *Camets* eſſet punctuandum, וְאָעִידָה *Et teſtificari feci.* Quo bene obſervato [quod aliquando à nobis non obſervatum fuiſſe fatemur] reſolvitur nodus ſub manibus [ut ego quidem arbitror] apertiſſimè: opinórque *Zachariam,* filium *Iebarechiæ,* apud *Eſaiam,* ipſiſſimum eundem eſſe cum *Zachariæ* noſtro, filio *Iehoiadæ:* ſenſúmque *Eſaiæ* huc aſſurgere. Agitur illìc, & capite præcedente de excidio futuro *Damaſci, Samariæ,* ac *Iudææ.* Vide cap. vii. 8, 17, 18, &c. & cap. viii. 4, 7, 8, &c. In hujus rei certitudinem duplici utitur Deus teſtimonio: primò, Prophetæ *Eſaiæ* præcipit, ut in grandi volumine, iterum iterúmque, etiam à capite ad calcem, ſcribat reſcribátque, *Le Maher ſhalal haſh baz: id eſt, Ad accelerandum ſpolium acceleravit prædam:* futurúmque eſt hoc volumen teſtimonium iis indubitatum, Deum prædictam deprædationem ac excidium certè adducturum, atque acceleraturum. *Atque ego inſuper,* inquit Deus, *duos μάρτυρας fideles mihi excitabo,* qui & verbo & ſanguine ſuo hoc ipſum teſtabuntur, & conſignabunt, *Uriam* ſcilicet *Sacerdotem,* qui olim eſt martyrio ob hoc ipſum coronandus, *Ier.* xxvi. 20, 23. & *Zachariam,* filium *Barachiæ,* vel *Iehoiadæ,* qui nuper eſt coronatus: hic primus martyr, ſub Templo primo; ille ultimus. Audi *Iudæe,* qui *Matthæum* hìc carpis, aſſerunt tui, per *Uriam Sacerdotem* iſtum *Uriam* intelligi, qui occiſus eſt à *Iehoiakimo*; veréque: aſſerimus & nos per *Zachariam* filium *Iebarechiæ Zachariam* filium *Iehoiadæ* intelligi;

Matthæ-

*Matthæúm*que, *Christúm*que, nihil hìc in nomine *Barachiæ* innovâsse, sed de patre martyris *Zachariæ* idem tantùm pronuntiâsse, quod ante ipsos pronuntiaverat ipse Deus apud *Esaiam*.

Objectio. At cùm à veteri Testamento exempla sumat *Salvator*, cur non potiùs dixit, *A sanguine Abelis usque ad sanguinem Uriæ Sacerdotis*? id est, ab initio mundi usque ad finem primi Templi?

Resp. 1. Horrendior erat cædes *Zachariæ*, quò ille ordine dignior, & quò locus, in quo cœsus, sacratior.

2. Universalior erat in illius cœde populi totius consensus.

3. Aptior & apertior erat ille typus *Christi*.

4. Memoratur solùm de *Abele* & *Zacharia* petitio vindictæ. *Ecce, vox sanguinis fratris tui clamat ad me*, Gen. iv. 10. Et *videat Dominus & requirat*, II *Paral.* xxiiii. 22.

5. In hoc summè convenit inter mortem *Christi* & *Zachariæ*: quòd, quamvìs non nisi quadraginta circiter annis post cœsum *Christum* perierit urbs & gens *Iudæorum*; vulnus tamen lethale sibi inflixerunt, vulnerando *Christum*. Ità etiam fuit in causa *Zachariæ*: stetit quidem *Hierosolyma* populúsque per plurimos post mortem *Zachariæ* annos, at exinde labens & vergens in ruinam. Consule rimatiùs historiam, ac palàm deprehendes, ex illo fluere, ac retrò sublapsa referri omnia *Iudæorum*, cùm *sanguis sanguinem attingeret*, Hos. iv. 2. [sanguis sacrificantis sanguinem sacrificii], cúmque *populus factus esset contentiosus* & rebellis *in Sacerdotem*, Hos. iv. 4.

VERS. 37. Ἰερουσαλὴμ ἡ ἀποκτείνουσα τοὺς προφήτας.

R. Sol. in *Esai.* i. 21. in ista verba, *At nunc homicidæ. Occiderunt*, inquit, *Uriam, occiderunt Zachariam.* Itémque in *Hierem.* ii. 30 in ista verba, *Gladius vester exedit Prophetas vestros. Zachariam*, inquit, *occidistis atque Esaiam.*

Bab. Ievamoth, fol. 49. 2. *Simeon ben Azzai dixit, Librum genealogicum reperi Hierosolymis, in quo scriptum erat, Manasseh occîdit Esaiam*, &c.

CAP. XXIIII.

VERS. 1. Ἐπιδεῖξαι αὐτῷ τὰς οἰκοδομὰς τοῦ ἱεροῦ.

B*Ab. Bava Bathra*, fol. 4. 1. & *Succah*, fol. 51. 2. *Quicunque non vidit Templum Herodis, nunquam vidit ædificium splendidum. Unde illud constructum? Dicit Rabba, E marmore albo, & viridi: at sunt qui dicunt, è marmore albo, viridi, & variegato. Labrum subsidere fecit & labrum ascendere* [id est, sinuosâ flexuositate ad undarum similitudinem exsurrexerunt parietes] *nam ità calci recipiendæ aptatos linere decreverat: at dixerunt ei Rabbini, Permitte, ut persistat, nam pulchrum conspectui est admodùm: nam est instar fluctuum maris, & Bava Ben Buta sic fecit*, &c. Vide illìc historiam de *Bava ben Buta* & *Herode* consulentibus de re-ædificatione Templi.

VERS. 2. Οὐ μὴ ἀφεθῇ ὧδε λίθος ἐπὶ λίθον, &c.

Huic dicto attestantur etiam fasti *Talmudici*. *Taanith*, cap. 4. hal. 6. *Nono mensis Ab aratro fossa est civitas Hierosolyma*: quod fusiùs *Maimonides*, *Taanith*, cap. 5. *Nono isto die mensis Ab, ob vindictas fatali, Turnus Rufus impius, è regionibus Edomæis, aratro Templum fodit, & circumjacentia, ut adimpleretur illud, quod dictum est, Sion ut ager arabitur*. Hunc *Turnum Rufum*, frequentissimæ apud Scriptores *Judaicos* memoriæ, atque etiam infamiæ, eundem esse absque controversia est cum *Terentio Rufo*, de quo *Josephus*, *De bell.* lib. 7. cap. 7. Τερέντιος Ῥοῦφος ἄρχων τῆς στρατιᾶς κατελέλειπτο· *Terentius Rufus dux militiæ à Tito relictus est*. Huic demandatam fuisse urbis & Templi demolitionem, non incongruum est suspicari, quod credunt *Judæi*. De ea re sic iterum *Josephus*, ubi suprà, cap. 1. Κελεύει Καῖσαρ ἤδη τὴν τε πόλιν ἅπασαν καὶ τὸν νεὼν κατασκάπτειν. Et paulò póst, Οὕτως ἐξωμόλισαν οἱ κατασκάπτοντες, ὡς μηδὲ πώποτε οἰκηθῆναι, πίστιν ἂν ἔτι παρασχεῖν τοῖς προελθοῦσιν.

℣. 3. Καὶ τί τὸ σημεῖον τῆς σῆς παρουσίας, καὶ τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος;

Quid sibi velint Apostoli in his verbis, clariùs elicitur ex sensu gentis animadverso de temporibus *Messiæ*: hunc paucis excerpamus è *Bab. Sanhedr.* fol. 92.

Traditio Scholæ Eliæ: Justi, quos suscitabit Sanctus Benedictus, à mor-

à mortuis, non redibunt iterum ad pulverem ſuum; ſicut dicitur, Quicunque relictus fuerit in Sione, & reſiduus in Hieroſolymis, Sanctus dicetur, omnis conſcriptus ad vitam. *Sicut Sanctus* [Deus] *vivit in æternum, ità & illi vivent in æternum. At verò ſi objicias, Quid facient juſti annis iſtis, quibus Sanctus Benedictus renovaturus eſt mundum ſuum; ſicut dicitur,* Et exaltabitur Deus ſolus iſto die? *Reſpondetur, Deum alas iis donaturum, ſicut aquilarum, & natabunt illi* [vel, *fluitabunt*] *ſuper faciem aquarum.*

Ubi ſic Gloſſa, *Juſti, quos ſuſcitabit Deus à mortuis in diebus Meſſiæ, cùm revixerint, non redibunt iterum in pulverem ſuum, nec in diebus Meſſiæ, nec in ſeculo conſecuturo: ſed caro eorum in ipſis eſt permanſura, uſque dum redeant & vivant* עתיד לבא *In æternitatem. Et per iſtos annos, quibus renovaturus eſt Deus mundum* [vel, *ſeculum*] *ſuum,* ויהיה עולם זה חרב אלף שנים *vaſtabitur mundus hic per millennium, ubinam tandem per iſtos annos erunt juſti iſti, cùm ſepeliendi non ſint in terra?* &c.

Huc adducas etiam Phraſiologiam iſtam uſitatiſſimam עולם הבא *Mundi futuri,* quâ *dies Meſſiæ* denotantur, de qua pauca diximus ad capitis duodecimi verſum triceſimum ſecundum.

Gloſſa in *Bab. Berac.* fol. 9. 2. אם זכה לעה"ר לראות גרגלתן של ישראל *Si obtinuerit, ut videat mundum futurum, id eſt, exaltationem Iſraelis,* in diebus ſcilicet *Meſſiæ.*

Tanchum, fol. 9. 2. *Dicit Sanctus Benedictus Deus Iſraeli, In hoc mundo vos timetis à tranſgreſſionibus, at in mundo futuro, quando non futurus eſt malus affectus, ſoliciti eritis ſolùm de bono vobis repoſito; ſicut dicitur,* Poſthæc convertentur filii Iſraelis, & quærent Dominum Deum ſuum, & Davidem Regem ſuum, &c. *Hoſ.* iii. 5. Quæ clarè tempora *Meſſiæ* reſpiciunt.

Idem fol. 77. 3. *Dicit Sanctus Benedictus Iſraeli, In hoc mundo quoniam nuntii mei* [miſſi ad explorandam terram] *fuerunt caro & ſanguis, de iis decretum eſt, de non intrando terram: at in mundo futuro ego mitto vobis nuntium meum ſubitò, & præparabit viam coram facie mea,* &c. *Mal.* iii. 1.

En doctrinam *Judaicam* de adventu Meſſiæ!

1. Futuram tunc temporis reſurrectionem juſtorum משיח עתיד

עתיד ליונין ישיני עפר *Messias resuscitabit dormientes in pulvere. Midr. Tillin*, fol. 42. 1.

2. Exin consecuturam mundi hujus desolationem, עולם זה הרב אלף שנים *Mundus hic vastabitur per millennium.* Non quòd opinati fuerint chaos, vel confusionem rerum omnium per millennium duraturam, sed desiturum hunc mundum, & novum introducendum per istud millennium.

3. Post quod עתיד לבא Æternitatem futuram.

Ex his facilè intelligimus quid sibi velit hæc quæstio Discipulorum.

1. Præsentem noscunt, agnoscúntque *Messiam*, & tamen adventûs ejus signa requirunt.

2. Non autem signa requirunt adventûs ejus [prout nos de eo credimus] ut judicet vivos omnes & mortuos, in rerum omnium consummatione; Sed

3. Quando ille adventurus in evidentia & demonstratione *Messiæ*, mortuos resuscitans, & mundum hunc finiens, atque introducens novum, prout in Scholis suis fuerunt de adventu ejus edocti.

VERS. 7. Ἐγερθήσεται γὰρ ἔθνος ἐπὶ ἔθνος, &c.

Præter seditiones *Judæorum* horrendis inter se stragibus cruentatas, aliásque intra Imperium *Romanum* ab exteris bellorum tempestates, memorabiles in primis sunt motus isti inter *Othonem* & *Vitellium*, atque inter *Vitellium* & *Vespasianum*, quibus non solùm concussum est totum Imperium, & *totius orbis mutatione fortuna Imperii transîit*, [verba sunt *Taciti*] sed & ipsa *Roma*; pugnæ scena facta & militum præda, & in cineres redactum ipsum *Capitolium*. Talia tormina passum est Imperium jam parturiens, ut nascatur *Vespasianus* ad regimen, flagellum ac vindicta Dei in *Judæos*.

VERS. 9. Τότε παραδώσουσιν ὑμᾶς εἰς θλῖψιν.

Huc spectant verba *Petri*, I. *Pet.* iv. 17. *Tempus est, ut incipiat Judicium à domo Dei*, id est, tempus à *Salvatore* prædictum jam adest, quo nos persecutioni tradendi, &c. Hæc persecutionem istam sævientem innuunt, quam excitârunt *Judæi* in ruinam jam vergentes, ubique ferè, in professores Evangelii. Undiquâque quidem eos hucusque

uſque preſſerant, quoad licuit, convitiis, rapinis, flagellis, verberibus, &c. quod teſtantur loca hæc, atque hujusmodi, I *Theſſ.* ii. 14, 15. *Hebr.* x. 33, &c. Aſt erat aliquid, quod obicem poneret, quò minùs ad ultimam ſævitiam ab iis adhuc eſſet proceſſum, II *Theſſ.* ii. 6. quod ego de *Claudio, Judæis* indignante, eósque frænante, *Act.* xviii. 2. intelligendum reor. Quo è medio ſublato, & *Nerone*, poſt primum quinquennium ſuum, omnia ſurſum deorſum ferri permittente, *Judæis*que extremum jam exſpirantibus, [extremáque ideo in iis ſpirante *Satanâ*, quòd breve eorum tempus eſſet] in cædem & ſanguinem ab iis eſt proruptum ſupra modum, atque in perſecutionem cruentiſſimam: quam miror ego in numero & fronte decem perſecutionum ab hiſtoricis Eccleſiaſticis non reponi. Vocatur hæc à *Petro* [qui & ipſe tandem in ea perîit] Πύρωσις πρὸς πειρασμόν, I. *Pet.* iiii. 12. à *Chriſto*, epiſtolas ad Eccleſias ſeptem dictante, θλίψις ἡμερῶν δέκα, *Apoc.* ii. 10. & Ὥρα τοῦ πειρασμοῦ μέλλουσα ἔρχεσθαι ἐπὶ τῆς οἰκουμένης ὅλης, *Apoc.* iii. 10. & hæc eſt *Paulo Revelatio iniqui illius*, II *Theſſ.* ii. 8. vivis coloribus, id eſt, cruentis, jam ſe, hoſtem *Chriſti*, *Antichriſtum* palàm declarantis. In iſta perſecutione perîit *Jacobus Hieroſolymis*, *Petrus* in *Babylonia*, *Antipas Pergami*, aliíque, ut probabile eſt, non paucis aliis in locis. Hinc *Apoc.* vi. 11, 12. [ubi ſub ſex ſigillis tractatur ſtatus gentis *Judaicæ*] occiduntur qui occidendi ſunt ob teſtimonium Evangelii ſub ſigillo quinto, atque illico ſub ſexto ſequitur ruina gentis.

VERS. 12. Εὐγήσεται ἡ ἀγάπη τῶν πολλῶν.

Horrendam iſtam Apoſtaſiam hæc innuunt, quæ undique in Eccleſiis *Judaicis*, quæ Evangelium receperant, graſſabatur. Vide II *Theſſ.* ii. 3, &c. *Gal.* iii. 2. II *Tim.* i. 15, &c.

VERS. 14. Καὶ κηρυχθήσεται τοῦτο τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ.

Hieroſolymæ non vaſtandæ erant ante perlatum per totum orbem Evangelium; ſic providente & proſpiciente Deo, ut Catechumeno priùs in doctrina *Chriſti* terrarum orbi inſigne tandem atque irrefragabile teſtimonium de *Chriſto* exhiberetur; cùm iram tam diram, & vindictam tam inauditam audirent omnes, quotquot hiſtoriam *Chriſti* perceperant, in urbem gentémque iſtam effuſam, à qua ille crucifixus.

VERS.

VERS. 15. Τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως.

Reſpiciunt hæc verba iſta *Danielis*, cap. ix. 27. ועל כנף שקוצים משומם Ego comma iſtud ſic reddiderim, *In medietate iſtius hebdomadæ* [ultimæ ſcilicet è ſeptuaginta] *ceſſare faciet ſacrificium & oblationem, etiam uſque dum ala* [vel, *exercitus*] *abominationum deſolatum fecerit*, &c. vel *Etiam per alam abominationum deſolantem.* כנף eſt *Exercitus*, *Eſaiæ* viii. 8. atque iſto ſenſu hæc reddit *Lucas*, cap. xxi. 20. *Cùm videritis ab exercitu circundari Hieruſalem*, &c.

Ὁ ἀναγινώσκων νοείτω.

Hæc non tam de obſcuritate Prophetiæ iſtius dicta ſunt, quàm de certitudine: quaſi dicat, Qui iſta legit apud *Danielem*, bene advertat, quòd, cùm exercitus principis venturi, exercitus ille abominationum, *Hieroſolymas* obſidione cinxerit, certiſſimum ei impendet excidium [nam dicit *Daniel*, *Populus principis venturi urbem vaſtabit, & ſanctum*, &c. verſu 26. *Et exercitus abominationum deſolatum faciet uſque dum conſummatio, & quod determinatur fundatur ſuper deſolatum.*] Nolite ergò vanâ ſpe voſmetipſos demulcere, aut de victoria futura, aut de receſſione iſtius exercitûs, ſed vobismet ipſis conſulite, & qui in *Judæa* eſt fugiat in inacceſſa atque impervia montium: non in urbem. Vide ut *Lucas* hunc ſenſum clarè eloquatur, capitis viceſimi primi verſu viceſimo.

VERS. 20. Ἵνα μὴ γένηται ἡ φυγὴ ὑμῶν χειμῶνος.

Clementiam aliquam Dei obſervat *R. Tanchuma* in excidio Templi primi, quòd æſtate occurrerer, non hyeme. Sic enim ille, fol. 57. 2. *Clementiam magnam exhibuit Deus Iſraeli, Nam decimâ menſis Tebeth oportuerat eos transmigrare, ſicut dicit*, Fili hominis, nota hunc diem; nam ipſiſſimo hoc die, &c. *Quid ergò fecit Dominus Sanctus Benedictus? Si transmigrent jam, inquit, hyeme, morientur omnes: tempus ergò iis elongavit, atque eos abduxit in æſtate.*

VERS. 22. Κολοβωθήσονται αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι.

Protraxit Deus tempora propter electos, ante urbis excidium; in excidio, propter eos contraxit. Confer cum verbis ſub manibus

2 *Pet.* iii. 9. Acer-

Acerbissimè certè electis istis erat, urbis incolis, qui cum obsessis omnimodam miseriam subierunt, ubi eousque à peste & gladio est sævitum, ut non essent qui sepelirent mortuos, & à fame, ut mater filium comederet [fortè uxor *Doeg ben Joseph*, de qua vide talem historiam, *Bab. Joma*, fol. 38. 2.] Acerbè etiam satis erat electis istis, qui in montana confugerant, domo pulsis, sub dio versantibus, & ad victum necessaria desiderantibus: his ergò consulit clemens eorum Deus & pater, tempora asperitatis abbrevians, & reprobos celeriori strage absumens, nè electis, protractâ nimium istorum plagâ, cum iis etiam esset nimis miseré.

Somniant *Rabbini* decurtatum à Deo fuisse diem istum, quo mortuus est Rex nequissimus *Achaz*, idque decem horis, nè luctu ille cohonestaretur. Vide *R. Sol.* in *Esai.* xxxviii.

VERS. 24. Δώσουσι σημεῖα μεγάλα καὶ τέρατα.

In æquilibrio ferè positum est, utrum præ superstitione in rebus religionis magis insaniverit gens *Judaica*, an præ superstitione in artibus curiosis.

I. Non erant inter mortales, qui plus insomniis studuerint, tribuerintve, quàm gens ista. Hinc,

1. Indicta sibiipsis non rarò jejunia eo fine, ut felicia adipiscerentur insomnia; vel ut insomnii alicujus assequerentur interpretationem; vel ut ejus omen malum averterent: quod observavimus ad capitis noni verium decimum quartum.

2. Hinc regulæ curiosæ satis de tractandis insomniis: quales hæ, atque hujusmodi, יצפה אדם לחלום טוב עד כ"ב שנה *Observet quis insomnium bonum usque ad annos viginti duos, exemplo Josephi. Beracoth*, fol. 14. 1. *Si cubitum eas lætabundus, frueris insomniis bonis*, &c. *Schabb.* fol. 30. 2. in Glossa.

3. Hinc aperta professio quàmplurimorum interpretandi insomnia, atque hæc inter artes nobiliores connumerata. Refert hæc senex quidam in *Bab. Beracoth*, fol. 55. 2. *Viginti quatuor insomniorum interpretes erant Hierosolymis: atque ego, cùm vice quâdam somniarem somnium, omnes adii, & quod interpretatus est hic, non interpretatus est ille; & tamen evenerunt omnia, quæ interpretati sunt omnes*, &c.

In *Hieroſ. Maaſar Sheni*, fol. 52.2,3. habes *R. Joſen ben Chelpatha*, *R. Iſmaelem ben R. Joſi*, *R. Lazarum*, & *R. Akibam* varia inſomnia interpretantes, plurimósque ad eos recurrentes, ut inſomniorum ſuorum interpretationem adipiſcantur. Imò vides illic diſcipulos *R. Lazari*, eo abſente, hanc artem practicantes. Vide plurimas illic de hac re hiſtorias, quas nimium eſſet hic exſcribere.

II. Vix erant in toto terrarum orbe, quibus amuleta, carmina, inſuſurrationes, exorciſmi, atque omnimodæ incantationes, in uſu magis eſſent & deliciis. Exempla hic proferre liceret innumera: nos ex meſſe manipulum.

Shabb. cap. 6. hal. 2. ולא בקמיע מזמן שאינו מן המומחה *Nè prodêat quis Sabbato amuletum geſtans, ſi non præſcriptum à medico probato,* [vel, *ſi non amuletum probatum.* Vide *Gemaram*]. Erant autem hæc amuleta vel radiculæ morbidorum collo appenſæ, vel, quod frequentius, ſchedulæ literis quibuſdam inſcriptæ [קמיע של כתב vel קמיע של עקרין] à quibus averti morbos & mala credebatur, aut ſanari: quas geſtare aliis diebus ſoliti Sabbato prohibebantur, niſi ſub cautione.

Hieroſ. ibid. fol. 8. 2. *Non recitant carmen ſuper vulnus Sabbato. Iſtud etiam quod recitatur ſupra mandragoram prohibetur* [Sabbato.] *Si dicat quis, Veni, & recita verſiculum hunc ſuper filium meum, aut impone ſuper eum librum* [Legis] *aut Phylacteria, ut dormiat, prohibetur*: Sabbato ſcilicet; aſt aliis diebus uſitatum.

אומרים היו שיר פגועין בירושלם *Recitare ſoliti ſunt Pſalmum occurſuum,* [id eſt, contra infauſtos occurſus] *Hieroſolymis. R. Judan dicit, Aliquando poſt occurſum talem, aliquando cùm adhuc non occurriſſet. Quiſnam autem eſt Pſalmus occurſuum? Pſalmus tertius,* Domine, ut multiplicati ſunt inimici mei, *etiam totus Pſalmus*: *& Pſalmus nonageſimus primus,* Qui habitat in ſecreto altiſſimi, *uſque ad verſum nonum.*

Ibid. col. 3. Agitur de plurimis rebus. quas geſtare ſolebant pro remediis contra quoſdam dolores: & de muſſitationibus quibuſdam ſuper vulnera: & videre illic eſt, ut, dum cavent ab incantationibus *Amorrhæorum*, ſuas habeant & tolerent.

Bab.

Bab. Joma, fol. 84. 1. Formam incantationis habes contra canem rabidum.

Id. *Avodah Zarah*, fol. 12. 2. Formam incantationis habes contra Dæmona cœcitatis.

Hieroſ. Shabb. fol. 13. 4. & *Avodah Zarah*, fol. 40. 4. Muſſitationes, vel incantationes, etiam in nomine *Jeſu*.

Vide etiam de ejuſmodi muſſitationibus *Bab. Sanhedr.* fol. 101. 1.

III. Adeò præſtigiis erant docti, faſcinationibus, & veneficiis, ut σημεῖα μεγάλα ederent, dira multa, mira plurima. Omittimus ea, quæ de *Simone Mago*, *Elyma*, filiis *Sceuæ*, &c. referunt Sacræ paginæ quæque de aliis Magis *Joſephus*; nos *Talmudica* exempla proferemus, pauca è plurimis.

De miris Magicis auditurus hæc duo mireris in veſtibulo, atque indè uſitatiſſimam in gente iſtarum artium malarum praxin conjecteris.

1. Quòd *ſeniorem in Synhedrium electum oporteret doctum eſſe artibus Aſtrologorum, Præſtigiatorum, Divinantium, Veneficorum*; &c. *ità ut de iis reos judicare poſſet.* *Maimon. Sanhedr.* cap. 2.

2. Quòd camera quædam in ipſo Templo à Mago condita fuerit, referunt Magiſtri. Gloſſa in *Middoth*, cap. 5. hal. 3. *Camera Happarvæ condita fuit à Mago quodam, cui nomen Parvah, arte Magicâ.*

Hieroſ. Sanhedr. fol. 18. 3. *Viginti quatuor è Schola Rabbi, annum intercalantes Lyddæ, ab oculo malo omnes perîerunt*: id eſt, veneficiis interfecti ſunt.

Ibid. fol. 25. 4. *R. Joſhua* Magum Magicâ ſuperat, & ſubmergit in mare.

Bab. Taanith, fol. 24. varia referuntur miracula à *Rabbinis* edita.

Hieroſ. Sanhedr. fol. 23. 3. *Bab. Sanhedr.* fol. 44. 2. in Gloſſa refertur hiſtoria de octoginta fœminis veneficis *Aſcalone* uno die ſuſpenſis à *Simeoni ben Shetah*: *& fœminæ Iſraeliticæ*, inquit Gloſſa, *plurimùm proruperant ad practicanda veneficia*: quòd adduximus anteà.

De plurimis *Rabbinis* memoratur, quod eſſent מלומדים בנסים *periti in edendis miraculis*; ſic *Abba Chelchia*, & *Chanin*, in *Jn-*

chaſ. fol. 20. 1. & *R. Chanina ben Duſa*, id. fol. 56. 2. de quo *R. Chanina* infinitæ ferè occurſant hiſtoriæ, de editis ab eo miraculis, quæ Magicam ſapiunt ſat ſupérque. Vide *Bab. Berac.* fol. 33, & 34.

Et, nè nimii in exemplis ſimus, quid, quæſo, dicendum de impetratis à *Rabbinis* jejunantibus ad placitum ferè pluviis: de quibus hiſtoriæ quàmplurimæ in codice *Taanith.* Quid de *Bath kol*, frequentiſſimè *Rabbinis* applaudente è cœlo? de qua re diximus anteá. Quid de morte aut plagis huic & illi à *Rabbinis* prædictis? quæ & ſecundùm quod prædictum eſt evenerunt. Ego artem Magicam in plerisque horum potius ſuſpicor, quàm mendacitatem in omnibus.

IV. Proruperunt, atque in publicum prodierunt Pſeudo-Chriſti cum præſtigiis ſuis, eò frequentiores atque impudentiores, quò magis ad ruinam nutaret urbs populúsque, eò quòd *Meſſiam* manifeſtandum gens opinaretur ante excidium urbis, iſtíque hiſce ſignis ſinguli ſe *Meſſiam* eſſe ſimulabant. Ex verbis *Eſaiæ*, cap. lxvi. 7. *Antéque veniret dolor ejus, peperit maſculum*, à Doctoribus concluſum eſt, *Meſſiam ante urbis excidium manifeſtandum.* Sic *Chaldæus* Paraphraſtes in locum. *Salvabitur ante anguſtias extremas, & Rex ejus revelabitur ante dolores parturientis.* Nota & illud in *Bab. Joma*, fol. 10. 1. *Non adveniet filius Davidis uſque dum dilataverit ſe Imperium iniquum* [Romanorum] *in totum mundum, novem menſibus; ſicut dicitur*, Eos ergò tradet, uſque dum pariens pepererit, *Mic.* v. 3.

VERS. 27. Ὥσπερ γὰρ ἡ ἀστραπὴ, &c.

Ad commatis hujus ac ſequentium ſenſum clariùs eruendum, ac percipiendum, duo iſta ſunt obſervanda; de quibus monuimus anté.

1. Excidium *Hieroſolymarum* à Sacra pagina frequentiſſimè exprimi, ac ſi excidium eſſet totius orbis. Deut. xxxii. 22. *Accenditur ignis in ira mea, qui ad Orcum uſque infimum ardebit* [ſermo eſt de ira Dei, gentem iſtam exedente. Vide verſus 20, 21.] *terrámque cum incremento ſuo devorabit, ac fundamenta montium accendet.* Hierem. iv. 23. *Aſpexi terram; &, ecce, inanis ea, & vacua: cœlúmque; &, ecce, lux nulla*, &c. Et ſermo illìc etiam de perditione iſtius gentis. Eſaiæ lxv. 17. *Ecce, ego creo novos cœlos, novámque*

novámque terram; *nam priores non memorabuntur*, &c. Et plura ejuſmodi apud Prophetas. In hunc ſenſum *Chriſtus* hoc in loco: *Petrus*, epiſtolâ ſecundâ, capite tertio: *Apocalyptes*, capite ſexto: *Paulus*, 2 *Cor.* v. 17. &c.

2. Vindictam *Chriſti* in gentem iſtam nequiſſimam vocari *Adventum Chriſti in gloria*, & *Adventum in nubibus*. *Dan.* vii. Vocari etiam *Diem Domini*. Vide *Pſal.* l. *Mal.* iii. 1, 2. &c. *Joel*, ii. 31. *Matth.* xvi. 28. *Apoc.* i. 7. &c. Vide quæ diximus ad cap. xii. 20. & xix. 28.

Illud ergò, quod verba ſub manibus ſibi volunt, hoc eſt. Dum *Chriſtum* hinc illinc conſpiciendum mentientur: *Ecce, is in deſerto*, dicet hic; *Ecce, is in conclavibus*, dicet ille: ſubitaneâ, atque omnino inexſpectatâ, fulguris inſtar, aderit ille cum vindicta, & non inventus reperietur: & quem quærunt invenient, ſed non qualem quærunt.

VERS. 28. Ὅπου γὰρ ἐὰν ᾖ τὸ πτῶμα, &c.

Miror quenquam hæc verba de piis ad *Chriſtum* confugientibus intelligere poſſe, cùm de re longe alia ſit hic diſſertatum: cum præcedentibus ſic connectuntur. Subitanea vindicta *Chriſtum* revelabit; nam, cùm urbem gentémque internecioni maturam, cadaveris inſtar projecti, tradiderit Deus; advolabunt illico milites *Romani*, aquilarum inſtar, cum aquilis ſuis, atque eam dilacerabunt, & exedent. Atque huc etiam quadrat reſponſio *Chriſti*, Luc. xvii. ult. cùm poſt eadem dicta, quæ dicuntur in hoc capite, quæreretur, *Ubinam hæc, Domine?* reſpondit ille, *Ubicunque eſt cadaver*, &c. tacitè hoc innuens, *Hieroſolymas*, gentémque impiam, quam per totum caput depinxiſſet, cadaver illud futurum, quò convolaturæ eſſent aquilæ avidæ & voraces, illud comeſturæ.

VERS. 29. Ὁ ἥλιος σκοτισθήσεται, &c.

Id eſt, Peribit cœlum *Judaicum*, atque obſcurabuntur Sol & Luna gloriæ ejus ac felicitatis, atque in nihilum redigentur: Sol Eccleſiæ religio, Luna reipublicæ regimen, & ſtellæ utriuſque judices ac doctores. Confer *Eſai.* xiii. 10. *Ezek.* xxxii. 7, 8, &c.

VERS. 30. Καὶ τότε φανήσεται τὸ σημεῖον τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου.

Tunc ſpecimen ſui edet filius hominis, quem anteà noluerunt cognoſcere: ſpecimen quidem, non in figura aliqua viſibili, ſed vindicta & judicio adeò viſibili; ut eum non poſſint non agnoſcere vindicem omnes tribus terræ. Noſcere eum noluerunt *Judæi*; jam nolentes volentes cognoſcent, ut *Eſai*. xxvi. 11. Multoties ab eo ſignum quæſiverunt; jam apparebit ſignum, [verum eum eſſe *Meſſiam*, quem illi ſpreverunt, deriſerunt, crucifixerunt] ſignalis ſcilicet ejus vindicta, & furor, qualem non ſenſit gens ulla à jactis uſq; terræ fundamentis.

VERS. 31. Καὶ ἀποστελεῖ τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ, &c.

Cùm in cineres redacta fuerit *Hieroſolyma*, & gens iſta impia exciſa & rejecta, tunc emittet filius hominis Miniſtros ſuos cum tuba Evangelica, & congregabunt illi Electos inter Gentes, à quatuor cardinibus cœli: ità ut cariturus non ſit Deus Eccleſiâ, quamvis rejectus & abdicatus ſit vetus iſte ejus populus; ſed, excisâ iſtâ *Judaicâ*, convocabitur nova, *Gentilitia*.

VERS. 34. Οὐ μὴ παρέλθῃ ἡ γενεὰ αὕτη, &c.

Hinc ſatis patet, verſus præcedentes non de extremo judicio intelligendos; ſed, ut diximus, de excidio *Hieroſolymitano*.

Erant ex diſcipulis, [nominatim *Joannes*,] qui dira iſta viderent, *Matth.* xvi. ult. confer *Joan.* xxi. 22. Erantque è *Rabbinis* jam in vivis, cùm *Chriſtus* hæc loqueretur, qui eouſque vixerunt, dum fatalia hæc occurrerent, atque urbs periret. viz. *Rabban Simeon*, qui periit cum urbe, *Rabban Jochanan ben Zaccai*, qui ſupervixit, *R. Zadoh*, *R. Iſmael*, aliíque.

VERS. 36. Οὐδεὶς οἶδεν, οὐδὲ οἱ ἄγγελοι.

De ſumuntur hæc à *Deut.* xxxii. 34.

VERS. 37. Ὥσπερ δὲ αἱ ἡμέραι τοῦ Νῶε, &c.

Sic parallelas ponit *Petrus*, ruinam veteris mundi, & ruinam *Hieroſolymæ*. I *Pet.* iii. 19, 20, 21. atque ex tali collatione meliùs intelligentur ejus verba. Nam, 1. vide, ut reſultet ille à mentione de

de morte *Chriſti* ad tempora ante diluvium verſibus decimo octavo & decimo nono, tempora omnia intercurrentia tranſiliens. Numnam non ſpiritus *Chriſti* prædicavit per omnia tempora ſub Lege? Eccur igitur exemplum ille ſumit tantùm à temporibus ante diluvium? Ut rem ſcilicet cauſæ ſuæ adaptet, parémque oſtendat præſentem *Judæorum* ſtatum temporibus *Noe*, parem ruinam. Sic etiam epiſtolâ ſecundâ, cap. iii. ver. 6, 7.

Sanhedr. cap. 10. hal. 2. דור המבול אין להם חלק לע"הב *Ætati*, vel *generationi, diluvii non eſt portio in mundo futuro:* ſic *Petrus in carcere incluſos* eos dicit; atq; hìc *Salvator ſecuritate ſepultos* eos innuit, & ſic à diluvio deprehenſos.

CAP. XXV.

VERS. 1. Δέκα παρθένοις.

NUmero denario gaviſa plurimùm eſt gens *Judaica*, et in ſacris, et in civilibus. אין עירה פחותה עשרה *Non conſtitit Synagoga, niſi è decem ad minimum:* quod obſervavimus anteà, cùm agerimus de Synagogis. Hoc etiam apud eos obtinuit אין שורה פחותה מעשרה *Claſſis*, vel *corona, hominum non conſtat, niſi è decem ad minimum.* Gloſſa in *Bab. Berac.* fol. 16. 2. Agitur in textu de cœtu ſolante lugentes: quam rem Gloſſa ſic deſcribit, *Cùm reverſum eſſet à ſepeliendo mortuum* היו עושין שוריות סביב האבל *ſtiterunt ſe ſeriatim circùm lugentes, atque eos ſolati ſunt: jam verò ſeries*, vel *corona, talis non conſtitit, niſi ad minimum è decem.*

Ad numerum hunc receptiſſimum videtur hìc alludi: non, quòd non numerum iſtum virginum in nuptiis celebrioribus excederent frequentiſſimè, ſed quòd rarò de eo imminuerent.

Εἰς ἀπάντησιν τοῦ νυμφίου.

Adeſſe ad nuptias habebatur inter opera miſericordiæ.

Rambam

Rambam in *Peah*, fol. 1. 1. גמילות חסדים *Exhibitio miſericordiæ duo ſignificat.* 1. *Ut adjuvet quis Iſraelitam opibus ſuis, Eleemoſynâ ſcilicet & redemptione captivorum.* 2. *Ut eum adjuvet in perſona:* viz. *ſolando lugentes, comitando ad ſepulturam mortuos,* והבא לחופת חתנים *& ſe exhibendo præſentem ad thalamos ſponſorum.* Præſentia virginum pompam etiam rei ac feſtivitatem ornavit.

Nuptiæ *Rabbinis* dicuntur נישואין *Receptiones*, et הכנסת כלה *Introductio ſponſæ*, in domum ſcilicet mariti. Non erant nuptiæ abſque prævia deſponſatione; at poſt deſponſationem non licuit ſponſo coire cum deſponſata in domo ſoceri ſui, ante deductam eam in propriam domum. Erat introductio iſta conſummatio matrimonii. Supponit hæc parabola ſic petitam ſponſam in domum mariti, paratásque virgines in ejus occurſum, quæ tamen, vel petita è longinquo, vel morâ aliquâ intercurrente detenta, non adducta eſt ante mediam noctem.

Λαβοῦσαι τὰς λαμπάδας.

Deſcribitur lampadum forma à *Rambam*, & *R. Solomone* in *Kelim*, cap. 2. hal. 8. quos vide. A *R. Solomone* hæc etiam adducuntur, *Mos eſt in terra Iſmaelitica, ut ſponſam ducant à domo patris ſui in domum ſponſi, ante introductionem in thalamum; ferántque ante eam circiter decem baculos ligneos, in uniuscujusque ſummitate vaſculum inſtar ſcutellæ habentes, in quo eſt ſegmentum panni cum oleo & pice. Ex his accenſis facem ei præferunt.* Eadem habet *Aruch* in לפר.

Vers. 2. Πέντε φρόνιμοι. Πέντε μωραί.

Parabolam non admodùm abſimilem adducit *Kimchius* in *Eſai.* lxv. 13, 14. *Dicit Rabban Jochanan ben Zaccai*, inquit ille, *Res hæc ſimilis eſt Regi, qui invitavit ſervos ſuos, at non præfixit iis tempus ſtatutum* פקחים שבהם *Illi ex iis, qui ſapientes erant, ſeſe ornârunt ac ſederunt ad portam palatii,* טפשים שבהם *Illi ex iis, qui ſtolidi erant, abîerunt ad opera ſua. Rex ſubitò requiſivit ſervos ſuos: iſti introîerunt ornati, hi ſordeſcentes. Rex gaviſus eſt de ſapientibus, iratus eſt ſtolidis.*

Vers.

VERS. 5. Ἐνύσταξαν πᾶσαι, καὶ ἐκάθευδον.

נתנמנמו זנרדמו: vel נתנמנמו וישנו. *Peſachin*, cap. 10 hal. 8. ישנו מקצתן יאכלו כולן לא יאכלו *Si dormiunt quidam* [dum cœnam *Paſchalem* celebrant] *comedant; ſi omnes, non comedant. R. Joſi dicit* נתנמנמו יאכלו *Dormitant? comedant.* נרדמו לא יאכלו. *Dormiunt? nè comedant.* Quærunt *Gemariſtæ*, היכי דמי מתנמנם *Unde reputandus eſt ut dormitans? R. Iſhi dicit, Dormit & non dormit, vigilat & non vigilat. Si voces, reſpondet;* לא ידע לאהדורי סברא *at non novit ad ſenſum reſpondere.* Gloſſa, *Si alloquaris, reſpondebit* הין או לא *Imò, aut Non; at ſi de re quæras, de qua opus eſt cogitatione; exempli gratiâ, ubinam repoſitum eſt tale vaſculum? non poteſt reſpondere.*

VERS. 15. Καὶ ᾧ μὲν ἔδωκε πέντε τάλαντα, &c.

Similem, & ferè eandem, parabolam habes *Luc.* xix. at quidem non ipſiſſimam eandem: nam [præterquam quòd illìc mentio eſt de minis datis, hìc de talentis] prolata eſt iſta parabola à *Chriſto* aſcendente à *Jerichunte* ad *Hieroſolymam*, ante reſuſcitatum *Lazarum*; hæc ab eo ſedente in monte *Oliveti*, intra triduum ante *Paſcha*. Iſta hâc ratione, *quia erat ille prope Hieroſolymam, & quòd putarent fore, ut regnum Dei illico appareret*, Luc. xix. 11. atque ut oſtenderetur, *Hieroſolymam* non ità hinc diu ad examen adducendam de omnibus in eam collatis à Deo beneficiis & privilegiis: (vide verſum decimum quartum, & viceſimum ſeptimum:) hæc verò, ut admoneantur omnes ad vigilantiam, & ut omni curâ provideant de reddenda ratione in extremo judicio.

VERS. 27. Ἔδει σε βαλεῖν τὸ ἀργύριόν μου τοῖς τραπεζίταις, &c.

Talenta ſervis non tradidit dominus eo fine, ut è menſa fœnoraria lucrum & reditum reciperent; ſed ut per mercaturam, & honeſtam negotiationem, quæſtum facerent. Servo ſolùm ignavo reſponſionem hanc rependit, replicationi ſuæ accomodatam, Tu avarum, rapacem, ſordidum me reputas; quare ergò, modo his moribus congruenti, fœnore ſcilicet ac uſurâ, non uſus es [ſi honeſtâ negotiatione uti nolles] ut aliquod incrementum pecuniæ meæ miniſtrares mihi, potiùs quàm omnino nullum? Fœnoratio-

nem his verbis non tam approbat dominus, quàm ſtultitiam & deſidiam ſervi exprobrat.

Τραπεζίτης] שולחני apud *Talmudicos* uſitatiſſimé. *Aruch*, שולחני הוא מכר מטבעות *Menſarius* [Trapezita] *vendit nummos, & quoniam coram eo ſemper eſt menſa, ſuper quam emit & vendit, vocatur ergò Menſarius.*

Ejuſdem officinæ erat חנווני *Tabernarius:* de quo etiam mentio apud eoſdem æquè frequens. Fœnorariam negotiationem exercuit ille in fructibus vendendis aut commutandis, ſicut alter in nummis: nam in his duobus præcipuè conſtitit fœnus: de quo vide, ſi lubet, *Bava Mezia*, cap. 5.

CAP. XXVI.

VERS. 3. Συνήχθησαν εἰς τὴν αὐλὴν Ἀρχιερέως.

De præſenti Autoritate Synhedrii, ejúsq; ſede.

MEmorabilia ſunt iſta ominum prodigia, quæ memorantur à *Talmudicis*, quadraginta annis occurrentia ante excidium Templi.

Hieroſ. Ioma, fol. 43. 3. *Traditio. Quadraginta annis ante vaſtatum Templum, Lucerna Occidentalis* [media ſcilicet in candelabro ſacro] *extincta eſt. Et lingula coccinea* [cornibus hirci emiſſarii, vel foribus Templi, affixa] *in rubedine ſua permanſit. Et ſors Domini* (pro hirco offerendo die Expiationis) *prodiit à ſiniſtra. Atque oſtia Templi, obſerata veſperi, inventa ſunt aperta manè. Dixit ergò Rabban Iochanan ben Zaccai, O Templum, quare nos perturbas? fatum tuum novimus, te nempe eſſe excidendum: nam dicitur, Aperi, ô Lebanon, portas tuas, ut exedat flamma cedros tuas.*

Idem, *Sanhedr.* fol. 24. 2. *Traditio. Quadraginta annis ante vaſtatum Templum, ablata ſunt judicia capitalia ab Iſraele.*

Bab. Avodah Zarah, fol. 8. 2. *Quadraginta annis ante vaſtatum Templum, migravit Synhedrium, & conſedit in Tabernis.*

Cum Traditionibus hiſce ultimis duabus nobis res eſt.

Quod dicitur à *Iudæis, Ioann.* xviii. 31. Ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα, idem ſonat cum Traditione ſub manibus, *Ablata ſunt judicia de capite, ab Iſraele.* Quando primùm ablata? *Quadraginta annis*

nis ante excidium Templi, inquiunt *Talmudici*: certè, ante mortem *Chriſti*; id innuunt verba *Iudæorum*. Sed quomoda ablata? Recipitur vulgò ferè apud omnes, *Romanos* eouſq; Synhedrium autoritate ſuâ deveſtîiſſe, ut per eos non liceret ei quenquam capite plectere, aut morte mulctare, atque hoc perſuaſum eſt ex verbis iſtis *Iudæorum*, Ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα.

At verò, ſi hoc verum eſt, 1. Quid ſibi volunt verba iſta *Salvatoris*, cap. x. 17. Παραδώσουσιν ὑμᾶς εἰς συνέδρια? 2. Unde judicium capitale de *Stephano*? 3. Quare tam parùm auſus eſt ſe Synhedrio credere *Paulus*, ut *Cæſarem* appellaret potiùs?

Rem optimè eloquuntur *Talmudici*. *Quid ſibi vult*, inquiunt, *Traditio iſta de migratione Synhedrii quadraginta annis ante ruinã Templi? Rabh Iſaac bar Abdimi dicit, Hoc vult nempe, Quòd non judicârunt de mulctis.* Et paulò pòſt, *At R. Nachman bar Iſaac dicit, Nè dicas non judicâſſe de mulctis* (vel *damnis*,) *ſed non judicâſſe de capitalibus. Ratióq; hæc fuit* כיון דרחוו רנפ"ש להו רוצחין ולא יכלי למירן *Eò quòd viderent homicidas adeò creſcere, ut non poſſent eos judicare. Dixerunt ergò, Convenit, ut nos è loco in locum migremus, ut ſic reatum evadamus.* Hoc eſt, Creſcente latronum atque homicidarum eouſque numero ac audaciâ, ut præ iis langueret autoritas Synhedrii, & nec poſſet, nec auderet eos capite plectere: præſtat, inquiunt, ut nos hinc è *conclavi Gazith* migremus, ubi ex ipſa loci qualitate tenemur, ad hos judicandos, quàm ut hìc ſedentes, ac de iis non judicantes, nos ipſi fiamus rei. Hinc eſt quòd nec in ſummo, nec in inferioribus Synhedriis, capite in quemquam animadverſum eſt. (*Nam non judicârunt de capitalibus in Synhedriis inferioribus in aliqua civitate, niſi dum ſederet Synhedrium magnum in conclavi Gazith*, Gloſſa.) Non extincta eſt autoritas eorum per *Romanos*, ſed à ſuis potiùs conſopita. Oſcitantia Synhedrii perdidit autoritatem Synhedrii. Audi juſtum hac in re ejus opprobrium.

Maccoth, cap. 1. hal. 17. *Synhedrium, à quo vel unus morte mulctatur intra ſeptennium, vocatur Deſtructorium. R. Lazar ben Azariæ dixit, A quo vel unus intra ſeptuaginta annos. R. Tarphon, & R. Akiba dixerunt, Si nos fuiſſemus in Synhedrio* (cùm judicaret de capitalibus) *non eſſet unquam ab eo quiſquam interfectus. R. Simeon ben Gamaliel dixit, Hi auxerunt numerum homicidarum in Iſraele.* Veriſſimè quidem, ô *Simeon!* Nam hinc enervata eſt

poteſtas Synhedrii in capitalibus, quòd illi aut merâ oſcitantiâ, aut ſtolidâ lenitate, aut, quod res maximè fuit, ſtolidiſſimâ *Iſraelitæ* quâ *Iſraelitæ* æſtimatione, eouſque de cæde & ſanguine, aliiſque flagitiis, animadvertere néglexerunt, dum adeò intractabilis evaderet nequitia, ut præ ea tremeret autoritas Synhedrii non auſa interficere interfectores. Hoc ſenſu intelligendum eſt eorum dictum, Ἡμῶν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα: non abreptâ ab iis per *Romanos* judicandi autoritate, ſed per ſeipſos amiſſâ, & per ſuos ſpretâ.

At non ità amiſſa tamen, quò minùs eam aliquando exererent, cùm illud ſcilicet tutò, & ſine periculo fieri poſſe obſervarent. *Dat veniam corvis*, &c. Sicarios, latrones, ſceleratos vi armatos, non auſi ſunt in judicium vocare, quia ſibi à funeſta iſta hominum ſocietate metuerunt: aſt pauperiores, atque *Chriſtianos*, à quibus nihil iſtiusmodi periculi, judicare, damnare, torquere, morte mulctare non horruerunt, non refugerunt omnino. Expeditiſſimè ipſum *Salvatorem* condemnâſſent autoritate ſuâ, ac mulctâſſent morte, ſi non à turba ſibi metuiſſent, & ſi de morte ejus non aliter determinâſſet providentia divina.

Liceat obiter & illud addere, quod ſequitur ad locum ſuprà allegatum in *Hieroſ. Sanhedr.* fol. 24. 1. בימי שמעון בן יוחי ניטלו דיני ממונות מישראל *In diebus Simeonis ben Jochai ablata ſunt judicia de rebus pecuniariis ab Iſraële.* In fol. 18. 1. ejuſdem Tractatûs, dicitur hoc fuiſſe *in diebus Simeonis ben Shetah* [longè ante natum *Chriſtum.*] Sed illud errore librariorum.

Jam verò, ſi ex tali cauſa perîerunt à Synhedriis *Judaicis*, judicia de rebus pecuniariis, quali perîerant judicia de capitalibus neceſſe eſt, ut dicatur eò creviſſe fraudum, ac deceptionum, ac mutuarum injuriarum in iſto populo frequentiam atque audaciam, ut ſupra omnem animadverſionem evaderent incorrigibiles. Aliam rationem allegant *Gemariſtæ Babylonici*, ſed num non in gentis ſuæ favorem, non eſt hìc locus diſquirendi. Vide *Avodah Zarah*, ubi anté.

Ut ſententiam noſtram, de non ablata per *Romanos* autoritate Synhedrii in capitalibus, ulteriùs adhuc ſtabiliamus, duas hiſtorias adducamus, rei, quam aſſerimus, exempla clariſſima. Una occurrit in *Hieroſ. Sanhedr.* fol. 24. 2. *R. Lazar, filius R. Zadok, dixit, Cùm parvulus eſſem, inſidens humeris patris, vidi filium Sacerdo-*

tis

tis, quæ mœchata fuerat, faſciculis è virgultis circumſeptam, & combuſtam. Judicante eam, abſque omni dubio, ac damnante Synhedrio, ídque cùm jam ſub jugo *Romano* quàmplurimos annos gemuiſſet *Judæa:* nam iſte *R. Lazar* vidit excidium urbis.

Alteram habes in eodem Tractatu, fol. 25. 4. ubi agitur de modo expiſcandi teſtimonium in hæreticum & ſeductorem populi. *Statuunt ei,* inquiunt, *in inſidiis duos teſtes in domo interiori, illúmq; in exteriori collocant, accenſâ juxta eum lucernâ, ut eum videant audiántque. Sic actum eſt cum Ben Sutda in Lydda. Collocârunt eì in inſidiis duos Diſcipulos Sapientum, eúmque adduxèrunt ad Synhedrium, & lapidârunt.*

Aſſerunt ipſi *Judæi* ore aperto, hoc de eo actum fuiſſe diebus *R. Akibæ,* longè poſt exciſam urbem, & tamen tunc temporis, ut vides, remanſit Synhedrio autoritas judicandi in capitalibus. Per *Romanos* licuit, ſi contra nefarios auderent.

Sed de ejus autoritate hæc hactenus. Agamus jam de præſenti ejus ſede.

Bab. Roſh haſhanah, fol. 31. 1. *Migravit Synhedrium à conclavi Gazith ad Tabernas: à Tabernis in Hieroſolymam: ab Hieroſolyma ad Jafnen: à Jafne ad Oſham: ab Oſha ad Shepharaamam: à Shepharaama ad Beth Shaaraim: à Beth Shaaraim ad Tſipporin: à Tſippori ad Tiberiada,* &c.

Excuſſum conſeſſum magnum à ſede ſua, *conclavi Gazith,* conjicimus ſeſquianno, aut circiter, ante mortem *Chriſti:* at num in Tabernis [loco in atrio Gentium] an in urbe tunc temporis ſederit, cùm de capite *Chriſti* ageretur, non clarè patet; cùm non pateat apud quoſvis autores, quamdiu ſederit vel hìc vel illíc. In Templo eos reſidentes arguere videntur ea, quæ dicuntur cap. xxvii. 4, 5, 6. In urbe, ea quæ ſub manibus. Forſan utrobique: nam non inſolitum eis erat eò redire, pro re nata, unde migraverant, excepto quòd ad *conclave Gazith* redìerunt nunquam. Unde Gloſſa in locum noviſſimè citatum, *In Jafne ſederunt in diebus Rabban Iochananis; in Oſha in diebus Rabban Gamalielis: nam redìerunt ab Oſha in Iafnen,* &c. Sic amotum ab *Hieroſolymis* in *Iafnen* Synhedrium ante excidium urbis, eò ad feſta rediit, ſedítque ut anteà. Hinc ſiſtitur *Paulus* ante Synhedrium *Hieroſolymis:* cùm *Iafne* tunc temporis propria ejus foret ſedes. Atque hinc captus eſt periítque in obſidione urbis *Rabban Simeon,* Synhedrii Præſes, & tantùm non pe-

rîit *Rabban Iochanan* ejus Vice-præfectus, ambo ad urbem à *Iafne* cum conſeſſu adacti ob obſervationem *Paſchatis*.

An aula Pontificis ordinarium eſſet Synhedrii receptaculum, an de præſenti tantùm, hìc non quærimus. Accuratius dignîúsque examen eſt de conſeſſu ipſo, & de Præfecto primas tenente in judicando. Præſes Synhedrii nunc temporis erat *Rabban Gamaliel*, [magiſter *Pauli*] & Vice-præfectus *Rabban Simeon*, ejus filius, aut *Rabban Iochanan ben Zaccai*, [de qua re jam non diſputamus.] Unde ergò ſummo Pontifici & hìc & aliàs primatus, atque in judicando primus calculus? Sic enim in cauſa *Stephani* dux examinis eſt ſummus Pontifex, *Act.* vii. 1. itémque in cauſa *Pauli*, *Actor.* xxiii. 2. Vide etiam *Act.* ix. 1. Num Sacerdotibus proprium Synhedrium & tribunal? Aut in ſummo Synhedrio num iis licitum de capite decernere, abſente Præfecto? De longa quæſtione, eâque ſatìs perplexâ, nos hæc pauca.

I. Fatemur quidem Sacerdotibus fuiſſe proprium conſeſſum & concilium: negantes tamen duplex fuiſſe Synhedrium, pro rerum Eccleſiaſticarum ac Politicarum diverſitate; quod aſſerunt quidam.

1. Occurrit frequens memoria *Conclavis Conſiliariorum* לשכת בולווטי juxta atrium, quod & לשכת פרהדרין vocatur: de quo ſic *Bab. Joma*, fol. 8. *Traditio R. Judæ. Quid? Num fuit Conclave* פרהדרין? *Nonne Conclave* בולווטי Βελεύτ? *Primò vocabatur Conclave* Βελεύτ לשכת בולווטי: *at cùm pecuniâ Pontificatus emeretur, annuatimque mutaretur;* בזהדרון הללו *ſicut annuatim mutantur* Πεζέδροι *Regii, ideo exinde vocatum eſt* לשכת פרהדרין *Conclave* Πεζέδρων. Audi hìc Gloſſatorem. *Impii fuerunt Pontifices, atque annum totum non adimplerunt: iſque, qui alteri ſucceſſit, ædificium hoc immutavit, atque ornavit, ut ſuo nomine vocaretur*: itémque *Gemaram*; *Stetit Templum primum annis* 410. *ſub eóque erant non niſi octodecim Sacerdotes. Stetit ſecundum annis* 420. *fueruntque ſub eo plures quàm trecenti. Annos deme* 40. *Simeonis Juſti*, 80. *Jochananis*, 10. *Iſmaelis ben Phabi, atque* 11. *Eleazari ben Harſum, & non ſupereſt ſingulis plenus annus*.

En Conclave Βελεύτ, propriè ſic dictum, quòd illìc à Sacerdotibus conventum & conſeſſum eſt, at non judicantibus, ſed conſulenti-

lentibus: ídque de rebus & negotiis ſolùm Templi. Conſultum ac proviſum hic eſt, ut præſtò eſſent omnes atque omnia ad cultum divinum neceſſaria, ut ſarta tecta conſervarentur ædificia Templi atq; atriorum, atque ut ritè procedat Liturgia publica: aſt abſente interim ab iis omnino poteſtate judiciali aut punitivâ, atque autoritate, vel mulctandi, vel flagellandi, vel interficiendi, imò [verba omnia] judicandi; nam examine atque autoritate ſuâ nequiverunt vel candidatum in Sacerdotium cooptare, ſed admiſſus eſt ille autoritate Synhedrii. *Bab. Joma*, fol. 19. 1. *In conclavi Gazith ſedit Synhedrium Iſraelis, & examen habuit de Sacerdotibus: quicunque inventus eſt non idoneus, nigro veſtitus eſt & nigro velatus, & dimittitur; quicunque idoneus, albo amictus, atque albo velatus, ingreditur & miniſtrat cum fratribus ſuis Sacerdotibus.*

2. Occurrit etiam memoria בית דין של כהנים *Concilii Sacerdotalis.*

Bab. Joma, fol. 66. 1. In *Gemara* dicitur, עשו הכהנים גדולי קבע *Decretum ſtatuerunt* Ἀρχιερεῖς, *& non permiſerunt Iſraelitam hircum emiſſarium deducere in eremum.* In Gloſſa verò, לא היו בר' של כהנים מניח *Conſilium Sacerdotum hoc non permiſit.*

Chetubb. cap. 1. hal. 5. בר' של כהנים *Concilium Sacerdotale exegit pro dote virginis* 400 *Zuza, nec hoc prohibuerunt Sapientes.*

1. Fuit hoc conſilium illud, de quo antè in *Conclavi* Βαλευτῶν. 2. Illud, quod ab iis decretum erat de abductione hirci emiſſarii, erat merè Liturgiæ Templi, cautio ſcilicet ut ritè perageretur officium in die Expiationis. 3. Atque illud, quod de dote virginis, nihil aliud erat, quàm quod potuit quivis *Iſraelita.* Et ſic fatentur *Gemariſtæ. Quælibet familia generoſa*, inquiunt, *in Iſraele, ſi facere velit quod Sacerdotes faciunt, faciat.* Appretiârunt Sacerdotes virgines ſuas, communíque conſenſu non minùs quàm tantum dotis pro eis efflagitandum ſtatuerunt, quod omnibus *Iſraelitis* pro virginibus ſuis ſtatuere, ſi vellent, licuit.

3. In *Roſh haſhanah*, cap. 1. halac. 7. adducitur exemplum *Tobiæ Medici, qui novilunium vidit Hieroſolymis, ipſe & filius ejus, & ſervus ejus manumiſſus. Ipſum & filium ſuum Sacerdotes admiſerunt pro teſtibus, ſervum repulerunt. Cùm autem venirent*

coram

coram בד״ *consessu, ipsum & servum admiserunt, & repulerunt filium.*

Observetur, 1. בית דין hìc opponi Sacerdotibus. 2. Determinationem de novilunio ad Synhedrium pertinuisse, quippe quòd indè penderent stata tempora festorum: hoc satìs patet capite allegato. 3. Illud, quod egerunt Sacerdotes, fuisse examinis tantùm, non decreti.

4. *Hieros. Chetubb.* fol. 28. 3. זקני העיר זה בד״ של שלשה *Seniores urbis* [Deut. xxii. 18] *sunt Consessus triumviralis* השערה זה בד״ של כהן גדול *Ad portam* [ver. 24.] *id consessum vult summi Sacerdotis.*

Res, quæ isthoc loci discutitur, est de fœmina maritata, quæ à marito inventa est rea læsæ virginitatis, ideóque morte mulctanda, *Deut.* xxii. 13, &c. In ista periocha hæc inter alia habentur versu 18. *Et Seniores urbis hominem istum apprehendent & verberabunt.* Arripiunt inde *Gemaristæ* occasionem definiendi quid ibi, alibíque, sibi velit Phrasiologia, *Seniores urbis*: quídque sibi velit השערה vox *porta*, cùm ad consessum refertur. *Illa*, inquiunt, *consessum triumviralem denotat, hæc consessum*, vel *concilium, summi Sacerdotis*: id est, ni ego plurimùm halluciner, quodlibet Synhedrium viginti-triumvirale. Quod & ex loco allegato satìs claret, & ipsa ratione. 1. Verba loci citati hæc sunt. *R. Bon bar Chaiia quæsivit coram R. Zeira, Quid si producat pater* [virginis] *testes ad falsificandum testes mariti? Si falsi evadant testes patris, flagellandus est ille, & centum Selaim solvet, in consessu triumvirali, testes autem lapidandi per consessum viginti-triumviralem*, &c. *Putavit R. Zeira duplicis judicii hoc esse: at R. Jeremias nomine R. Abhu, unius tantùm judicii. At traditio contrariatur* τῷ *R. Abhu: nam* אל זקני העיר *Ad Seniores urbis* [ver. 5.] זה בד״ של שלשה *Est ad consessum triumviralem.* השערה זה בד״ כהן גדול *Ad portam autem vult consessum summi Sacerdotis.* Planum est *Consessum summi Sacerdotis* in Antithesi poni ad consessum triumviralem; proindéque esse vel summum Synhedrium, vel Synhedrium viginti-triumvirale, vel Synhedrium aliquod Sacerdotale ab his omnibus distinctum. At non hoc tertium, quia planè agit locus citatus in *Talmudicis*, & locus citatus à

Tal-

Talmudicis in Lege, de tali Synhedrio, penès quod erat judicium de capite. At qui Synhedrium Eccleſiaſticum diſtinctum à Civili inter *Judæos* fuiſſe arbitrantur, vix arbitrantur Synhedrium illud de capite judicâſſe, aut mortem inflixiſſe: multò minùs arbitrandum eſt Synhedrium iſtud ſolùm de capite judicâſſe; quod certè opinandum ex loco citato, ſi בר" של כהן גדול ſtrictè Synhedrium tale Sacerdotale denotaret. Paraphraſi verba *Talmudica* illuſtremus. *R. Zeira* putavit cauſam iſtam de marito, uxorem de læſa virginitate accuſante, ad judicium duorum conſeſſuum pertinere triumviralis, ſc. ubi flagellatio & mulcta pecuniaria; & viginti-triumviralis, ubi pœna capitis: at *Rabbi Abhu* ad unius tantùm conſeſſûs judicium referendam arbitratur. At falleris, ô *R. Abhu*, téq; refutat ipſiſſima Phraſiologia in iſta cauſa adhibita: nam adhibetur Phraſis *Ad Seniores urbis*, quæ conſeſſum triumviralem denotat, & Phraſis *Ad portam*, quæ viginti-triumviralem: nam Synhedrium ſummum nunquam in porta ſedit. 2. Vocatur autem Synhedrium viginti-triumvirale à *Talmudicis Conſeſſus*, vel *Synhedrium ſummi Sacerdotis*, alludentibus ad verba legislatoris, *Deut.* xvii. 9. ubi vox *Sacerdotes* Synhedria denotat inferiora, & *Judex* Synhedrium ſummum.

II. In Synhedrio ſummo cathedram quidem primam tenuit Præfectus; [nunc temporis, cùm examen *Chriſtus* ſubiret, ut diximus, *Rabban Gamaliel*] at dignitate ubique anteivit ſummus Sacerdos: nam in Præfecturam Synhedrii electus eſt, non tam is, qui opibus aut dignitate antecelleret, quàm qui doctrinâ ac ſcientiâ Traditionum. Erat ille נוקבר [Phraſiologiâ autori *Juchaſin* uſitatiſſimâ, Præfectis applicatâ] id eſt, *Cuſtos, pater, & traductor Traditionum*, atque is electus eſt, qui ad hæc erat ſummè idoneus. Memorabilis eſt hiſtoria de acceſſione *Hillelis* ad Præfecturam, ob hoc ſolùm ad ſummam cathedram promoti, quòd dubia quædam de *Paſchate* ſolveret, ídque doctus, ipſo referente, à *Shemaia* & *Abtalione*. *Hieroſ. Peſachin*, fol. 33. 1. Hiſtoriam exſcribere non gravabimur: *Excidit aliquando traditio filiis Betiræ: nam cùm incideret dies decimus quartus* [quo celebrandum *Paſcha*] *Sabbato, ignorârunt num Paſcha pelleret Sabbatum, nécne. Dixerunt autem, Adeſt Babylonicus quidam, Hillel nomine; qui miniſtravit Shemaiæ & Abtalioni, novit is num Paſcha pellat Sabbatum nécne. Miſerunt*

ergò, atque eum vocârunt, dixerúntque, Num unquam in diebus tuis audiviſti [id eſt, Traditione accepiſti] *cùm dies decimus quartus incidit in Sabbatum, an Paſcha pellat Sabbatum, nécne? Reſpondit ille, Eſtne nobis Paſcha tantùm unum Sabbatum pellens annuatim? annon plurima Paſchata pellunt Sabbatum annuatim? nempe, Sacrificium juge. Hæc probavit argumentis, à pari, à minori ad majus, &c. Aſt ab eo hoc non receperunt, uſque dum diceret, Sic & ſic eveniat mihi, hoc audivi à Shemaia atque Abtalione. Cùm hoc illi audirent, proſtiterunt illico, atque illum ad Præfecturam promoverunt*, &c.

Incubuit Præfecto præcipuè ſuffragia Seniorum colligere, ac Traditionem determinare, cuſtodire, ac poſteris tranſmittere: atque, his exceptis, vix quicquam intra judicandum obſervares, quod ei proprium, ac non reliquis eſſet commune. Nihil ergò prohibuit, quò minùs Pontifex & Sacerdotes [cùm & is dignitate præcelleret, & iſti numero] acta in Synhedrio præ omnibus aliis promoverent, atque omni nervoſitate proſequerentur; præſertim verò cùm immediatè de ſumma Religionis ageretur, quod & hìc actum eſt, & in exemplis *Pauli* & *Stephani* allegatis. Liceat iis, quibus ex officio incubuit cura ſacrorum, officioſam ſedulitatem in judiciis eò ſpectantibus præ aliis exhibere, ut famæ ſuæ inter homines conſulant & muneris ſui ſaluti. Poterat quidem Synhedrium conſtitui ex *Iſraelitis* ſolis, excluſis Sacerdotibus & Levitis, ſi modò tales idonei non reperirentur. Sic *Maimon. Sanhedr.* cap. 2. *Præceptum eſt, ut in Synhedrio magno ſint Sacerdotes & Levitæ: ſi verò tales non inveniantur, conſtétque Synhedrium ex Iſraelitis aliis ſolis, licitum eſt.* At talis inopia Sacerdotum & Levitarum ſupponitur tantùm, non invenitur unquam: erant illi ſemper pars Synhedrii magna, ſi non maxima. *Rabban Iochanan ben Zaccai*, Sacerdos, erat jam vel Synhedrii Vicepræfectus, vel ab eo proximus. Erat ubique tanta Sacerdotum apud populum æſtimatio, & apud Synhedrium, tantáque Pontificis ſummi dignitas & veneratio, ut non mirum, ſi illum eósque, primos motores, primásque partes in magno illo conſeſſu ſemper reperias.

VERS. 6. Ἰησοῦ δὲ γενομένου ἐν Βηθανίᾳ, &c.

Iſtam cœnam, de qua mentio *Joan.* xiii. ego eandem cum hac in *Bethania* aſſerere non vereor; utcunque ea à quàmplurimis pro cœna

cœna *Paſchali* habeatur. Rem penitiùs aliquantùm perſcrutemur.

I. Erat hæc cœna *ante Paſcha*; erat pariter iſta *ante Paſcha*: de hac non eſt qui dubitet; nec eſt cur de iſta dubites, ſi hæc perpendas.

1. Dicitur à *Joanne* planis verbis, Πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ Πάσχα, verſu primo. Πάσχα quidem, non rarò, ipſum agnum denotat; aliquando ipſiſſimum tempus comeſtionis Agni; aliquando ſacrificia diei inſequentis, ut *Joan.* xviii. 28. at Ἑορτὴ τοῦ Πάσχα nunquam non totam feſtivitatem ſeptiduanam *Paſchalem* denotat, & Dialecto Sacrarum paginarum, & *Talmudicarum*. Rideret *Judæus* aliter interpretantem.

2. Cùm exeunti *Judæ* diceret *Chriſtus*, *Quod facis fac citò*, putabant quidam eum hoc ſibi voluiſſe, *Eme quibus opus eſt nobis ad Feſtum*, verſu viceſimo nono. Ad quodnam quæſo Feſtum? Ad cœnam *Paſchalem*? Ea ſecundùm interpretes, quibus nos hìc contrariamur, jam recèns præterîerat. Ad reliquámne *Paſchalis* ſolennitatis feſtivitatem? Heu quàm intempeſtivum! Ubinam, quæſo, ea jam coemenda? [Si modò hæc ipſiſſima nox erat, quâ jam modò comederant Agnum]. Nox erat, nox feſta diei feſti erat; ubinam, quæſo, tunc temporis iſtiusmodi nundinæ? Inſolitum certè, atque inauditum, à menſa *Paſchali* aſſurgere ad mercaturam: inſolita mercatura atque inaudita nocte feſtâ. Et negligentiæ non nihil arguere poſſet & parùm frugi, ſi ea, quæ neceſſaria ad Feſtum erant, adhuc non pararentur; ſed ſerâ nocte jam currendum eſſet ad ea coemenda, incertum ubi, incertum quomodo. Hiſpidum certè eſt admodùm & rationi contrarium hæc ità intelligere, cùm è verſu primo huc appoſito ſenſus planiſſimus eliciatur. Πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ Πάσχα: *Paſcha* adhuc non advenerat, at propè aderat, putabant ergò Diſcipuli in mandatis *Judæ* Dominum dediſſe, ut pararentur omnia ad *Paſchalem* ſolennitatem neceſſaria, cùm jam adventaret.

3. Obſervetur illud *Lucæ* cap. xxii. 3, &c. *Intravit Satanas in Judam, & abîit & locutus eſt cum principibus Sacerdotum*, &c. Et deinde verſu ſeptimo, *Venit autem dies Azymorum*. Hinc quæro: Num methodus *Lucæ* directa eſt nécne? Si non, reddatur ratio diſlocationis: ſi directa, tum planè intraverat Diabolus in *Judam* ante *Paſcha*: intravit autem ad iſtam cœnam in *Joan.* xiii. ver. 27. Erat ergò iſta cœna ante *Paſcha*: nam,

4. Dicant illi mihi, qui cœnam iſtam *Joan.* xiii. pro cœna *Paſchali* reputant, quînam hoc poſſibile, ut *Judas* poſt cœnam *Paſchalem*, [ad quam illum præſentem cum Diſcipulis reliquis fuiſſe ii non inficiantur] pactum ſuum inire potuerit cum Sacerdotibus, & turbam ſicariorum expedire in apprehenſionem Domini, & totum Synhedrium congregare, verſu quinquageſimo ſeptimo. Dicunt Evangeliſtæ pactum eum inîſſe cum principibus Sacerdotum, *Matth.* xxvi. 14. καὶ τοῖς στρατηγοῖς, *Luc.* xxii. 4. & cum toto Synhedrio, *Marc.* xiv. 41. Jam verò, quonam modo poſſibile erat, eum cum his convenire potuiſſe intra tantillulum ſpatii, quantum interceſſit inter exitum *Judæ* à cœna, & proditionem Domini in horto? num ab his omnibus ſimul eſt cœnatum hâc nocte? Riſum hoc meretur, potiùs quàm fidem. Num ille oſtiatim hos omnes inviſit? Et huic etiam parùm fidei, quippe quòd per tempus vix potuit cum uno aliquo eorum confabulari, multò minùs cum omnibus. Cœnatum eſt hâc nocte unicuique cum ſuis; patri-familiâs cum familia. Ridiculum eſſet opinari primarios hoſce Sacerdotes ſimul cœnâſſe, dum intereà familiæ eorum abſque capite domi reſiderent. Lege cautum eſt, ut unuſquiſque pater familiâs cum ſuis foret iſtâ nocte, illos inſtruens, & cum & pro iis ſacra celebrans. Quærendi ergò erant hi domatim à *Juda*, ſi tunc primùm ab eo de re iſta cum iis eſt tractatum: & dictet ratio, an tempus illud minutum hoc permiſerit? Aſſerimus ergò ex autoritate Evangeliſtarum, cœnam iſtam *Joan.* xiii. ante *Paſcha* fuiſſe: ad quam, ingreſſo in *Judam* Satanâ, eum ante *Paſcha* cum Sacerdotibus pactum inîſſe, tempus & locum proditionis deſtinâſſe, omniáque ab iis eſſe parata in tale facinus, cùm *Paſcha* adventaret. Obſervetur ordo & methodus hiſtoriæ apud Evangeliſtas. *Matth.* xxvi. 14, 15, 16, 17. *Marc.* xiv. 10, 11, 12. *Tunc profectus eſt Judas ad Sacerdotes, & dixit, Quid vultis mihi dare, &c. Et ex illo tempore quærebat ille oportunitatem ad eum prodendum. Primo autem die Azymorum acceſſerunt Diſcipuli*, &c. Quandonam acceſſit *Judas* ad Sacerdotes de proditione tranſacturus? Ante primum certè diem Azymorum. Ipſiſſimâ eâdem methodo & *Lucas*, quem citavimus antè. *Exinde oportunitatem quærebat*, inquiunt, *ut eum proderet*: ſi tum primùm ab eo cum Sacerdotibus eſt conventum & compactum, cùm à cœna *Paſchali* aſſurgeret, quod plurimis placet, oportunitatem tunc *invenerat*, non *quæſivit*. Loquendi forma

forma apud Evangeliſtas planiſſimè deliberationis aliquod ſpatium innuit, non ſubitaneam executionem.

5. Perpendantur verba iſta *Joan.* xiv. 31. Ἐγείρεσθε, ἄγωμεν ἐνθεν-θεν, & conferantur cum verbis cap. xviii. 1. *Hæc cùm dixiſſet Jeſus, abiit cum Diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron.* Nonne hæc duplicem & diverſam diſceſſionem eloquuntur? Nonne ſurrexit *Chriſtus*, & diſceſſit, cùm dixit, *Surgite, abeamus hinc?* Nulli certè fini aut uſui referuntur iſta verba ab Evangeliſta, ſi indè non intelligendum ſit, *Chriſtum* locum illico mutâſſe: & diverſa certè eſt iſta loci mutatio ab ea, quæ cœnam *Paſchalem* ſecuta eſt, *Joan* xviii. 1.

6. In capite iſto *Joannis* decimo tertio non eſt vel minima mentio, vel nè gry quidem, cœnæ *Paſchalis*. Eſt plana quidem mentio cœnæ *ante Feſtum Paſchatis* habitæ, id eſt, antequam adveniret iſta feſtivitas; at de cœna *Paſchatis* non ſyllaba una. Ingenuè profiteor me ſatìs mirari non poſſe, quonam modo interpretes poſſint caput iſtud ad cœnam *Paſchalem* applicare, cùm non ſolùm in eo non ſit ulla omnino mentio cœnæ *Paſchalis*, ſed & Evangeliſta appertiſſimis verbis, & quibus nihil clarius eſſe poteſt, pronuntiaverit, iſtam cœnam, de qua agit, non fuiſſe in feſto *Paſchatis*, ſed *ante feſtum.*

7. Si ea, quæ occurrunt *Joan.* xiii. de offula data *Judæ*, &c. acta ſunt in cœna *Paſchali*, tum quînam, quæſo, poſſibile fuit, ut errarent Diſcipuli in interpretatione iſtorum verborum, *Quod facis fac citó.* In cœna *Paſchali* dixit, *Is, qui mecum tingit in patina, is eſt*, erátque, ut quibuſdam videtur, manus *Judæ* iſthoc ipſo momento in patina. Quærenti *Judæ*, *Egóne?* planiſſimè reſpondet, *Tu dixiſti*: atque inſuper offulam dedit in ſignum [ut aiunt ſententiam iſtam tuentes]: tum quânam tandem ratione, aut ignoratione, poſt tam lucidam rei & perſonæ detectionem, imaginari potuerunt Diſcipuli, dixiſſe *Chriſtum, Eme citò neceſſaria, aut da aliquid pauperibus?*

8. Et quibuſnam, quæſo, pauperibus? Intempeſtivum certè erat profundâ noctehìc illìc pauperes quærere, qui undique diffuſi jam erant in variis φρατρίαις, comedentes *Paſcha*. [nam pauperrimus *Iſraelita* ad id officii tenebatur, æquè ac ditiſſimus.] Iſti, qui opinati ſunt præcepiſſe ei *Chriſtum*, ut aliquid daret pauperibus, de re illico præſtanda non potuerunt non intelligere. Nam ridicu-

lum fuiſſet concepiſſe *Chriſtum* tam feſtinanter eum à cœna dimiſiſſe, ut cras aliquid pauperibus daret. At detur rem *Bethaniæ* transactam fuiſſe, ídque biduo ante *Paſcha*, quod nos aſſerimus, tum nec neceſſe eſt, ut cœnam iſtam tam ſerâ nocte fuiſſe opineris, nec longè quærendos tunc & illìc pauperes, cùm tanta hominum turba *Chriſtum* ubiq; ſequeretur.

II. Cœna hæc *Bethaniæ* habita erat, biduò ante *Paſcha*; idem ſtatuimus de cœna iſta *Ioan.* xiii. & quoad locum, & quoad tempus: ídque partim ex deductione hiſtoriæ ad illud tempus, partim ex obſervatione ſequelæ iſtius cœnæ.

Sex diebus ante *Paſcha Chriſtus* cœnat *Bethaniæ*, *Ioan.* xii. 1.

Poſtero die [quinquiduò ante *Paſcha*] inſidens aſino venit *Hieroſolymas*, *Ioan* xii. 12, 13. & veſperì redit ad *Bethaniam*, *Matth.* xxi. 17. *Marc.* xi. 11.

Die ſequente [quatriduò ante *Paſcha*] adit *Hieroſolymam*, *Marc.* xi. 11, 15. &c. & veſperì eâdem viâ redit *Bethaniam*, *Marc.* xi. 19.

Poſtero die [triduò ante *Paſcha*] iterum *Hieroſolymam* pergit, *Marc.* xi. 20. veſperì exit in montem *Oliveti*, *Matth.* xxiv. 1, 3. *Marc.* xiii. 1, 3. *Luc.* xxi. 37. Ubinam autem cœnatum eſt hâc nocte? *Bethaniæ*. Nam ſic *Matthæus* & *Marcus*. *Poſt biduum erat Paſcha*, &c. *Cùm autem Ieſus eſſet in Bethania*. Atque hinc porrò nulla de eo aut cœnante, aut *Hieroſolymas* proficiſcente, memoria ante veſperam *Paſchalem*.

Ab iſta cœna *Bethaniæ* inchoat uterque Evangeliſta hiſtoriam de *Iuda*, proditionem Domini machinante; *Matth.* xxvi. 14. *Marc.* xiv. 10. aptiſſiméque, nam in iſta cœna in eum introîerat Diabolus, & exinde præceps fertur in iſtud facinus.

Nos ergò hiſtoriam è Scriptoribus ſacris ſic compingimus.

Ante feſtum Paſchatis, *Ioan.* xiii. 1. ídque biduò, *Matth.* xxvi. 2, 6. *Ieſu*, in *Bethania* cœnanti, mulier caput ungit, & ob factum obmurmurant nonnulli è Diſcipulis. Mulieris advocatum agit *Chriſtus*, & Encomiaſten. Ante remotas menſas ſurgit *Chriſtus*, & pedes Diſcipulorum lavat, accumbénsque iterum de proditore monet. *Ioanni* clanculùm de eo interroganti ille clanculùm etiam ſignum dat de offula, & offulam dat *Iudæ*. Cum ea in eum intrat Diabolus, & jam matureſcit ille in flagitium. *In cor ejus anteà Diabolus*

abolus immisisset, *ut proderet*, versu 2. & jam in pedes ad facinus erigitur. Exsurgit illico post offulam receptam, atque exit. Exeunti dicit *Iesus*, *Quod facis*, *fac citò*: quod dictum putârunt nonnulli de coemendis necessariis ad Festum, quod jam biduò aberat. Facile & promptum iis erat opinari, illum, ideo quòd marsupium gestaret, eíque incumberet cura coemendi necessaria, ex sedulitate ejus [cùm multum negotii jam peragendum esset, ut omnia pararentur ad Festum] *Hierosolymam* jam proficisci, quamvis nox esset, ut curaret omnia. Exit ille, *Hierosolymam* pergit, & die insequenti cum Sacerdotibus de proditione colloquitur, atq; inter eos est compactum. Metuerunt illi sibi, nè à turba in Festo impedirentur, aut paterentur: ille eos de ea re securos facit, modò in tempus, de quo inter eos est conventum, paratos habeat armatos & sodales. Pernoctat *Iesus Bethaniæ*, posterúmque diem, noctémque insequentem illìc impendit: multâque, Discipulis jam valedicturus, eos docet, monet & solatur. *Iudas*, dispositò bene proditionis suæ stratagemate, & nexis retibus, *Bethaniam*, ut probabile est, redit, atque à Discipulis rem ignorantibus creditur officiosè admodùm munere suo functum in parandis necessariis ad Festum jam appropinquans. Ipso *Paschatis* die *Iesus* cum suis à *Bethania* movet, *Surgite*, inquit ille, & *hinc eamus*, *Ioan.* xiv. ult. & pergunt *Hierosolymas*.

VERS. 7. Κατέχειν ὅτι τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ἀνακεμένου.

Ergò non erat hæc eadem cœna cum ea in *Ioan.* xii. 1. nam tunc pedes uncti sunt, nunc caput. Miror quemvis posse has duas historias confundere.

Usitatissimum erat in epulis, præsertim sacris, oleum aromatibus conditum; solitúmque est illud capiti alicujus præsentis illinere. *Hieros. Berac.* fol. 11.2. *Schola Shammæana dicit, Oleum suave dextrâ tenet, & poculum vini sinistrâ. Recitat primùm benedictionem super oleum, & dein super poculum. Schola Hilleliana dicit, Oleum dextrâ, poculum sinistrâ. Benedicit super oleum suave, atque illinit capiti ministrantis: si verò ministrans sit Discipulus Sapientum, illinit parieti; nam indecorum est Discipulo Sapientum olere aromata.* Hic ministrans accumbentis caput ungit.

VERS.

VERS. 8. Εἰς τί ἡ ἀπώλεια αὕτη;

Non abſque cauſa dicitur, quòd eſſet unguentum *gravis pretii* verſu ſeptimo, itémque *multi pretii*, *Ioan.* xii. 3. ut oſtenderetur non eſſe è vulgaribus iſtis unguentis in epulis adhibitis, quæ in caput miniſtrantis, aut in parietem illinere illi pro ἀπωλείᾳ non reputârunt: at hoc unguentum longè pretioſius, atque indè cavillatio.

VERS. 9. Καὶ δοθῆναι πτωχοῖς.

Iudam præ aliis hìc cavillatum fuiſſe fidem faciunt ea, quæ de eo referuntur in cœna alia, *Ioan.* xii. 4. Conferantur hæc cum verbis iſtis, *Ioan.* xiii. 29. cùm *Ieſus Iudæ* diceret, *Quod facis fac citò*, putârunt quidam eum hoc voluiſſe, *Da aliquid pauperibus*. Iſtam nos cum hac eandem aſſerimus fuiſſe cœnam: &, ecce, quàm hæc concinunt! cùm querela orta eſſet de prodiga unguenti profuſione, jam, anteáque *Ioan.* xii. iniquúmque videretur quibuſdam, illud imprudenter ità in Dominum impendi, quod in pauperes longè meliùs atque æquiùs poſſet conferri: quàm promptè poſſent alii, ex occaſione verborum iſtorum ad *Iudam* opinari, *Chriſtum* de aliquid pauperibus dando ei præcepiſſe, ut cura ejus de pauperibus demonſtraretur, quamvìs de profuſione unguenti, & de pauperibus ſic eſſet locutus?

VERS. 12. Πρὸς τὸ ἐνταφιάσαί με ἐπέσπειρεν.

Pedes ea unxerat *Ioan.* xii. amoris, officii, honoris ergó; at jam eſt, quod iſtis ſuperadditur, nempe officium ſepulturæ: ídque non ſolùm in interpretatione *Chriſti*, ſed in intentione mulieris. Credidit ea, eáque prima, *Chriſtum* moriturum, ac ſub iſta notione capiti ejus unguentum infundit. ac ſi corpus jam curans, ac ungens ad ſepulturam: ac ſi dixiſſet *Salvator* querulis, & cavillantibus, Vos de ea judicatis hoc agente, quaſi eſſet officiosè nimis ſedula, atq; in immoderata amicitiæ obſervantiæque profeſſione vafra potiùs quàm prudens; at verò eam gravis & ſeria admodùm urget ratio, ut hoc faciat: novit me moriturum, & jam curat de funere, & quod vos probatis circa mortuum, fecit ea circa moriturum. Hinc celebranda ejus fama per omnia ſecula, ob fidem hanc, & actum fidei.

VERS.

VERS. 15. Τριάκοντα ἀργύρια.

Pretium ſervi. *Exod.* xxi. 32.

Maimon. in נזקי ממון cap. 11. *Pretium ſervi grandioris aut minoris, maris aut fœminæ, eſt* ל' סלעין *Triginta Selaim argenti puri. Si valeat ſervus centum minas, vel ſi valeat tantùm unum denarium.* סלע *Selaa* autem, eodem ponderante, pendebat 384. grana hordeacea, *Shekalim*, cap. 1.

VERS. 17. Ποῦ θέλεις ἑτοιμάσωμεν, &c.

Nam alicubi licuit, cùm domi *Hieroſolymitanæ* non conducerentur mercede; quod notavimus alibi: ſed erant pro tempore feſtorum communis juris, *Bab. Joma*, fol. 12. 1.

VERS. 19. Ἡτοίμασαν τὸ Πάσχα.

Miſſi ad hoc fuerunt *Petrus*, & *Joannes*, *Luc.* xxii. 8. atque illi forſan quæſtionem movent, Πῦ θέλεις ἑτοιμάσωμεν: innotuit illis ſolùm, *Judam* aliam rem machinatum, cùm exiret, dum alii crederent parata ab eo eſſe omnia.

Hoc *Petro* & *Ioanni* incubuit, poſt collationem cum hoſpite, à *Chriſto* per ſignum deſignato, de parando atque aptando cœnaculum.

I. Coemendus erat agnus, probatus, atque *Paſchati* idoneus.

II. Adducendus ab iis erat agnus in atrium, ubi Altare.

Maimon. in *Korban Peſach.* cap. 1. *Non mactandum erat Paſcha, niſi in atrio, ubi reliqua ſacrificia mactantur: mactandúmq; die decimo quarto, poſt meridiem, poſt juge ſacrificium, poſt oblatum thymiama*, &c.

Modum introductionis *Paſchatum* in atrium, mactandíq;, habes in *Peſachin*, cap. 5. hal. 5, 6. his verbis. *Paſcha mactatur in tribus turmis; ſicut dicitur* ושחטו אותו כל קהל עדת ישראל *Atque agnum mactabit omnis cœtus congregationis Iſraelis; cœtus, & congregatio, & Iſrael. Ingreditur cœtus primus, & repletur totum atrium: portas atrii ſerant: tubæ canunt: Sacerdotes ſtant ſeriatim, atque in eorum manibus habent phialas au-*

reas & argenteas: series una argenteas, altera aureas; & non confunduntur: & non erant phialis fimbriæ, nè eas reponerent & sic condensaretur, aut *congelaretur, sanguis: Israelita mactat, & sanguinem recipit Sacerdos, & proximè assistenti dat, & ille proximo, qui phialam plenam recipiens, vacuam ei dat. Sacerdos, qui Altari proximus stat, sanguinem spargit aspersione unâ juxta fundamentum Altaris: exit ista turma, atque ingreditur secunda,* &c.

Dicant mihi tandem ii, qui *Christum* arbitrantur die uno *Pascha Iudæorum Paschate* suo prævenisse, quînam hæc in Templo ab eo aut suis peragi possent, cùm summum nefas esset apud populum *Pascha* non justo tempore vel mactare, vel comedere.

Agnos in atrium vulgò humeris portârunt: הרכבתו hoc vocatur *Pesachin*, cap. 6. hal. 1. Ubi Glossa, *Portatio ejus in humeris hominis, ut eum afferat in atrium, tanquam in locum publicum.*

III. Præsentandus erat in atrio לשם פסח sub nomine *agni Paschalis*, mactandúsque למנוייו *Pro cœtu numerato:* vide quæ de hac re discutiant *Gemaristæ* in *Pesachin*, cap. 5. hal. 3. *Si mactant eum pro non comesturis, & pro non numeratis, si pro non circumcisis, aut immundis, prophanum est: si pro comesturis & non comesturis, pro numeratis & non numeratis, pro circumcisis & non circumcisis, pro mundis & immundis, rectum est:* id est, Pro numeratis, ut expiatio fiat pro non numeratis: pro circumcisis, ut expiatio fiat pro præputiatis, *&c.* sic *Gemaristæ* & glossemata.

IV. Sparso sanguine ad pedem Altaris, excoriato agno, exsecto ventre, extracto adipe, atque in ignem Altaris rejecto, refertur cadaver ad hospitium ubi cœnandum: caro assanda, corium tribuendum hospiti.

V. Parabantur & alia. Panis ex præscripto divino, vinum, edulia quædam usitata, atque embamma חרוסת: de quibus commentatores ubique.

VERS. 20. Ἀνέκειτο μετὰ τῶν δώδεκα.

היטב: I. Distinguitur à Scholis *Rabbinicis* inter ישיבת *Sessionem* ad mensam & הסיבת *Accubitum* ad mensam.

Berac.

Berac. cap. 6. hal. 6. היו יושבין לאכול *Si ſedeant ad comedendum, unuſquiſque pro ſeipſo gratias agit* הסיבו *Si accumbant, unus gratias agit pro omnibus.* Jam verò *accubitus iſte*, ut ait Gloſſa in locum, *erat, cùm inclinarent ſe in latus ſiniſtrum in lectulis, atque ederunt & biberunt ſic inclinati.* Atque eadem Gloſſa alibi. *Edere ſoliti ſunt recumbentes in latus ſiniſtrum, pedibus in terra poſitis, unusquiſque ſuper lectulum unum. Bab. Berac.* fol. 46. 2. Itémque *Gemara, Peſachin*, fol. 108. 1. פרקין לא שמיה הסיבה הסבה ימין לא שמיה הסיבה *Supinè jacere non vocatur accubitus, atque recumbere in latus dextrum non vocatur accubitus.*

II. Iſtiuſmodi recumbentiam in capiendo cibo *Iſraelitæ* geſtum maximè idoneum reputârunt, in epulis ſacris requiſitum, in cœna *Paſchali* ſummè neceſſarium & requiſitiſſimum.

Gloſſa alia in *Berac.* cap. 6. ubi anté. *Nos recumbentiam non adhibemus, niſi ad buccellam ſolúm*, &c. *Et certè iis, qui ederunt recumbentes, neceſſaria fuit recumbentia. At ſeſſio jam noſtra eſt nobis inſtar recumbentiæ. Ii ſoliti ſunt recumbere, unusquisque ſuper lectulum proprium, & cibum capere ſuper menſam propriam: at nos omnes unà comedimus ſuper menſam unam.*

Peſachin, cap. 10. hal. 1. אפילו עני שבישראל לא יאכל עד שיסב *Etiam pauperrimus Iſraelita nè comedat, antequàm accumbat.* Agit Canon de cœna *Paſchali*; in quem ſic *Babylonici. Dicitur, quòd Azyma opus habent recumbentiâ, herbæ amaræ opus non habent: de vino dicitur nomine Rabh Nachman, Quòd opus habet recumbentiâ; & dicitur nomine Rabh Nachman, Quòd opus non habet recumbentiâ: & tamen hæc non contrariantur; nam illud dicitur de duobus poculis prioribus, hoc de duobus poculis poſterioribus. Bab. Peſachin*, fol. 108. 1.

In latus ſiniſtrum recubuerunt, non in dextrum; *quia dextrâ manu utendum neceſſariò fuit in cibo capiendo.* Sic Gloſſa ibi.

III. Iſtum accumbendi morem in uſu & deliciis, imò pro religione quadam habuerunt, eò quòd ſignum & ſignificationem præ ſe ferret libertatis.

Hieroſ. Peſachin, fol. 37. 2. *R. Levi dicit, Mos ſervorum eſt, ut edant ſtantes: at nunc comedant recumbentes, ut dignoſcatur exiiſſe*

îiſſe eos è ſervitute in libertatem. R. Simon nomine R. Joſuæ ben Levi, Iſtud inſtar quantitatis olivæ, quod quis Paſchate comedens officium præſtat, comedatur recumbendo.

Bab. ubi ſuprà, in Gloſſa. *Azyma comeduntur nocte primâ recumbentes, quia recordatio eſt redemptionis. Herbæ amaræ non opus habent recumbentiâ, quia memoriam ferunt ſervitutis.*

Quamvìs ſit panis afflictionis, comedendus tamen eſt pro more libertatis. Vide plura ibi. *Maimon.* in פירוש משניות *Tenemur ad accubitum dum comedimus, ut comedamus more Regum & magnatum.*

IV. *Cùm duo lectuli eſſent* גדול מיסב בראש *Digniſſimus accumbit ſupremus, & ſecundus ab eo ſupra eum. Cùm vero eſſent tres lectuli, digniſſimus accubuit in medio, & ſecundus ab eo ſupra eum, & tertius ab eo infra eum. Hieroſ. Taanith*, fol. 68. 1. & *Bab. Beracoth*, fol. 46. 2. In quæ ſic Gloſſa. *Cùm duo eſſent, dignior primus accubuit in lectulo ſuo, & ſecundus ab eo ſupra eum accubuit, id eſt, in lectulo juxta cervical dignioris poſito. Si tres eſſent, digniſſimus accubuit in medio, & ſecundus ab eo ſupra eum, & tertius infra eum, id eſt, juxta ſtragulas pedum ejus. Si vult digniſſimus cum ſecundo ab eo colloqui, neceſſe eſt, ut ſe erigat à recubitione ſua, ità ut erectus ſedeat. Nam quamdiu ille deflexus ſedet, non poteſt cum illo colloqui; nam ſecundus ſedit ab occipite primi, & facies primi aliò erat averſa: meliúsque foret* [ad colloquium] *ſecundo, ſi infra eum ſederet; nam tum verba ejus audiret, etiam in recubitione inclinati.*

Facem præbent hæc hiſtoriæ iſti, *Joan.* xiii. 23, 24. ubi *Petrus*, ut videtur, ab occipite *Servatoris* recumbens, loco poſt eum primo, non potuit cum eo colloqui, & de proditore ſcitari: ſuprà caput ergò *Chriſti* Joannem proſpiciens nutu eum excitat ut interroget. Is loco à *Chriſto* ſecundo ſedens, obverſâque in illum facie, ſciſcitatur.

VERS. 22. Μήτι ἐγώ εἰμι, Κύριε;

Renovat mentionem proditoris in cœna *Paſchali* partim ipſiſſima occaſio, comeſtio ſcilicet ac communio; ac ſi dixiſſet, Nos unà & amicè jam comedimus, & tamen in numero noſtro eſt, qui me ſit proditurus: partim ut pleniùs de re ipſa Diſcipuli inſtruantur; nam in cœna iſta in *Joan.* xiii. *Joanni* ſolùm perſonam clanculùm detexerat,

detexerat, niſi fortè & *Petrus* etiam intellexit, qui tacitam quæſtionem *Joannis* ad *Chriſtum* intellexit, quippe quòd illum ad eam proponendam nutu provocârat. Quærunt Diſcipuli, Egone? partim ex ignoratione rei, partim ex fidenti & ſincera in contrarium profeſſione.

VERS. 24. Καλὸν ἦν ἄνθρωπος, εἰ οὐκ ἐγεννήθη.

נוח לו שלא נברא. Locutio *Talmudicis* uſitatiſſima. *Bab. Berac.* fol. 17. 1, &c.

VERS. 26. Λαβὼν ὁ Ἰησοῦς τὸν ἄρτον, &c.

Panem in cœna, poculum poſt cœnam. *Poſt cœnam accepit poculum*, inquiunt *Lucas*, cap. xxii. 20. & *Paulus*, I *Cor.* xi. 25. at non ità de pane.

Ut clariùs hiſtoriam hujus cœnæ apud Evangeliſtas percipiamus, liceat Rubricam cœnæ *Paſchalis*, eâ quâ fieri poteſt brevitate, è *Talmudicis* exſcribere; ut cum more gentis uſitato iſta, quæ hìc referuntur, conferantur.

I. Exordium cepit cœna *Paſchalis* à poculo vini.

Peſachin, cap. 10. hal. 2. *Miſcent ei poculum primum. Schola Shammæana dicit, Benedicit primò de die, & deinde de vino: at Schola Hilleliana dicit, Primò de vino benedicit, ac deinde de die.* Sententiam ſuam firmant *Shammæani*, שהיום גורם ליין שיבא *Quia dies in cauſa eſt cur adſit vinum:* id eſt, ut explicat Gloſſa, שיבא קודם סעודה *ut adſit ante cibum.*

Maimon. in *Chamets Umatſah*, cap. 8. *Miſcent primò poculum unicuique, & benedicit* [Pater-familiâs] *Benedictus ſit, qui creavit fructum vitis, & recitat inſuper ſacrationem diei.* וזמן [id eſt, numero plurali gratias agit pro toto cœtu, dicens *Benedicamus*] *ac poculum ebibit. Et poſtea benedicit de lotione manuum, & lavat.*

Confer hoc poculum cum iſto, *Luc.* xxii. 17.

II. Apponuntur deinde herbæ amaræ.

Inferunt menſam ſtratam, ſuper quam eſt מרור וירק אחר *Embamma amarum, atque herbæ aliæ.* Maimon.

הביאו לפניו מטבל בחורת ער שמגיע לפרפרת הפת

Peſachin, ubi anté. Interpretationem exhibeant Gloſſatores.

Bab. fol. 114. 1. *Non apponunt menſam, niſi poſt ſacrationem diei: & ſuper menſam apponitur lactuca. Poſtquã benedixit ſuper vinum, apponunt herbas, atque edit ille lactucas intinctas; at non in embammate* חרוסת, *nam ea adhuc non adducitur: atque hoc de lactuca ſimpliciter non intelligitur, niſi cùm adſint herbæ aliæ.*

עד שמגיע לפרפרת הפרת hoc ſibi vult, Antequàm perveniatur ad iſtas herbas amaras, quas comedit poſt Azyma, quando etiam benedicit pro comeſtione herbarum amararum; *ſicut ſcribitur,* Cum Azymis, & herbis amaris comedetis. *Azyma primò, & deinde herbæ amaræ: atque intinctio hæc prima eâ tantùm ratione adhibetur, ut pueri obſervent, & quærant; nam inſolitum eſt hominibus herbas edere ante cibum.*

III. *Apponuntur poſteà Azyma, atque embamma* חרוסת, *atque agnus, & caro etiam Chagigæ diei decimi quarti. Maimonides* nullam notat interpoſitionem inter appoſitas herbas amaras atque appoſita Azyma: at *Miſhnah Talmudica* notat his verbis, הביאו לפניו מצה *Apponunt coram eo Azyma.* Ubi Gloſſa, *Hoc dicitur, quia menſam amoverant à coram eo, qui officium Paſchatis tranſegit: iſta autem menſæ amotio eo fine erat, ut filius interrogaret patrem; & pater reſpondit ei, Adducant iterum menſam, ut faciamus intinctionem ſecundam, & tunc interroget filius, Quare bis intingimus? reducunt ergò menſam, atque in ea Azyma, atque herbas amaras,* &c.

IV. Incipit & benedicit, *Benedictus ſit, qui creavit fructum terræ: ac herbas accipit, atque intingit in embammate Charoſheth* חרוסת *& comedit pro quantitate olivæ ille, atque omnes cum eo accumbentes; & nè comedat] minus quàm quantitatem olivæ: & tunc amovent menſam à coram patre-familiâs. Maimon.* An hæc amotio menſæ eadem ſit cum prænominata, non tanti eſt ut diſcutiamus.

V. מזגו לו כוס שני *Jam miſcent ei poculum ſecundum: atque jam filius interrogat patrem; vel, ſi filius non nôrit eum interrogare, ipſe eum docet, Quantum differt hæc nox ab aliis omnibus noctibus. Aliis noctibus non intingimus niſi ſemel; hâc nocte bis. Aliis comedimus vel fermentatum vel Azyma; hâc Azyma ſolùm,* &c. *aliis comedimus vel ſedentes vel recumbentes; hâc nocte omnes recumbimus,* &c.

VI. *Admo-*

VI. *Admovetur iterum menſa, & tum dicit ille, Hoc eſt Paſcha, quod comedimus ideo, quia Deus transîit per domos patrum noſtrorum in Ægypto. Tunc elevat manu ſuâ herbas amaras, & dicit, Herbas has amaras nos comedimus ideo, quòd amaras fecerunt Ægyptii vitas patrum noſtrorum in Ægypto. Elevat manu ſuâ Azyma & dicit, Azyma hæc comedimus, quia non erat ſpatium farinæ conſperſæ patrum, noſtrorum, ut fermentaretur, antequàm ſeipſum revelaret Deus, eósque redimeret. Debemus ergò nos laudare, celebrare, honorare, magnificare, &c. illum, qui patribus noſtris nobísque omnia hæc miranda fecit, nósque eduxit è ſervitute in libertatem, è dolore in gaudium, è tenebris in lucem magnam. Dicamus ergò Halleluia.* Laudate Dominum, laudate ſervi Domini, *&c. ad,* Et ſilicem in fontes aquarum [id eſt, ab initio *Pſalmi* 113. ad finem Pſal. cxiv]. *Et concludit, Benedictus tu Domine Deus noſter Rex æterne nos redimens, patrésque redimens ex Ægypto, atque ad noctem hanc nos perducens; ut comedamus Azyma atque herbas amaras: & jam ebibit poculum ſecundum.*

VII. *Deinde manus lavans, & duos panes accipiens, unum frangit & fractum reponit ſuper ſolidum, & benedicit, Benedictus ſit ille, qui producit panem è terra: & complicans panem cum herbis amaris, intingénsque in embamma* חרוסת, *benedicénsque Benedictus tu, Domine Deus noſter Rex æterne, qui nos ſanctificavit præceptis ſuis, præcepítque ut comederemus, Azyma atque herbas amaras ſimul comedit: ſi verò ſeparatim Azyma atque herbas comedit, ſeparatim gratias agit. Poſteáque gratias pari modo agens ſuper carnem Chagigæ diei decimi quarti, de ea etiam comedit: & pari modo benedicens ſuper carnem agni, de ea comedit.*

VIII. *Indè porrò cœnam protrahit, hoc vel illud edens bibénsve, prout lubet: ultimóque de carne Paſchatis edit, ſaltem pro quantitate olivæ, atque exinde nec quicquam cibi guſtat omnino.* Hæc *Maimonides* loco citato, atq; etiam *Talmudici* ſparſim capite ultimo tractatûs *Peſachin.*

Et jam tempus erat, quo *Chriſtus* panem accipiens Euchariſtiam inſtituit. At num poſt comeſa fruſtula iſta agni valedictoria, ut ità vocare liceat, an eorum vice? Videtur quòd eorum vice, quia dicitur ab Evangeliſta noſtro *Marcóque* Ἐσθιόντων αὐτῶν; &c. *Dum comederent, Jeſus accepit panem:* jam verò, abſque dubio loquuntur

loquuntur illi ſecundùm notum & vulgarem cœnæ iſtius morem, ut à ſuis intelligerentur. *Judei* autem omnes ſatis nôrunt, quòd poſt comeſa iſta agni fruſtula dici non poſſet, *Dum comederent*; nam ab iſtis fruſtulis finita eſt comeſtio. Vero ſimilius ergò eſt, *Chriſtum*, cùm jam parati eſſent fruſtula iſta ſumere, morem immutâſſe, ac pro iis fruſtula panis diſtribuiſſe, ac inſtituiſſe Sacramentum. Opinantur nonnulli in more fuiſſe Azyma ultimò guſtare, & ab iis cœnam claudere, quod & nos aliquando ſumus opinati. Eóq; facilius eſt in iſtam opinionem labi, quòd in Rubricis *Paſchalibus* aliquibus tale quid memoretur, meritóque, cùm iſta conſuetudo quidem obtineret poſt exciſum Templum.

Εὐλογήσας ἔκλασε.

Primò benedixit, & deinde fregit. Sic uſitatum ſemper, niſi in pane *Paſchali*. Unus è panibus binis primò diviſus eſt in duas partes aut forſan plures antequam benediceretur. חולק אחד מהן *Partitur unum ex illis.* Verba ſunt *Maimonidis*, qui etiam hæc addit, *Quare autem non benedicit ſuper duos panes eo modo, quo aliis diebus Feſtis? Quia hic vocatur* לחם עוני *Panis paupertatis. Pauperibus autem res eſt cum fruſtis, atque hìc pariter ſunt fruſta.*

Bab. Beracoth, fol. 47. 1. אין בוצע רשאי לבצוע עד שיכלה אמן מפי העונים *Frangens panem nè frangat ante prolatum Amen ab ore reſpondentium.*

Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου.

Applicata hæc ad *Paſcha* recens jam comeſtum clarius eluceſcunt. *Hoc* jam eſt corpus meum eo ſenſu, quo extitit agnus *Paſchalis* corpus meum hucuſque. Et verſu viceſimo octavo. *Hoc eſt ſanguis meus novi Teſtamenti eodem ſenſu, quo ſanguis taurorum & hircorum fuit ſanguis meus ſub veteri.* Exod. xxiv. Heb. ix.

VERS. 27. Τὸ πλῆθος.

Aderat panis huic cœnæ ex inſtitutione divina; aſt unde vinum? & quantum? & quale?

I. *Hieroſ. Peſachin*, fol. 37. 2. *Traditio. Neceſſe eſt ut homo exhilaret vxorem ſuam, & filios ad feſtum. At quomodo exhilarant? Vino.*

Citantur & eadem *Bab. Peſach.* fol. 109. 1. *Tradunt Rabbini*, inquiunt, *Tenetur homo ad exhilarandum filios & domeſticos ſuos in feſto; ſicut dicitur*, Et lætaberis tu in Feſto tuo, [*Deut.* 16. 14.] *Quomodo autem exhilarant? Vino R. Judah dicit, Exhilaratio hominum fit re iis congruâ; fœminarum, re congruâ illis. Hominum, re illis congruâ, nempe vino: fœminarum, illis congruâ. Quânam? Rabh Joſeph dicit, In Babylone, veſtibus tinctis, In terra Iſraelitica, veſtibus lineis*, &c.

II. Quatuor pocula vini erant ebibenda ab unoquoque. הכל חייבין בר׳ כוסות *Omnes tenentur ad quatuor pocula viri, fœminæ, & pueri: R. Judah dicit, At quid puerîs cum vino? At illis diſtribuunt triticum & nuces*, &c.

Rationem numeri reddunt *Hieroſolymitani*, loco antè citato, fuſiſſimé. Quidam pro numero quatuor verborum adhibitorum in hiſtoria redemptionis *Iſraelis* ex *Ægypto*. והוצאתי והצלתי ונאלתי ולקחתי: quidam pro numero recitationis vocis כוס in *Geneſ.* xl. 11, 13. quidam pro numero quatuor Monarchiarum: quidam pro numero quatuor poculorum vindictæ, quibus Deus potaturus eſt gentes. *Jerem.* xxv. 15. & li. 7. *Pſal.* xi. 6. & lxxv. 8. Et pro numero quatuor poculorum, quibus potaturus eſt Deus *Iſraelem. Pſal.* xxiii. 5. & xvi. 5. & cxvi. 13. כוס רשועות אשא תריין *Poculum ſalutum duarum.*

III. De menſura horum poculorum ſic determinatur. ארבעה כוסות שאמרו ישנן יביעית יין באיטלקי. *Rabbi Chaia dicit, Quatuor pocula continent quartanam vini Italicam. Hieroſ. Shabb.* fol. 11. 1.

Et curioſiùs ibidem: *Quanta menſura poculi?* אצבעיים על אצבעיי על רום אצבע ומחצה ושליש אצבע *Quadratura duorum digitorum profunditatis digiti, & dimidii, & tertiæ partis digiti.* Adducuntur hæc in *Bab. Peſach.* loco antè citato, at cum hac differentia; quòd pro שליש אצבע eſt חומש אצבע *quintæ partis digiti.*

IV. מצוה לצאת בין אדום. *Præceptum eſt, ut vino rubido præſtet hoc officium. Hieroſ.* ubi anté. Sic *Bab.* צריך שיהא בו טעם ומראה *Neceſſe eſt, ut ſit in eo ſapor & aſpectus vini*: Gloſſa, שיהא אדום *Ut ſit rubidus.*

V. שתאן חי יצא: *Si vinum biberit purum,* & non aquâ mixtum, *præſtitit officium*; at vulgò aquam immiſcuerunt: hinc in Rubrica feſtorum, cùm mentio fit de vino, ſemper adhibent vocem מזגו *Miſcent* ei poculum. De iſta commixtione diſputat utrumq; *Talmud* capite de P*aſchate* citato: quæ vide.

Bab. Beracoth, fol. 50. 2. *Tradunt Rabbini. Super vinum, cui non immiſcetur aqua, non benedicunt*, Benedictus ſit, qui creavit fructum vitis; *ſed*, Benedictus ſit, qui creavit fructum arboris. Gloſſa, יינם חזק מאד *Vinum eorum ſtrenuum erat admodum, & potationi non idoneum abſque immixta aqua*, &c. *Gemariſtæ* paulò póſt. *Suffragantur Sapientes R. Eleazaro, Non benedicendum eſſe ſuper poculum benedictionis, donec immiſceatur ei aqua.* Immiſtio aquæ unicuique poculo contulit ad ſalubritatem, atque ad fugam ebrietatis. Obſervavimus alibi hiſtoriam de *Rabban Gamaliele*, qui turbationem animi aliquam paſſus & faſſus eſt, atque ineptitudinem ad opus ſerium ob epotam vini quartanam *Italicam.* His de vino P*aſchali* præmiſſis, jam ad poculum hoc *Salvatoris* obſervandum redeamus.

Poſt ea, quæ anteà memorantur, in cœna P*aſchali* tranſigi ſolita, hæc adduntur porrò à *Maimonide. Deinde lavat manus ſuas,* ומברך ברכת המזון *& benedicit benedictionem cibi* [id eſt, gratias agit poſt cibum] *ſuper poculum vini tertium, atque ebibit.* Poculum illud vulgò vocabatur כוס הברכה *Poculum benedictionis* אכסא דברכתא dialecto *Talmudicâ.* כוס של ברכה *Poculum benedictionis eſt, cùm benedicitur poſt cibum:* ait Gloſſa in *Bab. Berac.* fol. 51. 1. Ubi etiam in textu memorantur plurima de hoc poculo. *Decem res dicuntur de poculo benedictionis* הרחה ושטיפה *Lotio & prolutio:* [id eſt, ut lavetur intùs & extrà; nè ſcilicet in eo maneat quid vini poculorum præcedentium.] חי *Vinum purum* infundatur in poculum, & fiat commiſtio aquæ in poculo: ומלא *Plenum ſit:* עיטור

Coronatio,

Coronatio, hoc eſt, ut *Gemara, per Diſcipulos*; dum ille hoc agit circùm ſint Diſcipuli inſtar coronæ. עיטוף *Obvelatio*, id eſt, *ut Rabh Papa, Velat ſe & conſidet*; *ut R. Iſſai, Sudarium expandit in caput ſuum.* נוטלו בשתי ידיו *Poculum accipit manu utrâque, at dat in manum dextram, elevat à menſa, oculos in illud figit*, &c. *ſunt qui dicunt, dono impertit ſuis.*

Quoſnam ex his ritus adhibuerit *Salvator* non quærimus; poculum certè invenimus idem fuiſſe cum *poculo benedictionis*: cùm ſcilicet pro more, poſt guſtatum fruſtulum agni valedictorium, finis jam eſſet cœnæ, & ſuper poculum tertium gratiæ agendæ eſſent poſt cibum, accipit ille illud poculum, & poſt actas, ut probabile eſt, & pro more & pro officio gratias pro cibo, inſtituit ille iſtud in poculum Euchariſticum. Τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ὃ εὐλογοῦμεν, I *Cor.* x. 16.

Hinc eſt quòd *Lucas* & *Paulus* dicant eum poculum accepiſſe *poſt cœnam*, id eſt, poculum illud, quod clauſit cœnam.

Prætereundum non eſt, quòd ille poculum Euchariſticum inſtituens dicat, *Hoc eſt ſanguis meus Novi Teſtamenti*, ut *Matthæus* & *Marcus*: imò, ut *Lucas* & *Paulus*, *Hoc poculum eſt Novum Teſtamentum in ſanguine meo.* Non ſigillum tantùm Fœderis; ſed & ſanctio *Novi* Fœderis: terminus œconomiæ *Moſaicæ*, & ſanctio *Novæ*. *Veteris* Fœderis ſanctio erat per ſanguinem taurorum & hircorum, *Exod.* xxiiii. *Heb.* ix. quia fundendus adhuc erat ſanguis: *novæ*, per poculum vini, quia ſub Novo Teſtamento nulla ulteriùs ſanguinis effuſio. Prout hìc dicitur de poculo, *Hoc poculum eſt Novum Teſtamentum in ſanguine meo*: ſic dici potuit de cratere ſanguinis, *Exod.* xxiv. *Iſte crater erat Vetus Teſtamentum in ſanguine Chriſti.* Perlectis illìc omnibus Fœderis iſtius articulis, ſanguine populum omnem conſperſit *Moſes*, dixítque, *Hic eſt ſanguis Fœderis, quod pepegit Dominus vobiſcum*; & ſic ſancitum eſt Fœdus, vel Teſtamentum, illud Vetus: prædicatis pariter à *Chriſto* omnibus Novi Fœderis articulis, poculum vini ſumit ille, ac potandum exhibet, & dicit, *Hoc eſt Novum Teſtamentum in ſanguine meo*, & ſic ſancitum eſt Fœdus Novum.

Erat & calix quartus, de quo autor noſter porrò, *Deinde miſcet poculum quartum, & ſuper illud perficit Hallel: additque inſuper Benedictionem cantici*, ברכת השיר *quod eſt*, Laudent te, Domine, omnia opera tua, &c. *& dicit*, Benedictus ſit, qui creavit fru-

ctum vitis, *& poſteà non quicquam guſtat iſtâ nocte*, &c. *Perficit Hallel:* id eſt, Incipit indè, ubi deſitum eſt antè, viz. ab initio *Pſalmi* centeſimi decimi quinti, & pergit ad finem *Pſalmi* centeſimi decimi octavi.

An *Chriſtus* calicem hunc adhibuerit, non diſputamus: Canticum certè adhibuit, quod notat Evangeliſta, cùm dicit Ὑμνήσαντες, verſu triceſimo. Ipſiſſima vox הימנון occurrit in *Midras Till.* fol. 4. 2. & 42. 1.

Et jam cœnam hanc *Paſchalem* retroſpicienti liceat mihi ab iis quærere, qui cœnam iſtam in *Joann.* xiii. eandem cum hac eſſe arbitrantur; Quamnam hujus temporis partem deſignant lotioni pedum Diſcipulorum? quámque dimiſſioni *Judæ*? quámque confabulationi ejus cum Sacerdotibus, atque ſicariorum in facinus accinctioni?

I. Mirum certè videtur *Chriſtum* lotionem pedum Diſcipulorum ad cœnam *Paſchalem* rejeciſſe: Cùm, 1. Iſtiusmodi actio, non ſolùm iſti cœnæ eſſet omnino inſolens, atque inaudita; ſed & nullo modo neceſſaria, aut congrua: nam, 2. quantò convenientiùs præſtari ea potuit in cœna communi ante *Paſcha*, quod nos opinamur, cùm nulla eſſet à tempore coarctatio; quàm in cœna *Paſchali*, cùm multa incumberent, quæ expeditionem efflagitarent?

II. Officium *Paſchalis* cœnæ iſtiusmodi interruptionem non toleravit, nec licuit aliis à ſtata regula ſic declinare, ut rem tam alienam introducerent; & quare *Chriſtus* ſic declinaret, cùm in aliis ſecundùm morem gentis ſe geſſit, cúmque centies daretur liberior occaſio iſtam actionem præſtandi, quàm tempore ſic premente & coarctante?

III. Conſedit ad cœnam *Judas* cum reliquis, atque aderat, cùm comederent, *Matth.* xxvi. 20, 21. *Marc.* xiv. 18. &, heu! quàm inſolitum erat cuivis eo modo ante cœnam iſtam peractam diſcedere; ſatìs ambiguum eſt apud Canones *Judaicos*, an licuerit, & in quantum licuerit alicui, qui ſe huic vel illi φραξεία aſſociaverat, ab ea in aliam recedere, atque hìc partem unam cœnæ capere, illìc aliam: at de diſceſſione perſonæ ad negotium aliquod aliud peragendum nè ſomnium quidem, cùm talem rem fieri poſſe nec volunt, nec poſſunt imaginari. Vides quàm leve videatur Diſcipulis diſceſſio *Judæ* ad coemenda neceſſaria, prout ipſi interpretabantur, quia diſceſſit à cœna communi; at, ſi ſic eum dimiſſum ac abactum vidiſſent à

cœna

cœna *Paſchali*, monſtrum viſum fuiſſet & ſtupendum. Quid? à cœna *Paſchali* jam inchoata ad mercaturam? A cœna *Bethaniæ* communi ad mercaturam, ad coemenda ante *Paſcha* neceſſaria ad *Paſcha*, nihil novi hoc aut inſoliti: at à cœna *Paſchali*, ante eam peractam, ad forum aut nundinas diſcedere, inſolentius & ſtupendius erat, quàm ut tam leviter & ſine ſcrupulo ab iis digereretur.

Nos ergò non omnino dubitamus *Judam* ad *Paſcha* affuiſſe, atq; ad Euchariſtiam affuiſſe: quod planiſſimis verbis teſtatur *Lucas*, cap. xxii. 20, 21. parùm dubitamus ad Hymnum affuiſſe, nec diſceſſiſſe ante peracta omnia in cœna: at, cùm aſſurgerent omnes à menſa, & jam pararetur ad iter in montem *Oliveti* [pernoctatum in *Bethania*, ut opinati ſunt Diſcipuli] ſubduxit ſe proditor nequiſſimus, atque ad cohortes iſtas ſe recepit, quas ei paraverant Sacerdotes, tempore & loco, biduò antè, ex compacto deſignatis. Video mihi verba & conjurationem carnificis audire: " Craſtino, in-" quit ille, erit *Paſcha*, & novi Magiſtrum meum ad *Paſcha* adfutu-" rum: noviſque eum non pernoctaturum *Hieroſolymis*; ſed ad " *Bethaniam*, utcunque ſerâ nocte, rediturum, ubi ſolitus eſt perno-" ctare. Parate vos mihi ergò homines armatos, ut in promptu " ſint loco deſignato, illico poſt cœnam *Paſchalem*; egóque clan-" culùm ad eos me proripiam, cùm jam Magiſter meus ad iter ſe pa-" rat, illíque me duce eum excipient in hortis extra urbem, ubi ob " ſolitudinem loci, ſilentiúmque noctis, ſecurum ſatis nobis erit à " turba. Et peragite vos *Paſchata* veſtra expeditè, ut in Concilium " à cœna congregemini, examen ac judicium de eo habituri, cùm " eum ad vos nos adduxerimus; favente etiam vobis hac in re, ac à " turba protegente, ſilentio noctis. Sic parantur omnia in locum & tempus præſtitutum, ſurripiénsque ſe latro à cœtu Diſcipulorum, cùm jam egrederentur verſùs *Olivetum*, atque ad armatos ſuos accelerans, ſine mora, paratos abducit, invadítque Magiſtrum jam in horto.

VERS. 34. Πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι, τρὶς ἀπαρνήσῃ με.

Idem ferè dixerat *Joann.* xiii. 38. *Non cantabit gallus, donec ter me abnegaveris.* Ergò, inquiunt quidam, erat iſta cœna eadem cum hac *Paſchali*. Veriſſimè quidem, ſi ἀλέκτωρ ἐ φωνήσει reddi deberet, *Gallus non ſemel vocem edet*, vel, *Gallus nullus vocem edet:* at non ità, ſed ad hunc ſenſum aſſurgit, *Intra tempus Gallicinii* ter me

abnegabis: nam Petrus eum ſemel tantùm abnegavit ante primum cantum galli, ac ter ante ſecundum, *Marc.* xiiii. 68, 72. Hinc ergò facilè advertas, quo ſenſu verba iſta intelligenda ſunt, ad Petrum prolata, biduò ante Paſcha, *Joann.* xiii. ult. *Non cantabit gallus*, &c. Non, quòd nullus ab iſto tempore galli cantus futurus eſſet ante Petri abnegationem; ſed, ac ſi dixiſſet *Salvator*, "Adeóne, "ò Petre, tu fidens tui? Amen, dico tibi, erit, ídque brevi, cùm "me ter abnegabis intra tempus gallicinii. Ἐν ἀλεκτοροφωνίᾳ *Marc.* xiii. 35.

In cœna Paſchali dicitur, *Hâc nocte*, antequam cantaverit gallus, &c. *Matth.* xxvi. 34. *Marc.* xiv. 30. *Luc.* xxii. 34. At nihil tale auditur in cœna iſta, *Joann.* xiii.

De gallicinio ſic Magiſtri. *Bab. Joma*, fol. 21. 1. *Dicit R. Shilla, Quicunque iter aggreditur ante galli cantum, ſanguis ſuus ſit in caput ſuum. R. Joſia dicit, Si ante cantum ſecundum: at ſunt qui dicunt, Si ante tertium. At de quali gallo hæc dicuntur?* בתרנגול בינוני *De gallo mediano:* hoc eſt, ut explicat Gloſſa, *De gallo, qui cantum ſuum nec nimis accelerat, nec nimis defert. Miſhnah*, in quam hoc Gloſſema, hæc habet: *Unoquoque die cineres ab Altari removent circa galli cantum: at die Expiationis à media nocte*, &c.

Mireris gallum gallinaceum inveniri *Hieroſolymis*, cùm Canone prohibitum ſit gallos illìc alere. *Bava Kama*, cap. 7. halac. ult. אין מגדלין תרנגולין בירושלם מפני קדושים *Non alunt gallos Hieroſolymis propter ſacra, nec Sacerdotes eos alunt per totam terram Iſraeliticam.* Rationem reddit Gloſſa, *Etiam Iſraelitis prohibitum eſt gallos alere Hieroſolymis propter ſacra; nam Iſraelitæ comederunt illic carnem ſacrificiorum pacificorum, atque Euchariſticorum: jam verò mos eſt gallis gallinaceis vertere ſtercoraria, atque indè forſan educere poſſent carnem reptilium, unde pollui poſſent ſacra iſta comedenda.*

Quonam modo & prætextu cum Canone ſit diſpenſatum, non diſputamus; aderant certè galli gallinacei *Hieroſolymis* æquè ac alibi. Et memorabilis eſt hiſtoria de gallo, ex ſententia Synhedrii lapidato ob interfectum ab eo puerulum. *Hieroſ. Erubhin*, fol. 26. 1.

VERS.

VERS. 36. Γεθσημανῆ.

Locus torcularium oleaceorum, ad baſin *Oliveti*.

Joanni 18. *hortus ultra Kidronem*, cap. xviii. 1.

Bava Kama, ubi ſuprà. *Non faciunt in Jeruſalem hortos aut paradiſos*, משום סירחא *propter fatorem*. Gloſſa, *Propter fatorem ab herbis malis, quæ projicerentur: mósque eſt hortos ſtercorare, atque indè fator*. Hinc nulli horti in urbe [hortis roſarum quibuſdam exceptis, qui fuerant à diebus Prophetarum. *Avoth R. Nathan*, fol. 9. 1.] at omnes extrà, præſertim verò ad pedem *Oliveti*.

VERS. 49. Καὶ ϕίλησεν αὐτόν.

Magiſtro Diſcipulum oſculari non erat inuſitatum; Diſcipulo Magiſtrum rariùs: an ergò *Judas* hoc fecerit ex prætextu officii, an ex aperto contemptu & deriſione, quæratur.

VERS. 60. Πολλῶν ψευδομαρτύρων προσελθόντων.

Quære, an hi עדים זוממים dicendi ſint, de quibus *Talmudici* plurima, præſertim in tractatu *Maccoth*, cap. 1. זוממים vulgò redduntur *Falſi teſtes*, meritóque: & tamen eos, tanquam neceſſarios, numerat *Maimonides* in urbe iſta, ubi ſtatuitur Synhedrium viginti-triumvirale. *Quare*, inquit, *non ſtatuitur Synhedrium tale, niſi in civitate ubi ſunt homines* 120? *Nempe ut ſint* 23 *è Synhedrio, trésque claſſes hominum* 69: *&* 10 *viri rebus Synagogæ intenti:* 2 *Scribæ*, 2 *Epiſcopi*, 2 *Judicandi*, 2 *Teſtes*. שני זוממין ושני זוממי זוממין &c. Rei ratio obſcurior, hominum characterа hiſce exemplis ſume. *Dicunt teſtes, Nos teſtamur, quòd N. occidit N. Dicunt iis, Quomodo hoc teſtamini, cùm occiſus, aut occiſor fuerit nobiſcum in loco quodam iſto die. Iſti adhuc non ſunt* זוממים: *at ſi dicant, Quomodo hoc teſtamini, cùm vos fueritis nobiſcum iſto die*, &c. *Maccoth*, cap. 1. hal. 6. In quam *Miſhnam* ſic *Maimon. Teſtes teſtantur, Reuben occidit Simeonem: & poſteà veniunt Kohath & Huſhim*, והוזמו, *& improbant eorum teſtimonium; veniúntque poſteà teſtes alii, teſtantúrque idem cum prioribus, quòd nempe Reuben occidit Simeonem: & Kohath & Huſhim eorum teſtimonium etiam improbant; ſecundi, tertii, quarti etiam ſi mille advenirent, atque idem teſtarentur: ſi duo iſti ſic improbent, omnes morientur ex teſtimonio duorum iſtorum*, &c.

Erat

Erat etiam par teſtimonium in rebus aliis: ſic in *halacah* prima capitis citati: כיצד העדים נעשים זוממין *Quomodo teſtes fiunt* זוממים? *Teſtamur nos de N. quòd eſt filius fœminæ repudiatæ, &c. Non dicunt, Fiat hic filius repudiatæ pro eo, ſed vapulat quadraginta verberibus.* Obſcura ſatis verba; at hæc ſibi volunt. Cùm falſus teſtis ex Lege eadem paſſurus eſſet, quæ falſo ſuo teſtimonio in alium machinatus fuerat; hìc quæritur, in quibuſnam caſibus teſtis adeò reputandus eſſet falſus, ut talionem iſtam ſubiret: & reſpondetur, Non in omnibus; & adducitur hæc cauſa, Si teſtis quivis falſo teſtimonio aliquem legitimatione ſuâ privare vellet, conſequentérque privilegiis legitimationem comitantibus, dicens eum filium eſſe uxoris repudiatæ, quamvìs hic reverà eſſet עד זומם teſtis falſus, tamen talio ei rependenda non erat, atque ille non ſtatuendus filius etiam repudiatæ; ſed flagellandus erat. Sed in rebus capitalibus obtinuit, ut qui falſo teſtimonio necem alteri machinatus eſſet, ipſe necem pateretur.

VERS. 65. Τότε ὁ Ἀρχιερεὺς διέῤῥηξε τὰ ἱμάτια αὐτοῦ.

Maimon. in *Avodah Zarah*, cap. 2. *Cùm eloquuntur teſtes, qualem blaſphemiam audîerunt, tenetur unusquisque blaſphemiam audiens veſtimenta ſcindere.* Vide plura ibi.

Sanhedr. cap. 7. halac. 10. *Judicantes blaſphemantem interrogant primùm teſtem, & dicunt ei, Loquere planè quid audiviſti: cúmque ille effatur, Judices pedibus ſtantes ſcindunt veſtimenta ſua, & non reſuunt*, &c. Vide ibi *Gemaram Babylonicam* copioſè diſcutientem, quare in pedes exſurgant, quare ſcindant veſtimenta, & quare non liceat ea reſuere.

CAP.

CAP. XXVII.

VERS. 1. Πρωΐας δὲ γενομένης, &c.

PRemamus aliquantùm veſtigia hujus Synhedrii.

1. Noctem terunt judicando de capite. quod proprii Canonis cautione eſt omnino prohibitum, דיני נפשות דנין ביום וגומרין ביום *Judicia capitalia tranſigunt interdiu, & finiunt interdiu. Sanhedr.* cap. 4. hal. 1. Pecuniaria quidem, die incepta, nocte potuerunt determinari, quod ibidem aſſeritur; at capitalia non niſi die tractanda: at verò judicium hoc de capite *Chriſti* opus eſt noctis & tenebrarum; nocte inchoatum, & per totam ferè noctem agitatum.

2. Erat hæc nox veſpera diei Feſti, primi ſcilicet hebdomadis *Paſchalis*, quo tempore prohibitum etiam erat judicia exercere. *Moed Katon*, cap. 5. halac. 2. *Non judicant die Feſto.* In quas partes hìc eatur à Juridicis, non moleſti erimus recitando: ſcrupuli ſatìs injicitur ex ipſo hoc Canone, quem eximant iſti, qui præ odio ac virulentia erga *Chriſtum* proprios Canones videntur nihili facere, & pedibus conculcare.

3. Πρωΐας γενομένης, aderat tempus recitandorum Phylacteriorum, à prima ſcilicet aurora ad horam tertiam. *Berac.* cap. 1. halac. 2. At ubi hodie apud hos iſta religio? Num Phylacteria veſtra recitâſtis hoc manè, ô patres Synhedrii, ante conventionem in conſeſſu? Vobis alia res curanda [ut *Jeſum* ſcilicet malè perdatis,] aut curam precum è vobis expulit, aut certè charitatem è precibus.

4. Illucet jam יט׳ ראשון של הפסח *Dies primus Feſtus Paſchatis*, quo ſe ſiſtere in Templo ſunt ſoliti, ac munera ſua offerre, *Exod.* xxiii. 15. At quando & quomodo hoc ab iis præſtitum hodie? Cavent ab introitu in prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent *Chagigam*; [Vide *Joan.* xviii. 28. & *Chagigah*, cap. 1.] at vix comperias quodnam tempus ab iis huic rei hodie impenſum: nec quidem per Canonem quendam licuit illis quicquam iſto die comedere, *Nam, cùm Synhedrium quemquam morti adjudicavit, nè quicquam deguſtent illi iſto die. Bab. Sanhedr.* fol. 63. 1.

Συμβούλιον ἔλαβον, ὥστε θανατῶσαι αὐτόν.

Perpendatur illud in *Sanhedr.* loco antè citato, cap. 4. דיני ממונות דנין ביום וגומרין בלילה *De rebus pecuniariis judicant interdiu, & determinare possunt nocte. De capitalibus judicant interdiu, & finiunt interdiu. Judicia de pecuniariis absolvunt eodem die, sive sint mulctativa, sive absolutiva. Judicia de capitalibus finiunt eodem die, si sint ad absolutionem; si verò sint ad damnationem, finiuntur die sequente.* Rationem diversitatis hujus reddunt *Gemaristæ*, quos vide. Posterioris sic exprimunt, אשרי הדיין שמתבע את דינו *Beatus est Judex, qui fermentat judicium suum*: id est, ut Glossa, *Qui judicium suum moratur, & pernoctare facit, ut ventilet veritatem.*

Differentia inter דנין & גומרין major est, quàm fortè suspicatur Lector primo aspectu. Sub voce דנין totum judicii processum innuunt, examen actoris & rei & testium, receptionem suffragiorum Synhedrii, atque eorum conscriptionem per Scribas: גומרין nihil aliud designat, quàm processum ad sententiam definitivam. Differentiam clariùs intelligas ex Glossemate ad *Bab Sanhedr.* fol. 35. 1. In textu hoc decernitur, אין דנין לא בערב שבת ולא בערב יום טוב *Nè judicent vesperiis Sabbati, nec vesperiis diei Festi:* quod & repetitur in *Hieros. Chetub.* fol. 24. 4. & *Moed Katon*, fol. 63. 1. Ratio prohibitionis hæc est, Nè scilicet judicia inchoata vesperiis Sabbati, vel diei Festi, finiantur vel concludantur die Sabbato aut Festo: *quod quidem obtinet*, inquit Glossa, *in judiciis pecuniariis, cavetúrque nè sit scriptio:* [nam vel scribere literulam Sabbato prohibetur:] *at verò in judiciis capitalibus non obtinet eâ ratione; nam scripta erant suffragia absolventium, aut damnantium, die præcedente.*

Vides in historia Evangelica, 1. Judicium de capite *Christi* non absolutum unâ eâdémque sessione. 2. Absolutum die Festo.

VERS. 5. Ἀπήγξατο.

Strangulatus est: à Diabolo scilicet, qui eum jam per triduum inhabitaverat. Movent verba Petri, *Act.* i. 18. quò minùs de strangulatione sui hoc intelligam. Πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος.

Plurimùm

Plurimùm laborant interpretes, ut hæc ſuſpendio ſui bene aptent, quæ quidem non quadrabunt. Novi quidem vocem Ἀπήγξατο vulgò ad ſuſpendium ſui applicari, at non excludit ſtrangulationem alio modo. Et non poſſum ego [quod liceat bona cum antiquitatis venia.] non hiſtoriam hoc modo intelligere. Cùm jam, poſt projectos in Templo, proditionis ſuæ nummos, recederet ad ſuos reverſurus, raptum eum in ſublime Diabolus, qui in ipſo habitabat, ſtrangulavit ac præcipitem dedit, ità ut ad terram alliſus rumperetur medius, atque effunderentur ilia, & tam horrendo exitu egrederetur Diabolus. Conſonant hæc certè optimè, cum verbis *Petri* allatis, atque etiam cum iis, quæ ſequuntur, *Innotuit hoc omnibus habitantibus Hieroſolymis.* Conſonant etiam optimè cum nebulonis nequiſſimi de merito, & cum titulo *Iſcariotæ.* Facinus, quod perpetrârat, fuit ſupra omne exemplum, fuit & hoc genus mortis ſupra omne exemplum. Exempla plurima habuit ſuſpendium ſui, & *Hieroſolymitanos* non tam ad ejus obſervationem excitaret quàm hæc ſuffocatio & præcipitatio, quam nos ſupponimus, horrenda ſupra modum, rara ſupra exemplum. Vide ſis quæ diximus de voce *Iſcariota* ad caput decimum.

VERS. 9. Τὸ ῥηθὲν διὰ Ἱερεμίου τοῦ Προφήτου.

Ut torſerit interpretes hic locus, unus pro multis loquatur clariſſimus *Beza. Hic nodus vetuſtiſſimos quoſque interpretes torſit: quia viz. teſtimonium ex Zacharia ſumptum eſt, non ex Jeremia; ut planè videatur eſſe ἀμάρτημα μνημονικόν: ſicut cenſet* Auguſtinus *libro* De Conſenſu Evangeliſtarum *tertio, capite ſeptimo, itémq;* Euſebius Ἀποδείξεως *libro viceſimo. Quòd ſi quis hunc errorem malit vel librariis tribuere, vel (quod potiùs arbitror) alicujus imperitiæ, qui Jeremiæ nomen aſcripſerit, cùm Evangeliſta, ut alibi ſæpe, ità etiam hoc loco tantùm ſcripſiſſet:* διὰ τοῦ Προφήτου; *neceſſe tamen eſt, ut fateamur jam olim hunc errorem in ſacros codices irrepſiſſe, quod expreſsè dicit Hieronymus,* &c.

Aſt ego [quod pace tantorum virorum dictum velim] vel literulam quidem unam aut notham eſſe, aut inſcio Evangeliſtâ irrepſiſſe non ſolùm nego, ſed à *Matthæo* ſic, utì legimus, ſcriptum *Jeremiam,* à ſuis promptiſſimè intellectum receptumque fuiſſe, ſtrenuè aſſero; exſcripto hoc è *Talmudicis* vetuſtatis monumento, penès lectorem eſto judicium.

Bab. Bava Bathra, fol. 14. 2. *Traditio Rabbinorum. Hic eſt ordo Prophetarum. Liber Joſuæ, Judicum, Samuelis, Regum, Jeremiæ, Ezekielis, Eſaiæ, & duodecim.* Et paulò póſt. *Cùm autem tempore præceſſerit Eſaias Ieremiam, atque Ezekielem, præponendus ritè eſſet Eſaias:* כיון דמלכים סופיה חורבנא *Cùm verò liber Regum terminaret in excidio* וירמיה כוליה חורבנא *Jeremiásque totus agat de excidio, cúmque initium Ezekielis ſit de excidio, finiatúrque in conſolatione, cúmque totus Eſaias ſit de conſolatione,* סמכינן חורבנא לחורבנא ינחמתא לנחמתא: *Conjunxerunt excidium cum excidio, & conſolationem cum conſolatione:* id eſt, libros qui egerunt de excidio conjunxerunt, & libros conjunxerunt qui egerunt de conſolatione.

Traditionem hanc citatam habes à *Dav. Kimchio* in præfatione ad *Jeremiam*. Unde patet apertè *Jeremiam* in volumine Prophetarum olim primum locum obtinuiſſe: atque hinc ejus memoria præ omnibus aliis Prophetis, *Matth.* xvi. 14. quia ille primus inceſſit in volumine Prophetarum nominatur ille primus; cùm ergò textum *Zachariæ* ſub nomine *Jeremiæ* proferat *Matthæus*, verba è volumine Prophetarum citat tantùm, ſub iſtius nomine, qui primum locum tenuit in volumine Prophetarum. Cujus farinæ eſt etiam illud *Salvatoris*, *Luc.* xxiv. 44. *Complenda ſunt omnia quæ de me ſcribuntur in Lege, Prophetis & Pſalmis. In Pſalmis*; id eſt, in libro Hagiographorum, in quo primum locum obtinuit liber *Pſalmorum.*

VERS. 16. Βαραββᾶν.

בר אבא Nomen apud *Talmudicos* uſitatiſſimum. *R. Samuel Barabba* & *R. Nathan Barabba. Hieroſ. Moed katon*, fol. 82. 1. *Abba bar Abba.* אבא בר אבא *Bab. Berac.* fol. 18. 2. *Hieroſolymitanè* frequentiſſimè profertur בר בא *Bar Ba, Simeon Bar Ba. Taanith*, fol. 66. 1. *R. Chaijah bar Ba. Chagigah*, fol. 76. 6. &c. Hoc in mentem illud revocat, quod refert *Joſephus* actum in obſidione urbis. Σκοποὶ ὁπὸ τὴν πύργων καθιζόμενοι σφενδόνην, ὁπόταν καθεὶη τὸ ὄργανον, καὶ ἓν πέτρα φέροιτο τὴν παχεῖαν γλῶτταν βοῶντες, ἀφίεσαν ἔρχεται. *De bel.* lib. 5. cap. 18. Cùm torquerentur ſa-

xa

xa immania à *Romanorum* baliſtis in urbem, inſidentes quidam in turribus, ſigno præmonuerunt civibus ut caverent, hoc clamantes vulgari Dialecto, *Filius venit*, id eſt, בר בא. Filius quidem hominis tunc venit, in gloria juſtitiæ & vindictæ ſuæ quod ſæpe prædixerat gentem iſtam nequiſſimam perditiſſimámque perditurus.

VERS. 19. Μηδέν σοι καὶ τῷ δικαίῳ ἐκείνῳ.

לא ליהוי לך עסק רברים בהרי צריק.

Bab. Taanith, fol. 25. 2. *Cùm aggrederetur Rex Sapores Rabbam affligere, miſit ad eum mater ejus dicens,* לא ליהוי לך עסק רברים בהרי יהורא׳ *Nihil tibi ſit cum iſto Judæo*, &c.

VERS. 26. Τὸν δὲ Ἰησοῦν φραγελλώσας παρέδωκεν ἵνα σταυρωθῇ.

Sic mos *Romanorum* cum crucifigendis.

Joſephus de bell. lib. 2. cap. 25. Οὓς μάστιξι πρασκισάμενος ἀνεσταύρωσεν. Et paulò póſt. Μαστιγῶσι πρὸ τοῦ βήματος καὶ σταυρῷ προσηλῶσι.

VERS. 29. Κάλαμον ἐπὶ τῷ δεξιᾷ.

Vide quæ fingantur apud *Tanchum*, fol. 59. 4. de Angelo viſo in ſpecie *Solomonis*: וקנרא בירו *In cujus manu arundo*, ומכין אותו בקנרא *Et quem calamo percuſſerunt.*

VERS. 31. Ἀπάγαγον αὐτὸν ἐξω τοῦ σταυρῶσαι.

Traduntur hæc in *Sanhedrim*, cap. 6. halac. 2. de reo lapidationis: *ſi non inveniatur pro eo defenſio, educunt eum ad lapidandum, & præivit præco ſic clamans, Prodit N. filius N. ad lapidationem, quia talia commiſit: teſtes in eum ſunt N. & N. quicunq; pro eo defenſionem proferre poteſt, prodeat & proferat.*

In quæ ſic *Gemara Babylonica*. *Traditio eſt veſperâ Paſchatis ſuſpenſum fuiſſe Jeſum, præiiſſéque præconem per quadraginta dies ſic dicentem, Prodit iſte lapidandus, eò quòd præſtigias egit,*

& perſuaſit & ſeduxit Iſraelem; quicunque novit pro eo defenſionem, prodeat & proferat: at non invenerunt pro eo defenſionem, ſuſpenderunt ergò eum veſperâ Paſchatis. Dicit Ulla, Contrarius ille videtur defenſioni, cùm eſſet ſeductor, dicátque Deus, Non parces ei, nec de eo celabis, [*Deut.* xiii.]

Lapidandum eduxerunt è civitate, *Act.* vii. 58. ità etiam crucifigendum.

Gloſſa in *Bab. Sanhedr.* fol. 42. 2. *Locus lapidationis erat extra tria caſtra; nam Hieroſolymis erant tria caſtra* [Dei ſcilicet, Levitarum, & populi; prout in caſtrametatione in eremo.] *Atq; etiam in unaquaque civitate, ubi Synhedrium* [viginti-triumvirale] *locus lapidationis erat extra urbem. Omnes enim civitates, muris cinctæ, paritatem habent ad caſtra Iſraelis.*

Eò quòd à tribunali *Ethnico* judicatus, *Jeſus* morte Synhedrio *Judaico* inuſitatâ plectitur, nempe crucifixione. In variis circumſtantiæ atque actiones mortem ejus comitantes diſcrepabant à more *Judæorum* circa plectendos capite.

1. אין דנין שנים ביום אחד: *Non judicant duos eodem die. Sanhedr.* cap. 6. hal. 4. Aſt hìc præter *Chriſtum* duos latrones.

2. Suſpendendum non ad ſuſpendium adegerunt, uſque dum propè adeſſet occaſus Solis. Ibid. in *Gemara.* משהין אותו עד סמוך לשקיעת החמה ונומרין את דינו וממיתין אותו: *Morantur, uſq; dum propè adſit occaſus Solis, & tunc judicium ejus perficiunt, eúmq; interficiunt.* Redditúrque ratio à Gloſſatore, *Non perficiunt judicium ejus, neque eum ſuſpendunt manè, nè pigreſcerent circa ejus ſepulturam, inciderénteque in oblivionem* [& penderet ille poſt occaſum Solis.] *Sed propè ad occaſum Solis, ità ut citò eum ſepeliant.* At *Chriſtus* de capite judicatus ante meridiem, & meridie ad crucem adactus: nam

3. ממיתין אותו ואחר כך תולין אותו. *Damnatum primò morte mulctârunt, & dein in arbore ſuſpenderunt: at mos regni* [Romani] *primùm ſuſpendere, & indè morte mulctare,* ibid.

4. Eductos ad ſupplicium capitis non apertè luxerunt; at *Jeſum* apertè, *Luc.* xxiii. 27, 28. Ratio hujus diſcrepantiæ non petenda à genere mortis, ſed à perſonis.

לא היו מתאבלין אבל אונגין שאין אנינות אלא בלב

Non planxerunt eductum ad ſupplicium, ſed interiùs luxerunt in corde. Ibid. rationem miraberis, quam ſic reddit Gloſſema. *Non apertè de eo planxerunt eâ ratione, ut ejus vilificatio* [cùm nemo eum aperte plangeret] *accreſceret in ejus expiationem: at corde luxerunt eum; nam hoc non in honorem ei ceſſit, ità ut indè nihil impedimenti eſſet ejus expiationi.*

Meliùs edocti iſti, qui *Chriſtum* planxerunt, & de re & de perſona.

VERS. 33. Γολγοθᾶ.

Perperàm ſcriptum hoc eſſe aſſerit *Beza* pro Γολγαθᾶ, ſcriptum tamen ità in omnibus codicibus. At perperàm cavillatur vir bonus, cùm eliſio iſtiusmodi quarundum literarum in vocibus plurimis Syriacæ linguæ non fuerit aliena. Ipſiſſimam hanc vocem ità prolatam habes abſque λ ſecundo ab interprete *Samaritico*, *Numerorum* capite primo.

VERS. 34. Ἔδωκαν αὐτῷ πιεῖν ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον.

Bab. Sanhedr. fol. 43. 1. *Prodeunti ad ſupplicium capitis potum dederunt, granum thuris in poculo vini, ut turbaretur intellectus ejus* [id eſt, ut mente excederet.] *Sicut dicitur,* Date ſiceram perituro, & vinum iis qui amaro ſunt animo, *&c. Traditióque eſt, Fœminas generoſas Hieroſolymitanas hoc è ſpontaneo ſumptu ſuo exhibuiſſe,* &c.

At quod ſcrupulum parit, *Matthæo* eſt ὄξος μετὰ χολῆς, *Marco* Ἐσμυρνισμένον οἶνον. Si vinum; unde vocatur ὄξος? ſi vinum myrrhâ mixtum; unde χολή?

Reſp. Videntur verba *Marci* pro more gentis intelligenda, *Matthæi* pro re reverà præſtita. *Marcum* ſic intelligo, Dederunt ei pro more gentis poculum illud, ad ſupplicium ductis dari ſolitum; aſt [quod *Matthæus*] non eâ, quâ ſolitum, mixturâ, vino ſcilicet, & thure, aut myrrhâ; ſed in majus ludibrium, atque ex acriore virulentia, aceto & felle. Ità ut conditum hoc poculum arbitremur, non tam à fœminis honeſtioribus, morientis miſerentibus, quàm ex induſtria à *Scribis*, reliquíſque *Chriſti* perſecutoribus, omnimodam ei contumeliam & vexationem machinantibus. In hac amphora

amphora ſpongiam, ut videtur, poſteà tinxerunt: vide verſum quadrageſimum octavum.

VERS. 35. Διεμερίσαντο τὰ ἱμάτιά μου.

De lapidando ſic refertur *Sanhedr.* cap. 6. hal. 3. *Cùm jam quatuor cubitis à loco lapidationis abeſſet, denudant eum veſtibus, virúmque tegunt à parte priori* [id eſt, pudenda] *fœminámque & à priori & à poſteriori: hæc ſunt verba R. Judæ; at Sapientes dicunt, Vir lapidatur nudus, at fœmina non nuda.* Ità etiam, ut ſatìs videtur, nudatum crucifixerunt.

VERS. 38. Δύο λῃσαί.

Vide apud *Joſephum*, quinam tunc temporis vocarentur Λῃσαί: quantúmque ſudoris atque operæ inſumptum à procuratoribus *Judææ*, ut dirum hoc hominum genus cohiberent, extingueréntque.

De bell. lib. 2. cap. 6. Ἐξελάας ἀρχιλῃστὴς χειρωθεὶς ὑφ' Ἡρώδου.

Ibid. Σίμων τις πειθὼν μεθ' ὧν ἤρχοντο λῃστῶν τὰ ἐν Ἰερειχοῖ καταπίμφρησι βασίλεια, &c.

Ib. cap. 22. Φίλιξ ἀρχιλῃστὴν Ἐλεάζαρον, ἔτεσιν εἴκοσι τὴν χώραν δῃωσάμενον, καὶ πολλὰς τὰς σὺν αὐτῷ ζωγρήσας ἀνέπεμψεν εἰς Ῥώμην.

Ib. cap. 23. Ἕτερον εἶδον λῃστῶν ἐν Ἱεροσολύμοις ὑπηρέτην, οἱ καλεμένοι Σικάριοι, μεθ' ἡμέραν καὶ ἐν μέσῃ τῇ πόλει φονεύοντες ἀνθρώπους, &c.

In *Bab. Bava Mezia*, fol. 83. 2. datur regula, & præſcribitur ars detegendi prædones atq; prehendendi. *Adi tabernas horâ quartâ* [Gloſſa, Iſta erat hora comeſtionis, adìerúntque omnes tabernas, ut comederent] *ſique hominem illìc videris bibentem vinum, tenentémque manu poculum, & dormientem*, &c. *fur iſte eſt; eum prehendito*, &c.

Inter monſtra turbarum *Judaicarum*, exciſionem urbis præcedentium, primam ferè animadverſionem meritò ſibi vindicat multitudo τῶν λῃστῶν, atque horrendæ ſtrages ab iis perpetratæ. Quas, poſt juſtam in gentem iſtam nefandiſſimam Dei vindictam, variis originibus meritò aſcribas.

1. Nil

1. Nil mirum eſt, ſi undique & undique juventute vagabundâ, diſſolutâ, facinorosâ, ultra modum ſcateret iſta natio, cùm per Polygamiam populi, atque uxorum pro arbitrio repudia, & gentis laſciviam infandè protervam & ad ſcortationes prorumpentem, non naſci affiduè non potuerunt ſpurii, atque partus ad mendicitatem ſolùm nati, aut rapinam; quippe quibus nec victus, nec ingenua educatio.

2. Stolida atque impia Synhedrii lenitas non potuit non enutrire omnimodam ſceleſtorum progeniem, cùm vix, aut nè vix, quemquam, quamvìs ſceleſtiſſimum, capite plecterent; eò quòd eſſet *Iſraelita*, quem noli tangere.

3. Zelotarum pugnandas in jugum *Romanum* ſtudioſa in hoc tantùm fuit, ut *Romanos* peſſumdarent, atque iſti jugo ſe dedentes *Judæos* malè tractarent.

4. Licentiam iſtiusmodi rapinis non rarò conceſſerunt Procuratores *Judææ*, ut propriis fuſtibus contundere poſſent populum exoſum, atque in tumultus aſſidnè concitatum; atque aliquid indè ſibi de præda rapta prædarentur. Sic de *Floro Joſephus*, (*De bell.* lib. 2. cap. 24.) Δήμους ἀθρόους ἐλυμαίνετο, καὶ μόνον οὐκ ἐκήρυξεν ἀνὰ τὴν χώραν πᾶσιν ἐξεῖναι ληστεύειν, ἐφ' ᾧ μέρος αὐτὸς λάφυρα.

Sic è propriis viſceribus prodìit gladius in propria ſtrictus viſcera.

VERS. 39. Κινῆσαι τὰς κεφαλάς.

קלות ראש *Rabbinis* irreverentiam denotat & levitatem.

VERS. 46. Ἠλὶ, Ἠλὶ, λαμὰ σαβαχθανί.

1. Soluta in *Chriſtum* ſcilicet tunc temporis fuit omnis vis turbáque Orci, effrænata atque abſque catena: Ἐξουσία τοῦ σκότους ipſe vocat *Luc.* xxii. 53. Deus, qui olim prædixerat ſerpentem contriturum calcaneum ſeminis promiſſi, [adeſt autem jam nunc id temporis] catenas Diaboli laxaverat, [quas manu ſuâ, quoad homines, retinere ſolet providentia divina] ità ut liberè, atque abſque reſtrictione, in *Chriſtum* inſiliat tota vis, totáque virulentia inferorum; collectúmque in unum, & convocatum totum odium Diaboli in omnes electos Dei uno ictu atque inſultu in *Chriſtum* vibretur abſque modo & menſura.

2. Tormina ergò iſtiuſmodi perſentiſcens beatiſſimus *Salvator*, quæcunque in eum accumulare poterant vel ipſe Tartarus, vel Tartari machinæ, homines in nequitiam & crudelitatem conjuratiſſimi, ſub acerbitate præſentis providentiæ ingemiſcit, *Deus mi, Deus mi, Quare me tradidiſti, ac dereliquiſti iſtiusmodi inſultibus, amaritudinibus, ac manibus?*

Eſtheram ejaculatione pari utentem introducunt *Talmudici* in *Bab. Megillah*, fol. 15. 2. quod & citatur in Gloſſemate ad *Toma*, fol. 29. 1. *Stetit Eſthera in atrio palatii interiori. Dicit R. Levi, Cùm ad Idoleum jam appropinquaret, receſſit ab ea divina gloria: dixit ergò illa, Eli, Eli, lamma Azabhtani.*

VERS. 47. Ἡλίαν φωνεῖ οὗτος.

VERS. 49. Ἴδωμεν, εἰ ἔρχεται Ἠλίας σώσων αὐτόν.

Chriſtum Syriacâ dialecto hìc uſum ſatìs arguit vox Σαβαχθανί; at vox, *Eli, Eli*, parùm *Syriſſat*: hinc error ac prava interpretatio aſtantium. *Syrè* dixiſſet מרי מרי *Mari, Mari*: aſt *Eli Syris* inuſitatior; hinc deceptio auditorum, qui de apparitionibus *Eliæ* plùs nimio è fabulis edocti, & vocis ambiguitate decepti, *Chriſtum* ſtultitiâ gentis & errore laborâſſe autumabant, auxiliúmque *Eliæ* implorâſſe, quod deluſo populo non alienum erat exſpectare.

VERS. 51. Τὸ καταπέτασμα τοῦ ναοῦ ἐσχίσθη εἰς δύο, &c.

Audiantur de hoc Catapetaſmate Patres Traditionum.

Middoth, cap. 4. hal. 7. *Murus Pronai erat quinque cubitorum*, Πρόναον *ipſum undecim. Murus Templi ſex, & fanum quadraginta* אמה טרקסין *Unius cubiti* Τάραξις, *atque adytum viginti.*

Quid ſibi velit Τάραξις, elucidet *Maimonides* in *Beth habbechirah*, cap. 4. *In Templo primo paries erat unum cubitum craſſus, ſeparans inter Sanctum & Sanctum Sanctorum: cùm verò Templum ſecundum exſtrueront, dubitatum ab iis eſt, num parietis iſtius craſſitudo æſtimanda eſſet de menſura Sancti, an de menſura Sancti Sanctorum: confecerunt ergò Sanctum Sanctorum viginti cubitorum completorum, Sanctúmque quadraginta cubitorum completorum, cubitúmque vacuum inter Sanctum & Sanctum Sanctorum reliquerunt, parietémque illìc in Templo ſecundo non exſtruxerunt:*

at

at duo aulæa confecerunt, unum contiguum Sancto Sanctorum, atq; alterum Sancto; inter quæ erat cubitus vacuus, pro craſſitudine parietis, qui fuerat in Templo primo, in quo non erat niſi Catapetaſma unum.

Joma, cap. 5. halac. 1. *Progreditur* [Pontifex maximus die Expiationis] *in fano, uſque dum appelleret ad duo aulæa ſeparantia inter Sanctum & Sanctum Sanctorum; inter quæ erat cubitus. R. Joſi dicit, Non erat ibi niſi aulæum unum; ſicut dicitur, Et ſeparabit vobis aulæum inter Sanctum & Sanctum Sanctorum.* In quæ verba ſic *Gemara Babylonica*, fol. 51. 2. *Rectè dicit R. Joſi Rabbinis, Rabbinique tibi: de tabernaculo ſcilicet ille; atque illi de Templo ſecundo; in quo cùm non eſſet paries intergerinus, qualis erat in primo; hæſitatum eſt de ejus ſanctitate, an ſcilicet ad interiorem Templi partem referendus eſſet, an ad exteriorem: atque ideo confecerunt duo aulæa.*

Cùm ergò hac in re turbarentur mentes eorum, neſciæ utrùm ad fanum, an ad adytum appenderent aulæum; atque utrùm ad hoc, an ad illud pertineret locus iſte inter utrumque vacuus, cubitum unum craſſus: locum ipſum Græcâ voce Τάραξιν vocârunt [ut planè autor *Aruch*] duóque aulæa appenderunt, nè in hanc vel illam partem peccarent.

Miraberis itaque *Matthæum* καταπέτασμα plurali non dixiſſe, aut forſan opinaberis unum tantùm ex his duobus aulæis ſciſſionem paſſum, non utrumque: at ſatis fuit Evangeliſtis *Matthæo* & *Marco*, qui mirum hoc memorant, hoc indigitâſſe, fiſſum & ruptum fuiſſe intergerinum iſtud repagulum, à quo obſeptum eſt Sanctum Sanctorum, & à conſpectu, & ab aditu. Hoc eſt, quod illi volunt, non ſoliciti de particularibus explicandis, ſed contenti rem ipſam declarâſſe. Aderat fortè in Templo, iſthoc ipſo momento cùm prodigium hoc occurreret, Sacerdos iſte, qui ſuffitum iſtâ veſperâ faceret; cúmque ille egreſſus populo attonitus nuntiaret, Ἐσχίσθη τὸ καταπέτασμα τοῦ ναοῦ, facilè intelligeretur de aditu rupto in Sanctum Sanctorum, ſtupendâ & prodigioſâ aulæorum ſciſſione. Confer *Hebr.* x, 19, 20.

Cùm in adytum ingrederetur ſummus Pontifex die Expiationis, à parte aulæi exterioris Auſtrali introïit, atque Septentrionali interioris; [*Joma* ubi anté.] jam verò finditur utrumque in ipſo medio, ídque à ſummo ad imum.

VERS. 52. Καὶ πολλὰ σώματα τῶν κεκοιμημένων ἁγίων ἠγέρθη.

Sciſſionem aulæorum vix terræ-motui adſcribas, ſed peculiari alteri miraculo: cùm terræ-motui magìs congruat dura rumpere quàm mollia, petras potiùs quàm cortinas. Petræ ab eo ſciſſæ ſunt eò loci, ubi effoſſa fuerant ſepulchra, ità ut apertæ jam fuerint januæ reſurrectionis, ſolutáque vincula ſepulturæ, &quaſi parata ad reſurrectionem cadavera, cùm *Chriſtus*, primitiæ è mortuis, reſurrexerit.

Inchoandum à reſurrectione mortuorum regnum *Meſſiæ* ſomniârunt *Judæi* [quod notavimus anteá:] inaniter quidem, quod ad ſenſum ſuum; at, quod ad rem ipſam, non abſque aliqua veritate: nam & à reſurrectione *Chriſti* exſurgit epocha inſignis regni cœlorum, ut diximus anté; [quod & ipſe verbis iſtis innuit, *Matth.* xxvi. 29.] & cum reſurgente eo reſurrexerunt etiam alii non pauci.

Quid illi de reſurrectione in diebus *Meſſiæ* futura ſenſerint, præter ea, quæ antè protulimus, uno hoc exemplo vide & ride.

Hieroſ. Chetubboth, fol. 35. 1. *Juſſit R. Jeremia, Cùm me ſepelitis, induite pedibus meis calceos, & baculum date in manum meam, méque in latus unum reponite, ut cùm advenerit Meſſias ſim expeditus.*

VERS. 54. Ἀληθῶς Θεοῦ υἱὸς ἦν οὗτος.

Id eſt, *Verè Meſſias hic erat.*

Utcunque *Judæi* Filium Dei negant eo ſenſu, quo nos agnoſcimus, id eſt, ſecundam perſonam in Sacroſancta Trinitate; *Meſſiam* tamen pro Filio Dei agnoverunt [non naturâ quidem, ſed adoptione & deputatione: vide *Matth.* xxvi. 63.] ex locis iſtis, I *Paral.* xvii. 13. *Pſal.* ii. 12. & lxxxix. 26, 27. atque iſtiusmodi. Didicerat hoc à gente, verſans inter eam, hic Centurio, viſísque miraculis, quæ mortem *Chriſti* ſunt comitata, *Meſſiam* eum agnoſcit, de quo talia ac tanta audîerat à *Judæis*. Apud *Lucam* verba ejus hæc proferuntur, cap. xxiii. 47. Ὄντως ὁ ἄνθρωπος οὗτος δίκαιος ἦν, quæ non eadem eſſe cum his, quæ ſub manibus, arbitramur; ſed & hæc ab eo prolata, & illa, *Verè hic homo juſtus erat*; *Verè hic erat Meſſias, filius Dei*: ejuſmodi ſunt verba iſta *Nathanaelis*, *Joann.* i. 49. *Tu es Filius Dei, Tu es Rex ille Iſraelis. Petrus*, cùm *Chriſtum Filium Dei viventis* pronuntiat, *Matth.* xvi. 16. ſublimiori ſenſu hoc profert, quàm agnoverunt, aut noverunt *Judæi*; ut diximus ibi.

VERS.

VERS. 56. Μαρία ἡ Μαγδαλωνή.

Magdalenam eandem fuiſſe cum *Maria* ſorore *Lazari*, pluribus aſtruit *Baronius* (*Annal.* ad annum *Chriſti* 32. pag. 147, 148, &c.) quem vide. Satis ex hoc ipſo loco confirmatur: nam, ſi *Maria Magdalena* eadem non fuerit cum *Maria* ſorore *Lazari*, tum aut non affuit *Maria* ſoror *Lazari* ad crucem *Chriſti*, atque ad ejus ſepulturam, aut ſilentio præteritur ab Evangeliſtis; quod utrumque incredibile. Unde *Magdalena* ea dicta fuerit, non adeò clarè liquet: an à *Magdala*, oppido ad lacum *Geneſariticum*, an à voce מגרלא quæ plicaturam, aut cincinnationem, crinium denotat, meretricibus uſitatiſſimam.

Videamus ea, quæ apud *Talmudicos* occurrunt de מרים מגרלא, quam dicunt matrem fuiſſe *Ben Satdæ*.

Bab. Sanhedr. fol. 67. 1. *Lapidârunt filium Satdæ in Lydda, & ſuſpenderunt eum in veſpera Paſchatis. Hic autem filius Satdæ, fuit filius Pandiræ. Dixit quidem Rabh Chaſda, Maritus* [matris ejus] *fuit Satda, maritus Pandira, maritus Papus filius Judæ: ſed tamen dico matrem ejus fuiſſe Satdam,* מרים מגרלא נשיא *Mariam videlicet, plicatricem capillorum mulierum: ſicut dicunt in Pombeditha,* סטת דא מבעלה *Declinavit iſta à marito ſuo.*

Recitantur hæc etiam in *Schabbath*, fol. 104. 2.

Chagigah, fol. 4. 2. *Rabh Bibai, cùm eſſet quondam apud eum Angelus mortis, dixit ad legatum ſuum, Abi,* אייתי לי מרים מגרלא שיער נשיא *Adduc mihi Mariam plicatricem* [capillorum] *mulierum. Abiit, & adduxit* מרים מגרלא דרדקי *Mariam, plicatricem* [capillorum] *juvenum*, &c.

Gloſſa. *Angelus mortis recitavit quid fecerat anteà: nam hiſtoria hæc de Maria, plicatrice capillorum mulierum fuerat ſub Templo ſecundo; nam illa fuit mater* ☞ *N. ſicut dicitur in Schabbath.* Vide Gloſſam ibi ad locum antè citatum.

Gittin, fol. 90. 1. *Eſt qui muſcam in poculo ſuo reperit, atque eximit, & non vult bibere. Eo modo fecit Papus ben Judæ, qui oſtium in uxorem ſuam ſeravit, atque exiit.*

Ubi ſic Gloſſatores. *Papus ben Judæ fuit maritus* מרים מגרלא

מגרלא נשיא *Mariæ, plicatricis capillorum mulierum; cúmq; ille è domo exiret in plateam, oſtium in uxorem ſeravit, nè ea cum quoquam colloqueretur; quod quidem ab eo fieri non oportuit: atque hinc inter eos orta eſt diſcordia; atque ipſa in adulteria prorupit.* Vide *Alpheſium* in *Gittin*, fol. 605.

בן סטרא ego *Ben Satda* pronuntio, non ignarus eum à viris doctiſſimis *Ben Stada* vocari. Rationem prolationis noſtræ ex hoc petimus, quòd vocatum eum comperiamus בן סוטרה *Ben Sutdah* ab *Hieroſolymitanis*, *Sanhedr.* fol. 25. 4. cum quo magis concinit vox *Satda*, quàm *Stada*. Pari conſonantiâ iidem idem oppidum & מגרלא *Magdalam* vocant & מוגדלא *Mugdalam*, quod obſervamus alibi.

Prout illi ſub nomine *Ben Satda* contumeliam ac opprobrium illidunt in *D. Jeſum*, ità grandis eſt ſuſpicio eos ſub nomine מרים מגרלא opprobrium etiam recognoſcere *Mariæ Magdalenæ*. Titulus iſte, quo *Mariam* ſuam inſignierunt, cum hoc noſtro ità conſonat, ut meritò ambigas, an ea *Magdalena* dicta fuerit ab oppido *Magdala*, an à voce iſta *Talmudicorum* מגרלא. Doctis decernendum relinquimus.

VERS. 56. Ἰωσῆ.

יוסי Nomen inter *Talmudicos* uſitatiſſimum. *Hieroſ. Jevamoth*, fol. 2. 2. *Quinque vocati ſunt* בי ר' יוסי *Iſmael, Lazar, Menahem, Chelpatha, Abdimus.*

Ibid. fol. 4. 3. *R. Joſe ben R. Chaninah*, &c. Vide *Juchaſin*, fol. 61. & 62.

Meritò quæras, quare *Maria* iſta vocetur mater *Jacobi* & *Joſe*, ac non etiam *Judæ*, ac *Simonis*, ut *Marc.* vi. 3.

VERS. 58. Ἠτήσατο τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ.

Suſpenſo non permiſſa eſt pernoctatio in ligno, *Deut.* xxi. 23. imò nec pernoctatio abſque ſepultura. *Sanhedr.* cap. 6. halac. 5. כל המלין את מתו עובר בלא תעשה: *Quicunque mortuum pernoctare facit inſepultum, violat præceptum prohibitivum. Atqui humatio interfecti à Synhedrio non fuit in ſepulchris patrum ejus, ſed duo ſepulchreta erant parata à Synhedrio, unum occiſis gladio & ſtrangulatis, alterum lapidatis* [qui etiam ſuſpendebantur]

&

& combuſtis. Illic ſepeliendus ex more *Jeſu*, ni *Joſephus* piè audax à *Pilato* imploraſſet, ut honeſtiùs humaretur: quod vix præ ejus odio permiſiſſent Patres Synhedrii, ſi rogati: & tamen ab iis non negabatur honor funerationis eorum, qui ab iis ſunt interfecti; ſi modò vilis ſepultura in dedecus cederet ipſorum familiæ. Ipſi mortuo in melius cedere arbitrabantur, ſi viliùs tractaretur poſt mortem; ſi non deplangeretur, ſi non humaretur, &c. nam ex hac vilificatione aliquid expiationis ei accreſcere ſomniabant; ut vidimus anté. Et tamen, ne hinc vileſceret ejus familia, eâ rogante, conceſſus eſt honor funebris. Vide *Bab. Sanhedr.* fol. 46. 2. & 47. 1.

CAP. XXVIII.

VERS. 1. Ὀψὲ δὲ σαββάτων.

Hieroſolymitanis בפוקי שובא. vulgò במוצאי שבת *Avodah Zarah*, fol. 44. 4. חדא ערובתא שובא *Veſperâ quâdam Sabbati* [Sabbatum ſcilicet inchoante] *non inventum eſt aliquod vinum intra totam Samariam:* בפוקי שובא *In exitu autem Sabbati inventum eſt affatim, ex eo quòd attulerant Aramæi, receperántque Cuthæi.* Ὀψὲ totam noctem denotat.

Εἰς μίαν σαββάτων.

Sic dies hebdomadis numerant *Judæi.*

בשבא { אחד } *Bab. Maccoth*, fol. 5. 1. *Adveniunt duo* { בחד בשבא *Primâ* תרי } *teſtes, dicúntque,* { ובתרי *Sabbati furatus eſt iſte*, &c.

בשבא *& ſecundâ Sabbati conſummatum eſt judicium ejus.*

שלישי בשבת. *Virgo ducitur in uxorem die hebdomadis quarto; nam curatur de convivio* אחד בשבת *Die primo hebdomadis.* שני בשבת *Die ſecundo hebdomadis.* שלישי בשבת *Et die tertio hebdomadis. Bab. Chetub.* fol. 2. 1.

רביעי

ברביעי בשבת *Quartâ Sabbati eum ſegregârunt, qui combuſturus erat vaccam rufam.* Gloſſa in *Parah*, cap. 2.

בחמישי בשבת. *Hieroſ. Megill.* fol. 75. 1. *Inſtituit Ezra, ut Legem publicè legerent diebus Sabbati ſecundo & quinto,* &c. *Inſtituit ille ſeſſionem Iudicum in civitatibus diebus ſecundo & quinto.*

Inſtituit etiam Ezra, ut veſtes lavarent בה' בשבת *quinto Sabbati. Bab. Bava Kama*, fol. 82. 1.

Sextum diem vulgò vocârunt ערב השבת *veſperias Sabbati.*

Ibid. *Ut veſtes lavarent quinto Sabbati, & cepe comederent veſperiis Sabbati.*

Id. fol. 37. 2. חמישי בשבת וערב שבת ושבת. *Quinto Sabbati* [vel, *hebdomadis*] *& veſperiis Sabbati & Sabbato.*

Diem hebdomadis primum, qui jam in Sabbatum vel Dominicum transiit, *Talmudici* vocant יום נוצרי *Diem Chriſtianorum*, vel *Chriſtianum.*

Bab. Avodah Zarah, fol. 6. 1. & 7. 2. יום נוצרי לעולם אסור. *Die Chriſtianorum ſemper prohibitum eſt* [*Iudæo* cum *Chriſtiano* negotiari]. Ubi ſic Gloſſa. נוצרי *Nazareus*, vel *Chriſtianus, is eſt, qui errorem ſequitur iſtius viri, qui iis præcepit,* לעשות להם יום איר בא' בשבת *ut ſibi ſacrum facerent primum diem hebdomadis: & ſecundùm verba Iſmaelis, ſemper prohibitum eſt cum iis negotiari tribus diebus ante iſtum diem, & tribus eum ſequentibus; id eſt, nè quidem per totam ſeptimanam.*

Præterire hìc non poſſumus verba Gloſſatorum in *Bab. Roſh haſhanah*, fol. 22. 2. *Cupiunt Baithuſai, ut ſit primus dies Paſchatis Sabbato, ità ut præſentatio manipuli ſit primâ hebdomadis, & feſtum Pentecoſtes primâ hebdomadis.*

Meritò in hunc diem, diem ſcilicet reſurrectionis ſuæ, Sabbatum tranſtulit beatiſſimus *Salvator*, diem quam fecerat Dominus, *Pſal.* 118. 24. cùm jam lapis ab Architectis repudiatus evaſerat in caput Anguli. Nam,

1. Cùm *Chriſtus* conditurus eſſet novum mundum, vel *novam Creationem*, *Eſai.* 65. 17. neceſſe erat, ut inſtitueret novum Sabbatum

batum. Incongruum erat veteris Creationis Sabbatum novæ Creationi.

2. Exordium præcipuè ſumpſit regnum *Chriſti* à reſurrectione *Chriſti*: cùm jam mortem atque inferos deviciſſet. [Fatentur ipſi *Judæi* regnum *Meſſiæ* inchoandum à reſurrectione mortuorum, & renovatione mundi.] Summè ergò conſonum fuit, ut dies iſte, à quo exordium ſumpſit *Chriſti* regnum, in Sabbatum tranſiret, potiùs quàm vetus Sabbatum, monumentum Creationis.

3. Non inſtitutum eſt vetus illud Sabbatum, niſi poſt datam promiſſionem *Chriſti*. *Gen*, iii. 15. requiéſque Dei die illo ſeptimo præcipuè fuit, in perfecta jam nova Creatione in *Chriſto*, iſta etiam Sabbatica requies erat *Adami*. Perfecto ergò illo, quod tum promiſſum, contuſo ſcilicet capite ſerpentis per *Chriſtum* jam reſurgentem, *Heb.* ii. 14. completóque illo, quod in veteri iſto Sabbato erat figuratum, & commemoratum de perfecta nova Creatione, jure non potuit Sabbatiſmus non transferri in diem iſtum, quo hæc ſunt peracta.

4. Neceſſe erat, ut daretur Sabbatum *Chriſtianis*, diſtinctum à Sabbato *Judæorum*, ut indè diſtingueretur *Chriſtianus* à *Judæo*. Nam ſicut ſummâ curâ ſub Lege cautum eſt, ut per ritus quoſdam diſtingueretur *Judæus* ab *Ethnico*, ſic ſub Evangelio non diſſimili curâ cautum eſt, partim per rituum iſtorum fugam, partim per morum & rerum diverſarum introductionem, ut diſtinguatur *Chriſtianus* à *Judæo*. Non majori curâ proviſum eſt ſub Lege, ut per circumciſionem dignoſcatur & ſeparetur ab *Ethniço Judæus*, quàm ſub Evangelio, nè per circumciſionem *Judaizet Chriſtianus*. Quod & meritò proviſum de Sabbato. Cùm enim per Sabbatizationem ſuam, inter alia diſcriminantia, diverſicolores eſſent *Judæi* ab aliis omnibus *Gentibus*, neceſſe erat ut per aliud Sabbatum introductum [cùm ex neceſſitate continuandum eſſet Sabbatum] diverſicolores fierent *Chriſtiani* à *Judæis*.

VERS. 9. Χαίρετε.

Vulgari *Judæorum* Dialecto. אישר *Hieroſ. Taanith*, fol. 64. 2. *Viderunt Rabbini ſanctum quendam è Caphar Immi, & dixerunt* אישר, Χαῖρε. Vide etiam ibidem *Sheviith*, fol. 35. 2. & 36. 1. מה שואלין בשלומן של ישראל יישר. *Quomodo ſalu-*

tant Iſraelitam? ישו''. Idem *Gittin*, fol. 47. 3.

Ἐκράτησαν αὐτῆ τοῦ πόδας.

Videtur hoc fieri in exoſculationem pedum. Sic, II *Reg.* iv. 27. Nam hoc non inſolitum. *R. Jannai & R. Jonathane conſidentibus, acceſſit homo quidam, atque exoſculatus eſt pedes R. Jonathanis. Hieroſ. Kiddushin*, fol. 61. 3.

Confer hìc Evangeliſtas, comperiésque hoc jam actum à *Maria Magdalena* ſolùm, quæ olim exoſculata fuerat pedes *Chriſti*, quæq; bis ad ſepulchrum ſe contulerat, utcunque *Matthæus* de una tantùm profectione mentionem habet. Hiſtoria breviter ſic compingenda. Luceſcente primùm aurorâ, ſurrexit *Chriſtus*, facto tunc terræ-motu magno. A ſuis tunc temporis prodîerunt *Magdalena*, reliquæque fœminæ profecturæ ad ſepulchrum: dum congregarentur illæ, pararentúrque omnia, atque iter eæ haberent ad monumentum, jam ortus eſt Sol. Accedentes ab Angelis docentur de reſurrectione ejus, & remittuntur ad Diſcipulos. Nuntiatâ re illis, accurrunt ad tumulum *Petrus* & *Joannes*, poſt quos profecta etiam *Magdalena*. Viſis reſurrectionis ſignis, redeunt illi; aſt ea manet. Reverſuræ adeſt *Chriſtus*, ab ea reputatus pro hortulano. Notum ea veneratur, atque pedes ejus amplexa oſculatur: & hæc eſt hiſtoria ſub manibus; quam *Matthæus* plurali numero profatur, breviter & compendiosè agens pro more ſuo.

VERS. 19. Πορευθέντες οὖν μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτούς, &c.

I. Solvuntur jam clauſtra, quibus cohibiti erant Apoſtoli à prædicatione Evangelii ad Gentiles, *Matth.* x. 5. Nam,

Primò, Privilegia ſua jam amiſerant *Judæi*, nec in populum peculiarem erant à modò reputandi, imò *Lo-ammi* jam facti. Peccatis *Ethnicos* exceſſerant: Creatorem, viſibiliter ſeſe oculis ipſorum humanâ carne præſentantem, ſpreverant, conculcaverant, crucifixerant; cùm *Ethnici* de Creatore, quem non viderant, nec videre potuerunt, malè tantùm conceperant, & ſic in cultum creaturæ proruperant. Secundò, Solverat jam *Chriſtus* ſanguine ſuo pretium etiam pro *Ethnicis*. Tertiò, *Satanam* captivos illos detinentem vicerat. Quartò, Parietem intergerinum diſſolverat. Quinto, Juſtitiámq; exhibuerat infinitam.

II. Μαθητεύσατε.]

II. Μαθητεύσατε.] Id eſt, *Diſcipulos facite.* Introducite per Baptiſmum, ut doceantur. Errant longè, qui ex his verbis Pædo-baptiſmum deprimunt, & neceſſariò docendos eos, qui baptizandi ſunt, aſſerunt antequàm baptizentur. 1. Vide quid hìc textus. Μαθητεύσατε, & dein διδάσκοντες, verſu viceſimo. 2. Inter *Judæos*, itémq; inter nos, omnésq; gentes, Diſcipuli facti ſunt ii, non qui jam ſunt docti, ſed ideo Diſcipuli facti, ut doceantur. *Bab. Schabb.* fol. 31. 1 Accedit quidam *Ethnicus* ad *Hillelem magnum*, dicítque גיירייני עמ שתלמדני *Proſelytum me fac, ut me doceas.* Proſelytizandus eſt primo [detur verbo venia] & deinde docendus. Sic Μαθητεύσατε primùm per Baptiſmum, & deinde Διδάσκετε αὐτὲς τηρεῖν πάντα, &c.

III. Βαπτίζοντες.] Varii ſunt fines Baptiſmi. 1. Pro natura Sacramenti inviſibilia viſibiliter docet, id eſt, ablutionem à ſordibus noſtris per ſanguinem *Chriſti*, & mundationem gratiæ. *Ezek.* xxxvi. 25. 2. Pro natura Sacramenti eſt ſigillum veritatis divinæ. Sic vocatur circumciſio, *Rom.* iv. 11. *Et ſignum accepit circumciſionis, ſigillum juſtitiæ fidei*, &c. Sic *Judæi*, filios ſuos circumcidentes, circumciſionem ipſiſſimo iſthoc titulo inſignîerunt. Verba adhibita, dum circumcideretur infans, habes in *Hieroſ. Beracoth*, fol. 13. 1. Inter alia ſic dicit ille, cùm incubuit actionem benedicere. *Benedictus ſit, qui ſanctificavit dilectum ab utero, & ſignum poſuit in carne ſua,* וצאצאיו חתם באות ברית קדש *& filios ſuos ſigillavit ſigno fœderis ſancti*, &c. At quonam ſenſu dicenda ſunt Sacramenta ſigilla? Non, quòd obſignent recipienti juſtitiam ſuam; ſed quòd conſignent veritatem divinam fœderis & promiſſionum: ſic ab Apoſtolo dicitur *Circumciſio ſigillum juſtitiæ fidei*, id eſt, ſigillum hujus veritatis & doctrinæ eſſe *juſtificationem per fidem*, quam juſtitiam habuit *Abrahamus*, non adhuc circumciſus. Atq; iſte eſt modus, quo Sacramenta confirmant fidem, nempe quia doctrinaliter exhibent inviſibilia fœderis, & doctrinam & veritatem fœderis ex divino inſtituto, ſigillorum inſtar, obſignant. 3. Pro natura Sacramenti recipientes obligat ad articulos fœderis: nam prout fœdus ipſum eſt mutuæ obligationis inter Deum & homines, paris obligationis ſunt Sacramenta, ſigilla fœderis. 4. Pro natura ſua eſt introductorium in viſibilem Eccleſiam. Eſtque, 5. ſignum diſtinctivum inter *Chriſtianum* & non-*Chriſtianum*, inter ſcilicet eos, qui *Chriſtum* agnoſcunt & profitentur, atque inter *Judæos*, *Turcas*, & *Paganos*, qui non agnoſcunt. Μαθητευσατε πάντα τὰ

ἔθνη, *Catechizantes*: cùm ſunt ſub Baptiſmo, non ſunt ulteriùs ſub *Ethnicismo*, & diſcrimen ponit hoc Sacramentum inter eos, qui ſub Diſcipulatu *Chriſti* ſunt, atque eos, qui non. 6. Privilegia etiam ſua ſecum portat Baptiſmus, dum ad participatiouem Sacrorum in Eccleſia viam aperit, intráque Eccleſiam Baptizatum reponit, erga quam ſingularior Dei providentia, quàm erga eos, qui extra Eccleſiam.

Et jam ex prædictis arguamus paucis pro Pædo-baptiſmo. Omiſſo argumento iſto, quod vulgò ex verbis ſub manibus compingitur, Infantes ſcilicet, inter omnes gentes baptizatas eſſe connumerandos ut partes familiæ, hæc pauca obſerventur.

1. Baptiſmus, ut Sacramentum, eſt ſigillum fœderis. Et quare, quæſo, non imprimatur hoc ſigillum in infantes? ſigillum veritatis divinæ impreſſa aliquando fuit, ídque ex inſtituto divino, in res inanimatas. Iris in nube eſt ſigillum fœderis: Lex in altari inſculpta, *Joſh.* viii. fuit ſigillum fœderis: Sanguis ſparſus in duodecim columnas erectas in repreſentationem duodecim tribuum fuit ſigillum, & vinculum fœderis, *Exod.* xxiv. Et jam dicas mihi, Quare non capaces pari modo talis ſigillationis ſint infantes? Erant olim circumciſionis, & non deeſt infantibus noſtris æqualis capacitas. Non amittit finem hunc ſuum Sacramentum ob indiſpoſitionem recipientis: baptizati ſunt *Petrus*, *Paulus*, Apoſtoli: obſignavit eorum Baptiſmus ex natura ſua veritatem Dei in promiſſis de ablutione peccatorum, &c. Atque illi ex doctrinali hac Sacramenti facultate confirmationem fidei receperunt. Et baptizati etiam ſunt *Judas*, *Simon Magus*, hypocritæ, impii: nonne etiam, ex natura ſua, obſignavit eorum Baptiſmus hanc doctrinam & veritatem *Eſſe ablutionem peccatorum?* Rem ipſam iis quidem non ſigillavit, nec ſignum omnino ipſis fuit de ablutione ſua; at doctrinam iſtam Baptiſmus in ſe ſigillat. Dices veriſſimum eſſe hoc axioma, *Abrahamus accepit ſignum circumciſionis, ſigillum juſtitiæ fidei.* Nonne hoc æquè etiam verum? *Eſavus*, *Achabus*, *Achazus*, accepit ſignum circumciſionis, ſigillum juſtitiæ fidei? Nonne eadem omnibus circumciſio? Nonne cuicunque tandem adminiſtrata circumciſio veritatem hanc obſignavit, & ſigillavit, eſſe *juſtitiam fidei?*

Vim ſigillatricem *in ſe* habet Sacramentum & non pendentem *à diſpoſitione recipientis.*

2. Baptiſmus, ut Sacramentum, eſt obligatio. Jam verò obligationis

gationis capaces ſunt infantes. Obligantur aliquando à parentibus hæredes, etiam adhuc non nati: vide etiam *Deut.* xxix. 11, 15. Nam ex æquitate rei illud, ad quod obligatur quis, obtinet jus obligationis, non ex captu obligati. Imponitur omnibus lex ſub hac pœna, *Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus*, &c. Malè hinc arguitur habilitas hominis ad præſtationem Legis; aſt optimè arguitur æquitas rei: tenemur ad omnia ex officio noſtro, quæcunque Lex præcipit, præſtare non poſſumus nè minimum quidem apiculum.

3. Capax privilegii eſt infantulus æquè ac ſenex [& Baptiſmus eſt privilegialis]. Coronatus in Regem aliquando fuit infantulus in incunabulis. In libertatem cooptari poteſt infantulus, qui natus eſt ſervus. Optimè in hac cauſa *Gemariſtæ. Bab. Chetubboth*, fol. 11. 1. *Dicit Rabh. Honna, Proſelytum parvulum baptizant ex præſcripto Conſeſſûs.* מאי קמ"ל *Unde hoc aſtruitur?* דזכות הוא לו *Ex hoc, quòd Baptiſmus ei cedat in privilegium.* וזכין לאר שלא בפניו *Et privilegio donant etiam abſentem*: vel privilegio donare poſſunt etiam ignorantem. Dicas mihi tandem, Quare capax introductionis in viſibilem Eccleſiam, & ſigni diſtinguentis inter *Chriſtianum* & *Ethnicum*, non ſit infantulus æquè ac ſenex?

4. Addere licet, infantulum eſſe partem parentis: hinc *Gen.* xvii. 14. infans excidendus, ſi non circumciſus, cùm reverà culpa eſſet parentum; quia ſic puniuntur parentes in parte ſui, per exciſionem filii: atque hinc illud *Exod.* xx. 5. *Viſitans peccata patrum in filios*, quia filii ſunt pars patrum, &c. Exoritur hinc etiam genuina Pædo-baptiſmi ratio: baptizandi ſunt infantes parentum baptizatorum, quia ſunt pars eorum, & ut patres toti baptizentur. Hinc meritò baptizatio olim totius familiæ cum patre-familiâs.

Εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρός, &c.

I. Imperat *Chriſtus*, ut proficiſcantur baptizatum gentes, at quantum temporis elapſum eſt ante tale iter. Cúmque jam adeſſet tempus, quo inchoandum hoc opus, non illud aggreditur *Petrus* abſque prævia admonitione cœlitùs ei exhibita. Atque hoc indè ortum, quòd ex præſcripto *Chriſti Judæa*, *Samaria*, & *Galilæa*, primùm eſſent evangelizandæ.

II. Imperat, ut baptizent *In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*: aſt illi inter *Judæos* in *nomine Jeſu* baptizârunt ſolùm, quod obſervavimus antè ex *Act.* ii. 38. & viii. 16. & xix. 5. ideo ut *Jeſum* pro vero *Meſſia*, quod à *Judæis* ſummè fuit controverſum, hoc modo aſſererent baptizantes, atque faterentur baptizati.

Ro 1. 7 Ejusdem claſſis eſt benedictio iſta Apoſtolica, *Gratia & pax à Deo Patre, & Domino noſtro Jeſu Chriſto.* Ubinam tandem Spiritus Sanctus? Non excluditur, utcunque non nominetur. Facilius inter *Judæos* conſenſum eſt de Spiritu *Meſſiæ*, quem illi plurimùm celebrant, quàm de perſona *Meſſiæ*. *Jeſum Nazarenum* præ omnibus aliis abnegant abjurántque. Apoſtolorum ergò erat eò ardentiùs *Jeſum* aſſerere, quò illi acriùs ei adverſarentur. Quo aſſerto, ſine mora & titubatione introducitur agnitio Spiritûs *Chriſti*. *Moſes, Exod.* vi. 13. omnes tribus *Iſraelis* præ ſe ferens numerare, ad *Leviticam* ſolùm pergit, atque in ea moratur, quacum res ſua, & hiſtoria de præſenti. Pari modo Apoſtoli pro re nata baptizant in nomine *Jeſu*, benedicunt in nomine Patris & *Jeſu*, ut indè doctrinam de *Jeſu* firmiùs ſtabiliant, cui tanta & tam aſpera contradictio, quâ doctrinâ ſtabilitâ, de Spiritu Sancto facillimè eſt concluſum.

III. Inter *Judæos* controverſum eſt de vero *Meſſia*, inter *Gentes* de vero Deo; congruum itaque erat, ut inter *Judæos* baptizaretur in nomine *Jeſu*, quò aſſeratur ille pro vero *Meſſia*: inter *Gentes*, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*, quò ità inſtruantur illæ de vero Deo. Audi hæc, ô *Ariane* & *Sociniane*.

IIII. Baptizabant *Judæi* Proſelytos *In nomen Patris*, id eſt, in profeſſionem Dei, quem nomine Patris inſignîerunt: Apoſtoli *Judæos In nomen Jeſu*, filii; Gentes *In nomen Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.*

V. Revelaverat ſe Pater in veteri Fœdere; Filius in novo in carne humana, miraculis, doctrinâ, reſurrectione, aſcenſione; Spiritus Sanctus in donis & miraculis ſuis: ad ſummam ità maturitatem accreverat doctrina de Sacro-ſancta Trinitate, ad aſſequendam cujus agnitionem incubuit omnibus verum Deum, Trin-Unum profitentibus, ut in iſtius nomen baptizarentur.

Trin-Uno Deo Gloria.